Digitized by Google

*31. K.30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCLVIII

publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiæ apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. & IOH. LUCHTMANSIOS: & Amſtelodami in SCHREUDERI & MORTIERII iunior. officina.

MDCCLVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI
LITTERARUM ET HUMANITATIS
STUDIOSO
S.

Ingens hodie Scriptorum caterva, ut tempori, multoque magis commodis ſuis, inſerviat, ad rerum internecino hoc bello geſtarum hiſtoriam condendam, tanta contentione accedit, ut hoc unum ſtudii genus, non ſolum certiſſimae utilitatis, ſed etiam cum plurimorum plauſu coniunctiſſimum, eſſe videatur. Aiunt multos, non tam famae aucupandae cauſſa, quam compeſcendae famis, adeo cruenti ſpectaculi actores imitari; cum & natura ab eo tractando abhorreant, & exercitatione nulla ipſi adiuventur. Quod quamvis credibile ſit hac levitate, quae propria eſt aetati noſtrae, perſici: tamen condones necesſitati eorum, quos paupertas impulit audax; *dein laudes etiam nonnihil animum, in factis praeclaris intuendis, atque laudandis, defixum. Valent autem haec ad excuſandam talium hominum operam, non ad probandam. A quo nos quidem longius abſumus. Nam, ut omittamus illud, rectius expectari liberum poſteritatis iudicium de iis, quae praeſentis aevi*

ſors

Digitized by Google

ſors ita tulit; non exiſtimamus temere permittendam eſſe cupiditati quorumvis magnificae ſcriptionis provinciam:

——— neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuſpide Gallos,
Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi.

Qui aut praefuerunt rebus gerendis, aut certe interfuerunt, quos ingenium felix, alienum ab aſſentatione, in cognoſcendo vero fideliter verſatum, denique ſcribendi quaedam ſublimior facultas non deſtituit, eos, ſi quidem placeat, ſolos in hoc campo decurrere cupimus. Itaque ſatis adparet, quo quisque magis perſpectas habeat & plane cognitas varias illas, & raras virtutes, immo cautiones quoque, quae ineſſe debent in eo, qui rerum bellicarum memoriam victuris monumentis celebrare velit, hoc minus illum capeſſendi huius muneris deſiderio inceſſum iri. Nos certe, lubentes, in transmiſſo nobis inde a ſuperiore ſeculo opere manemus, & quod ad ſervandos commendandosque eruditorum virorum labores faciat, nihil praetermittimus. Materiam ſcribendi, vel ipſa varietate iucundam, & utilitate praecipua ſpectabilem, tenemus. Ingenue, & procul omni metu, dicere licet ſententiam, cum libera ſint omnium, in litteraria republica, ſuffragia. Quibus bonis hoc efficitur, ut vehementer amemus occupationem noſtram, nec aliam ei facile praetulerimus. Non eſt, cedimus, a difficultatibus omnino expedita: ſed eas non paucorum benevolentia lectorum amice removet. Ut, verbi cauſſa, quam longinquitas locorum, in accipiendis libris novis, moram parit, praeſertim hoc difficillimo tempore, ea ſaepius hoc anno, ſubmisſis ultro ſcriptis ab his, qui Actis noſtris faverent, quod grati agnoſcimus, ceſſavit. Quare, firmae optimaeque ſpei pleni, pergemus porro in longo amplisſimoque ſtadio, neque nos cuiusquam obtrectatione turbari patiemur. Tu, Lector humanisſime, aequo utere in nos animo, & Vale.

No. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Ianuarii Anno MDCCLVIII.

ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ, ΑΙΣΧΙΝΟΥ, ΔΕΙΝΑΡΧΟΥ, *καὶ Δημάδου τὰ σωζόμενα, Graece & Latine, TOMUS III. edidit IO. TAYLOR, LL. D. Coll. D. Ioannis Cantabr. Socius & Cancellarius Lincolnienſis.*

Cantabrigiæ 1748. typis Academicis, Alph. 3. pl. 11. in 4.

Tandem caſus quidam in manus noſtras detulit hoc opus, dudum a nobis deſideratum, quod mirabilis edendi atque vendendi ratio Britanniæ finibus exire vix ac ne vix quidem patitur. Nam initium edendi factum eſt a Tomo tertio, eumque ſequi debet quartus; quibus complecti inſtituit Cl. Editor Orationes cauſarum publicaruui. Quod inſtitutum non improbamus ſane, cum ea ſit optima & utiliſſima orationum Demoſthenicarum pars, in qua expolienda plurimum doctrinæ & opus eſt, & explicari poteſt, quam omnium maxime legunt Demoſthenicæ eloquentiæ intelligentes & cupidi. Sed Tomus iſte tertius, quem mox ſequi debuit quartus, qui tamen poſt novem annos nondum comparuit, venditur hac conditione, ut duæ libræ Anglicanæ ſolvantur in incertum operis univerſi exitum: quam conditionem non fert mercaturæ librariæ ratio. Atqui opus hoc eſt eiusmodi, ut id in omnium eorum manus quam celerrime venire debeat, qui græcæ literaturæ ſunt ſtudioſi. Quod ita eſſe intelligent, quicunque ea legerint, quæ dehinc de eo dicemus. Nondum extitiſſe antea editionem Demoſthenis, ea,

qua par erat, fide & diligentia emaculatam, id quidem vere adfirmat Vir Cel. & græcarum literarum exquiſita ſcientia dudum nobilitatus, nec quisquam ignorare poteſt, qui vel unam Orationum Demoſthenis, præſertim de nobilioribus iſtis cauſarum publicarum, diligenter legit, & comparavit ea, quæ a doctis viris ad eam corrigendam & explicandam ſunt facta. *Francofurtenſes*, qui a 1604. *Demoſthenis* opera ingenti Volumine ediderunt, hoc conſilium habuiſſe videntur, ut quicquid ante ab aliis præſtitum eſſet, id omne ſuo opere complectrentur, efficerentque editionem perfectam. Sed deſtinata, ſive inſcientia, ſive feſtinatione nimia, non perfecere. Felicius rem ſucceſſuram *Tayloro*, haud dubiam ſpem omnibus fecere duo inſignia futuri operis ſpecimina, *Oratio in Leptinem*, & altera *in Midiam*, ſeparatim ante cum notis editæ: ſucceſſiſſe docet hoc Volumen.

Editiones principes, quibus uſus eſt V. C. ſunt quatuor. Prima eſt *Aldina* maior a. 1504. in f. unde deſcripta eſt *Hervagiana* a. 1532. Altera *I. Bern. Feliciani* emendatior, Venet. 1543. in 8. ap. *Fr. Bruciolum:* unde expreſſa eſt altera *Hervagiana* a. 1547. 3. Voll. in 8. ut Vir C. comparando cognovit, licet in præfatione nihil reperiamus, quod eius rei ſuſpicionem faciat, ſed diligentia corrigendi, & libri MSS. iactentur, cuiusmodi dictis non credendum eſſe, dudum didicimus uſu. Tertia eſt *Paulli Manutii*, ſatis accurata, & melioris notæ, Venet. 1554. in 8. 3. Voll. Quarta eſt pulcerrima & luculenta Pariſienſis, quæ cura *Dion. Lambini* ap. *Morellium & I. Benenatum* prodiit, ex Aldina expreſſa, ſed cum plurimis MSS. Codd. in bibl. regia Pariſienſi collata, ſed tamen minus accurate expreſſa. His acceſſere Codicum MSS. plurium lectiones, partim eæ, quæ iam in ſuperioribus iſtis edd. proditæ ſunt, partim aliorum Codicum, quos vel ipſi, vel amici eius ubique indagaverant. Excuſſit etiam interpretes Demoſthenis vel latinos, vel vernaculos; ſi forte ſubinde per eos veram lectionem indagare poſſet. Etenim diligentiores quondam Interpretes veterum Scriptorum his noſtris fuiſſe, & ſæpe antiquiſſima & optima exemplaria conquiſiviſſe,

eorum-

eorumque fidem in interpretando ſecutos eſſe, veriſſime admonet. Notas adhibuit Wolfianas pæne omnes, tum loca librorum recentiorum, in quibus aliquis Demoſthenis locus vel correctus, vel bene explicatus eſſet, unde *Nannii, Palmerii,* & aliorum nomina ſubinde reperias. Novæ notæ comparent *Iac. Iurini* & *Ier. Marklandi,* maximeque ipſius *Taylori* eruditiſſimæ, neque nimia copia redundantes, neque nimia tenuitate atque ariditate ieiunæ, ut nec onerent lectorem atque fatigent, neque deſtituant. Opus univerſum quinque Voluminibus abſolvetur. Quatuor complectentur Orationes ipſas Oratorum in titulo indicatorum, ultimum Scriptores de Vita ſcriptisque *Demoſthenis, Ulpiani* aliorumque Scholia: novas Adnotationes, ſi qua forte occurrant vel accuratius confirmanda, vel in melius mutanda: Var. Lectiones in notis non commemoratas: denique Indicem uberrimum Atticarum locutionum. Sed e notis quædam ſunt delibanda, more inſtitutoque noſtro. Et quoniam alibi iam dictum eſt de notis ad Or. *Leptineam* & *Midianam,* notas ad *Or. in Timocratem* percurremus, deinde paſſim vagabimur.

Annotationes ſuas V. C. non in unum locum compegit, neque in finem voluminis abſtruſit, neque rurſus, qui laudabilis mos in plerisque veterum auctorum editionibus obtinet, ipſis græcis verbis ſubſtravit, ſed novo inſtituto, ſingulis quasque Orationibus ſubiunxit. Quo factum, ut totum opus orationum & adnotationum vicibus interſtinctum & variatum ſit. In conſcribendis adnotationibus eam iniit rationem, ut initio ſtatim de orationis cuiusque argumento, fine, cauſſa, & tempore, item exiſtimatione atque fide, diſputaret, quam aut inveniſſet apud veteres, aut mereatur. Sunt enim in Demoſthenicis haud paucæ, quas clarum auctorem mentiri, & ipſa res loquitur, & Grammaticorum veterum pronunciat auctoritas. Præfationes illas, ad ſummam orationum pertinentes, excipiunt adnotationes ad argumenta a *Libanio* & aliis, quorum nos nomina latent, profecta. A quibus ad ipſarum tandem orationum explanationem proceſſus fit. Hic ordo modusque, ut omnium, ſic illarum quoque adnotatio-

Digitized by Google

num eſt, quæ Timocrateam illuſtrant. Aetatem quidem, qua ea dicta fuit, definire ſuperſedit, poſtquam ea opera iam in adnotationum ad Androtianam & Ariſtocrateam ingreſſu defunctus fuiſſet: æquales enim ſunt hæ tres orationes: at hoc docet; magnam intercedere ſimilitudinem hanc inter Timocrateam & Androtianam, eamque tantam, ut Grammaticos vetuſtos deceperit, eorumque memoriæ illuſerit. Sæpe enim factum fuit, ut, qui loci non in Timocratea, ſed in Androtiana leguntur, eos tamen illi locos ex Timocratea laudarent repetitos. In affinitate argumenti atque dictionis, ait *Taylorus*, ſibi videri huius erroris originem multo maiore cum probabilitate quæri, quam exiſtimari, exempla Timocrateæ, quæ ad nos pervenerint, mutilata fuiſſe. Appellat porro hanc orationem in primis admirabilem, & gravitate argumenti, literarumque elegantia, (verba hæc *Taylori* ſunt,) & ingenii acumine, cum Demoſthenicarum vel optimis conferendam.

In ipſa orationis expoſitione hæc nobis viſa fuere præ reliquis notatu digna. Multus in hac oratione ſermo eſt de *ἐπιχειροτονίᾳ τῶν νόμων*, quam velut luſtrationem & cenſum legum dicas, quotannis ſub anni initia renovari ſolitum. Iudicari tum ſolebant leges cum novis vetuſtæ, & quæ inutiles, vitioſæ, damnoſæ viderentur, expungi & abrogari, novæque temporibus præſentibus magis conſentaneæ illarum in locum ſubrogari. Hanc itaque legum conſtituendarum rationem, olim non admodum liquidam, dilucidiorem *Taylorus* fecit p. 446. nova interpretatione earum legum, quæ adminiſtrandi huius negotii modum viamque deſcriberent. P. 448. exponit ſententiam ſuam de formula pſephiſmatis, ſeu rogationis, quæ viros ſummos, *Scaligerum*, *Palmerium*, *Dodwellum* & *Weſſelingium*, cum aliis, vehementer exercuit. Quam *Taylori* ſententiam quamvis difficile ſit, & brevi ſermone complecti, & perſpicue referre, dabimus tamen operam, ut utrumque præſtemus. Obſcura illa & impedita formula hæc eſt, quæ p. 375. verſu 1. editionis *Taylori* legitur (in fine p. 446. editionis Pariſinæ): Ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης ἑνδεκάτῃ τῆς πρυ-

πϱυτανείας Τιμοκϱάτης εἶπεν. Nil attinet errores percenſere, quibus hæc formula viros doctos implicuit. Unum non poſſumus facere quin notemus, *Dodwellum*, quod ἡ Πανδιονὶς πϱώτη hic loci memoretur, ex eo finxiſſe, tribum Pandionida ſemper fuiſſe primam in ordine prytaneatus obeundi, certumque ſemper atque conſtantem, eundemque obſervatum a tribubus ordinem ea in re fuiſſe. Porro dubium naſcitur hoc, quare hoc in loco editum fuerit tribus nomen, quum tamen legis formula p. 371. *penult.* (445, 9.) nullam tribum nominet, ſolummodo ἐπὶ τῆς πϱώτης πϱυτανείας τῇ ἑνδεκάτῃ dicat. At hoc quidem dubium feliciter expediit *Taylorus*, cum obſervavit monuitque, legislatori non licuiſſe tribum aliquam nominare, ut qui leges in commune ſcriberet, quod omnes, tam tribus quam cives, æquali iure complecteretur; in pſephiſmatibus autem neceſſe fuiſſe, ut quo tempore eorum quodque rogatum eſſet, id tempus certis notis minimeque dubiis definiretur. Illæ autem notæ nominibus continebantur, primum tribus, tum prytanum muniis fungentis, tum archontis, ſive ille eponymus, ſive pſeudeponymus eſſet, ſcribæ deinde, qui illi tribui miniſtraſſet, (habebat enim unaquæque tribus ſuum ſibi proprium ſcribam,) illius denique, qui rogationem illam ferret. Hactenus rectum vidit V. C. Videtur tamen neque ipſe ſibi ſatisfeciſſe, neque dubium ſuper hoc loco lectoribus omne exemiſſe. Vacillat quidem in exitu notæ, & *Iurini* divinationi nonnihil tribuit, loco πϱώτης ſuadenti πϱυτανευούσης: quo excogitari nihil poterat, quod a vero magis abeſſet, & rem expeditam magis redderet impeditam. Fuiſſet utique nihil, quod hac in formula viros doctos potuiſſet morari, ſi ea vocabuli πϱυτανείας, quæ hic obtinet, ſignificatio, aut declarata a quoquam fuiſſet, quod factum eſſe non meminimus, aut cuiquam in mentem veniſſet. Vocabulum hoc non ſolummodo dignitatem & magiſtratum, functionemque munerum illi nomini adiunctorum, ſed etiam, cum aliis multis in locis, tum in hac, de qua nunc agitur, formula, totum illud ſpatium temporis ſignificat, quo tribus prytaniam quæque ſuam exercebat. Tem-

Digitized by Google

pus illud non ſemper idem fuit, ſed pro auctiore minoreve tribuum numero aut anguſtius, aut amplius. Decem initio cum eſſent tribus, diutius præſidebat unaquæque: duabus autem tempore poſt ad eum numerum adiectis, quini dies de cuiusque imperio decedebant. Apparet ergo, formulam hanc & perſpicuam planamque eſſe, illi quidem, qui fori Attici plane hoſpes non ſit, & tam eſſe ſanam atque integram, ut optandum eſſet, omnia Græciæ vetuſtæ monumenta nobis eadem fide atque puritate tradita fuiſſe, atque hæc formula fuit: quæ breviter enunciata idem dicit, atque ſi ſic explicetur. Ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος Φυλῆς πρώτης ἄρχειν τῆτες λαχούσης, ἡμέρᾳ ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας. *Sub tribu Pandionide, quae hoc anno prima per ſortem obtinuit, ut magiſtratum gereret, illiusque magiſtratus tenentis die undecimo.* Minutus præ hoc eſt, eoque a nobis animadverſione dignus non habetur error, quem V.C. p. 447. ſuper καθεδεῖτε prodidit; tantoque libentius eum transmittimus, quo magis non facile erit, quem ille abripiat. Diſſimulari autem non debet id, quod p. 448. de voce διοίκησις affertur, ſcilicet eo vocabulo *reditum civitatis, bona & fortunas reipublicae* ſignificari. P. 450. præclare obſervatum atque declaratum fuit diſcrimen inter tria hominum genera, in quorum fide manuque numi publici erant. Hi ſunt οἱ τὰ τέλη ὠνούμενοι, tum οἱ ἐκλέγοντες, denique οἱ τὰ μισθώματα μισθούμενοι. Illi ſunt publicani ſtricte ſic dicti, redemtores portoriorum. Alteros affirmat Taylorus eſſe *miniſtros publicos, ſervos fiſci*, qui vectigalia a nemine redemta *ad portum exigunt, vectigalarii, portitores.* Quæ verba ſi e calamo V. C. ita manarunt, ut retulimus, diffiteri nequimus, ea a nobis non ſatis intelligi. Sed ſtatim de his videbimus. Poſtremum genus eorum eſt, *qui aliquid a populo redemtum habent, quod in commercium veniat, & ab aerario redimi queat.* Peraptus eſt huic generi declarando *Caii* locus a *Tayloro* e l. 12. D. allatus. Sed & *ii, qui ſalinas & arenas & cretae ſodinas & metalla conducta habent, publicanorum loco ſunt.* Primo igitur & poſtremo de genere recte perſpicueque tradidiſſe videtur V. C. de medio ſi

recta

recta tradiderit, obſcure, ad nos quidem, tradidit. Sunt nempe *οἱ ἐκλέγοντες* delegati publicanorum, ſeu ſervi, ſeu liberti, ſeu familiares & clientes eorum, qui nomine locoque publicanorum a nautis & negotiatoribus portoria exigunt. Horum fides publicanis obſtricta erat, qui eam ſuo periculo præſtabant, publicani ſuam reipublicæ obſtringebant dandis prædibus, qui pro ipſis ſatisdarent. *οἱ ἐκλέγοντες* autem prædes nullos dabant, non ſane reipublicæ. Publicani erant homines opulenti; *οἱ ἐκλέγοντες* non pauperes quidem, (quis enim exactor facile probus & in re anguſta ſit, in tantis peccandi & creſcendi illecebris atque copiis?) conditionis tamen inferioris erant, ut eos non dedeceret exigendi munus, quod publicani tanquam ſervile & parum ſuo ſplendore dignum faſtidiebant. In eo porro non poſſumus cum *Tayloro* facere, quod *τὰ μισθώσιμα* rectius dici putat, quam *τὰ μισθώματα.* Eſt enim hoc, quod *Taylori* pace dictum ſit, multo quam illud alterum, ipſi a V. C. prælatum, rectius, &, exceptis vectigalibus ſeu portoriis, complectitur omnia reliqua redituum genera e fundis publicis provenientium: quo pertinent fructus, quos reſpublica ex agris, villis, ſaltubus, paſcuis, vinetis ſuis, item templis, ædificiorum publicorum locationibus, & aliunde percipit. Peringenioſa eſt, &, ſi quid cernimus, vera interpretatio v. *τάξις*, a *Tayloro* p. 451. propoſita. Habetur hoc vocabulum in formula legis, per quam legem, qui ærario aut diis immortalibus deberent, beneficio privabantur *τῆς ἀφέσεως τοῦ ὀφλήματος ἢ τάξεως, remittendi debiti aut* — Facile patet, *Wolfium* a vero aberraſſe, ſic vertentem: *de remittenda mulcta aut militia.* Merito *Wolfium Petitus* propterea reprehendit; ſed, quod illo in homine non mirere, quem acumine critico & uſu linguæ græcæ parum valuiſſe inter omnes conſtat, vulnus alio infligendo ſanatum ivit. Quid itaque Noſter? *Τάξις*, ait, eſt *conventio inter partes, qua debitoris inopiae ita ſuccurritur, ut, quod ille univerſum, ſalva re familiari, reddere nequeat, id unciatim & ad modum conſtitutum reddat.* Effatum hoc auctoritatibus munit idoneis. Eſt ergo *τάξις* id, quod vulgari

ſer-

ſermone *einen Termin* appellamus; particula debiti aeris, cuius penſiones ex ambarum partium conſenſu certis temporum intervallis modisque deſcriptæ ſunt æquis, ut illis de tota ſumma deducendis ſenſim eminuatur, & ad extremum diſſolvatur debitum. Legentibus nobis ea, quæ V. C. pag. 454. ad p. 391. vſ. 11. adnotavit, doluit, ea ipſi excidiſſe, quæ ſunt eiusmodi, ut fieri nequeat, quin eorum ipſummet, ſi nunc recognoſcat, poeniteat. Nolumus recenſenda interpretatione, quam illi loco admovit, neque pudori eius, neque famæ vim inferre; ſed e re lectorum ipſiusque Demoſthenis exiſtimamus futurum eſſe, ſi locum illum rectā interpretatione in clara luce collocemus, & a ſuſpicione vitii liberemus. Locus itaque ſic interpungendus & interpretandus eſt. Επὶ Πανδιονίδος πρώτης, πρυτανείας δωδεκάτη, τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν Αριστοκλῆς — *Sub tribu Pandionide* (ſcil. prytaneatu fungente) *prima* (eo anno per ſortem illi muneri ducta), *die iſtius prytaniae duodecimo, e prohedris* (hoc eſt unus de numero prohedrorum, qui tum erant) *populum in ſuffragia miſit Ariſtocles Myrrhinuſius.* Πρυτανείαν eſſe totum illud ſpatium temporis, ſive menſtruum id eſſet, ſive ultra ad tricenos quinos dies excurreret, quo tribus quæque reipublicæ cum auctoritate ſuprema præeſſet, paullo ante diximus. Formulam τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν enucleavit *Krebſius*, V. C. p. 52. & 55. libelli doctiſſimi, quo decretum Athenienſium in honorem Hyrcani, pontificis maximi Iudæorum, factum, & a *Ioſepho L. XIV. Antiqu. c. 18.* redditum, enarravit. Durum nodum p. 459. *Taylorus* dextre periteque ſolvit, qui verbis ineſt, quæ p. 419, 3. (470, 20. editionis Pariſinæ) leguntur: quo magnam ſane ineat apud interpretes gratiam, neceſſe eſt, quos magna liberavit moleſtia. Sacramenti formula ibi loci recitatur, quo dicto ſententiæ dicendæ ius & fas fiebat illis, qui Heliaſtarum numero adſcribendi eſſent. Ea formula in aliis hanc quoque clauſulam habet, qua cavetur, ut ne Heliaſta quemquam ad novum gerendum magiſtratum admittat, qui ſuperioris magiſtratus a ſe geſti rationem populo neque reddidiſſet,

diſſet, neque approbaſſet, ſive de novem archontum ille numero eſſet, ſive hieromnemon, ſive — κήρυκος, καὶ πρεσβείας, καὶ συνέδρων. Ita diſtinctum exhibent veteres editiones hunc locum. Verum ea diſtinguendi ratio ſententiam corrumpit, & obſcurat. Bonum *Wolfium* ut caſtigemus aſperius, quanquam id factu facile eſt, & *Taylorus* religioni ſibi non ducit, a nobis tamen non impetramus, qui tanti facimus *Wolfii* de *Demoſthene* merita, ut eum, longe plurimorum corruptorum atque difficillimorum locorum perita tractatione atque reſtitutione, peccatorum omnium, quæ ab hoc genere laboris abeſſe nequeunt, culpam memoriamque omnem obliteraſſe exiſtimemus. Referetur itaque ſolummodo a nobis ſcita *Taylori* obſervatio ad h. l. hæc, κηρύκων fuiſſe duplex genus, unum eorum præconum, qui legatos comitarentur, & interdum præirent ad hoſtes: quod genus cum caduceatoribus aut fecialibus compares: alterum eorum, quibus Senatores in habendis concionibus uterentur, ad conciendam plebem, ad imperandum ſilentium, ad evocandos oratores, ſi qui eſſent, qui reipublicæ ſalutaria ſuadere cuperent, ad Decreta Senatus ad populum referenda. Utrumque κηρύκων genus in hac ſacramenti, in qua ſermo noſter iam verſatur, formula deſignatum fuit; primum quidem illud, cuius foris eſſet uſus, his verbis, καὶ πρεσβείας, alterum autem, cuius domi, his, καὶ τῶν συνέδρων.

Hæc ſunt ea, quæ ſi ex adnotationibus *Taylori* ad orationem Timocrateam excerpta recitaremus, & gratiam lectorum nos inituros, & ex eorum re facturos eſſe, nobis perſuaſimus. Supereſt, ut, promiſſi noſtri memores, per reliquas quoque operis partes vagemur. Dabimus itaque ſpecimen præfationum ad notas, de quibus ſupra diximus, excerpendis iis, quæ ad *Androtianam* præfatus eſt V. C. p. 239. Ipſa lubet eius verba pro maxima parte reddere. Orationem patet hanc in primis diſertam & elegantem, &, ſi antiquis magiſtris credere fas ſit, non ſine æmulatione & ingenii contentione elaboratam. *Androtio* enim ex *Iſocratis* ſchola profectus, ſumma erat inter Iſocrateos celebritate, & maximam

ætatis partem in foro & dicendi uſu tranſegerat. *Hermogenes* ipſe cap. *περὶ ἐπιμελείας* in hanc orationem ſe ſcripſiſſe, ait, *θεωρίαν* vel commentationem, quæ tamen periit. Illud ſingulare habet, quod in toto corpore Demoſthenico nulla eſt alia, in qua rhetor noſter tantum ſibi indulſerit in opera mutuaticia, nulla, in qua ſe ipſum adeo ſedule exſcripſerit. Tum V. C. deſignat locos, in quibus hæc cum Timocratea idem dicit. Eius rei cauſſam in eo collocat *Taylorus*, quod *Androtionis* cauſa, cum *Timocratis* ita fuerit coniuncta, ut hunc accuſans, illum quoque quin exagitaret, facere non potuerit. Quod autem ea de ſimilitudine admonet *Ulpianus*, id puerile eſt, ubi ait, in Timocratea id dicere oratorem de *Androtione*, quod in Androtiana dixerat de *Timocrate:* quod nullo modo verum eſt. Poſtea præclaram illam ſententiam recitat, quam *Quintilianus* V. 14. latine reddidit, & interpretem cum auctore committit. Tum obſervat eiusdem ferme ætatis & eſſe, & a vetuſtis Criticis perhiberi *Androtianam, Leptineam, Timocrateam, & Ariſtocrateam;* hoc eſt, omnes ſpatio Olympiadis ſextæ a centeſima contineri, & in annum *Demoſthenis* 27. aut 28. incidere earum ætatem; primam tamen omnium eſſe *Androtianam.* Temporum has rationes a ſe recte conſtitutas fuiſſe, *Gellii, Plutarchi, & Dionyſii* Halicarnaſſenſis teſtimoniis evincit *Taylorus.* Quæ omnia ubi perlegeris, ſic pergit idem, atque inter ſe contuleris, (ſcripta enim ſunt non minore veritate, quam conſonantia & *ἀκριβείᾳ*) miraberis profecto, quid ſibi velint illa portenta *Ulpiani,* in initio ſcholiorum: *οὗτος ὁ λόγος μετὰ τοὺς Φιλιππικοὺς πρῶτός ἐστι τῶν δημοσίων*, aut ſi mavis cum codd. regiis, *δεύτερος*: cum hæc cauſſa *Philippicas* omnes easque res geſtas annis nonnullis antecedat. Poſtremo loco queritur V. C. hac in oratione ſententiam paſſim turbatam eſſe, raptim quædam & contorte inferri; unde animum ſuum eam ſubiiſſe ſuſpicionem, ut multa ei deeſſe, nulla fortuna reſtituenda, putaret. Idem *Harpocrationem & Ammonium* prodere, ex *Androtiana* citantes ea, quæ nusquam ibi compareant. Pag. 244. demonſtrat exemplis optimorum auctorum, *παραστῆναι* de

de populis dici, qui ſive vi & armis, ſive perſuaſionibus eo adducantur, ut ad partes ſententiamque alterius accedant, & legibus ab eo latis ſe ſubmittant. Qua re *Erneſtii* noſtri coniectura ſtabilitur, in præfatione ad *Ariſtophanis* Nubes p. 19. propoſita, in Scholiis ad illius fabulæ verſum 213. legi oportere παραςαθῆναι pro καταςαθῆναι, quod ad hoc diei libris in vulgaribus obtinet. Sed illi poſt coniectura hæc diſplicere coepit, cum in memoriam rediit aliorum exemplorum verbi καταϛ. pro παραϛ. uſurpati, nec audet omnia illa loca corrigere. Ap. *Ioſeph.* A. XVII, 10, 3. τὸ καταϛησόμενον eſt *deditio*, & ap. *Dion. Caſſ.* p. 332, 92. (ed. *Reim.*) eſt hoc ſenſu προςκαθιϛαμαι &c. Pag. 337. in præfatione ad *Ariſtocrateam*, primo loco auctores laudat, quos ad eam melius intelligendam conſulere profuerit; tum attingit litem ſuper formula ἀγώγιμος εἶναι, quæ *Salmaſium* & *Heraldum* acerrima interceſſit, ita tamen eam attingit, ut magis Salmaſianam ſententiam evertat, quam ſuam aut declaret, aut adſtruat, incertos denique lectores, quæ vis & ratio illius formulæ ſit, dimittat. Laudes deinde refert, quibus hanc orationem veteres ornarunt; ætatem, qua dicta fuit, indicat, (eſt autem *Timocrateae* æqualis;) denique errorem ſcholiaſtæ *Ariſtophanis* ad *Aves* v. 126. notat & reprehendit, *Ariſtocratem* illum, cuius rogationem ea oratione *Demoſthenes* inſectatur, cum *Ariſtocrate, Scellii* filio, permutantis, illo, cuius virtus in bello Peloponneſiaco multis egregiis facinoribus inclaruit. Temporum rationes non patiuntur, homines tam diverſos coire. Non brevis eſt diſputatio de formula ὁ κάτωθεν νόμος, p. 344. de qua quatuor diverſas doctorum hominum ſententias poſtquam retulit, & repudiavit idem, haud paullo meliorem ſuam proponit. Elogium non damus noſtrum, ſed ipſum illud reddimus, quo eam ipſe *Taylorus* venditavit. Provocat *Demoſthenes*, pergimus Angli verba reddere, non ad tabulas, axonaſve, verum ad exemplar earum legum, quas exinde deſcribi fecerat, ut, quotieſcunque uſu veniſſet, ex eo periculo a ſcriba recitari poſſent. hoc proprie dicebatur παραγράφειν (imo vero παραγράφεσθαι)

— neque hæc dico quaſi credam παραγράφειν ſimpliciter eſſe *deſcribere*, cum novi aliud eſſe, & proprie dici pro eo, quod ICti Romani nominant *exceptione uti.* Deſcripſit ergo Rhetor noſter e tabulis publicis leges haſce exceptorias, quas *Ariſtocrateae* rogationi opponeret. Deſcripſiſſe ſaltem conſtat, & multa ſunt in hac oratione, quæ meam ſententiam adiuvant. Ita ad ſcribam ſe accommodans ſæpius ait, λέγε τὸν μετὰ ταῦτα νόμον — & reliqua ſimilia exempla, in quibus hæc diſputatio deſinit, quæ repetere nil attinet. Ipſa Angli verba, quibus de celeberrima, ſed valde dubia & controverſa formula, ſuam ſententiam declaravit, ſi modo declaraſſe putandus & dicendus ſit, ideo iudicavimus a nobis reddenda eſſe, quod metuebamus, ne aut nullam omnino ſententiam ex iis exſculpere poſſemus, aut, ſi tentaremus tamen id facere, ne male nobis ea res ſuccederet, & ne lectoribus, ipſique auctori, ſententiam ab eius mente longe alieniſſimam obtruderemus. Effingat itaque lectorum quisque ex iis, quod ipſimet libuerit. Legem aliquam de iis, qui ad iudices deferrent cædis reum, qui eo rediiſſet ab exilio, quo ipſi redire non liceret, eam igitur legem bene p. 348. exponit, & a *Salmaſii* vindicavit iniuriis, qui, cum eam perſpectam non haberet, turpiſſime ſummaque cum temeritate laceravit & pervertit. Cuius facinoris acerbas, ſed meritas, *Tayloro* poenas dedit. Pag. 349. ſcite illam legis formulam exponit T. ἢ ἐν ὁδῷ καθελὼν ex *Harpocratione* & *Euſtathio*, docetque ſignificare illum, qui aliquem ex inſidiis adortus peremerit. P. 509. ambas *contra Ariſtogitonem* orationes *Demoſtheni* abiudicat, & pro declamatiunculis Sophiſtæ alicuius habet, frigidis, ineptis, tanto nomine indignis; eaque in re ſibi conſentientes laudat, non recentiores ſolummodo Criticos, *Caſaubonum, Heraldum,* & *Duportum,* ſed etiam veteres, *Dionyſium Halicarnaſſenſem*, *Iulium Pollucem*, & *Harpocrationem.* Nam *Photii* patrocinium auctoritate carere ait. Sunt tamen alii veterum, neque ii contemnendi ſcriptores, qui eas ad *Demoſthenem* referre nulli dubitarunt, *Longinus, Hermogenes, Aphthonius*, *Marcianus* ICtus, & *Plinius* iunior. His diſputatis,

putatis, *Androtio*, quis & qualis fuerit, exponitur; tum quid ἔνδειξις; denique qua ætate dicta fuerit hæc oratio. Neceſſe nempe eſt, eam intra annum tertium *Olympiadis CX.* quo ab Athenienſibus ad Chæroneam infeliciter pugnatum fuit, & annum ſecundum *Olymp. CXIII.* quo in exſilium *Demoſthenes* abiit, dictam fuiſſe. Pag. 517. diſputatur, rectiusne *Minerva* Προναία an Πρόνοια appelletur: quæ duo nomina ſæpe inter ſe permutantur a librariis. Criticorum non pauci ſunt, qui poſterius plane damnent; ſed iis adverſatur cum copia exemplorum, oratoris ratiocinium e προνοίας, *providentia*, ibi ductum. P. 557. eleganti emendatione ſanat *Taylorus* illum *Demoſthenis* locum, ubi nunc quidem Τενεδίους e *Wolfii* coniectura legitur in hac nova editione, verum in vetuſtis omnibus eſt ἐνίους: unde facillimo negotio *Taylor* Αἰνίους effecit. Iudiciis veterum ſiniſtris de oratione *contra Neaeram*, quam orationem uno omnes ore *Demoſthenis* eſſe negant, p. 611. relatis, iudicium de illa ſuum *Taylorus* ſubiicit hoc. *Me profecto non pudet*, ait, *dicere*, *eſſe opus putidiſſimum*, *nullius aut decoris*, *aut gravitatis*, *& praeter naevos orationis*, *quibus paſſim ſcatet*, *nihil ibi dictum*, *quod lectorem percellere aut allicere aut morari demum poteſt*. *Eſt autem oratio ſatis antiqua*, *& videtur ad uſum forenſem eſſe conſcripta*, *non ad oſtentationem aut imitationem concinnata*. Adiungit porro coniecturas de ratione, qua factum ſit, ut hæc oratio Demoſthenicis insereretur. Extrema p. 597. laudatur Phocenſium erga populum Athenienſem ſtudium, & huius populi gratus erga illos animus, cum aliis rebus, tum pictura in porticu Poecile dedicanda declaratus, qua in pictura Phocenſium ὡς ἕκαστος τάχους εἶχεν εὐθὺς προσβοηθῶν γέγραπται, οἱ τὰς κύνας τὰς Βοιωτίας ἔχοντες. Ita conſtanter in omnibus codicibus adhucdum legitur, & ſecuri ſic reddunt interpretes cum *Wolfio*: *quam quisque celerrime potuit*, *ſtatim accurrens pictus eſt*, *canes illi Boeotias habentes*. Prave utrumque. Mendum mutando accentu *Taylorus* tollit, ſed poſt *Leopardum*, *Valeſium*, & *Kuſterum*, & loco longe alium primigeniumque ſenſum reddit. nam pro κύνας emendat

κυνᾶς galeas, docetque teſtimoniis *Xenophontis, Theophraſti,* & aliorum, Boeoticas *κυνέας* vel *κυνᾶς*, tegumenta capitis ſic dicta, valde olim celebratas fuiſſe. Ultima obſervationum illarum, quas hic loci ſpeciminis ergo laudare decrevimus, ea eſto, quæ p. 651. legitur: non impedire temporum rationes, quominus oratio *contra Eubulum* dicta *Demoſthenis* ſit; dubium tamen ſupereſſe, ſitne ipſius, an *Lyſiae:* nam dictionem utriusque, ceterasque notas, unde quisque dignoſcatur, in cauſſis minoribus, ubi ſpiritu & nervis neque opus neque locus ſit, tam eſſe inter ſe ſimiles, ut iudicium difficile & dubium efficiant.

Ad univerſum opus hoc Taylorianum adhuc paucula hæc monita adiiciemus: unum, optandum fuiſſe, ut cl. Editor *Demoſthenis* exemplo *Francofurtano*, ſeu quod idem eſt *Wolſiano*, tanta religione non adhæſiſſet, ut pæne latum unguem ab eo non deſciſceret: quod tamen exemplum, fere non pecces, ſi affirmes, exemplorum *Demoſthenis*, quotquot prodierunt, omnium vitioſiſſimum eſſe; animadverſiones quidem *Taylori* paginis pæne omnibus id damnant. Alterum, quod nollemus in hac nobili alias & commendabili editione deſiderari, hoc eſt: quod latina interpretatio *Wolſii* non magis, quam græca verba, fuit emendata. Utilis tamen, quin perneceſſaria erat utraque opera: neque aliud exemplum, utraque in illa re, præterquam ſuum, in *Lyſia* proditum, eſſet imitatus Cl. Editor. Sed eum moleſti laboris piguiſſe credibile eſt. Poſtremo loco monemus, iniucundum id nobis accidiſſe, quod Cl. *Marklandus* non in omnes *Demoſthenis* orationes, hoc volumine concluſas, ſuas dederit animadverſiones; &, quas dedit, & paucas eſſe, & in paucas Demoſthenicas; denique eiusmodi, ut cum Lyſiacis comparari nullo modo queant. *Iurini* notulæ potiſſimum in emendanda latina *Wolſii* interpretatione, ſatisque feliciter in ea quidem re verſantur. At ſi quando, quod raro conatur, emendatoris locorum in græcis corruptorum perſonam induit, deprehendimus eum rem plerumque invita Minerva geſſiſſe. Editionis igitur huius, quam tot vitiis e Francofurtana derivatis contamina-

Digitized by Google

minatam eſſe ferimus ægerrime, præter chartarum & typorum ſplendorem mirificum, optima dos atque gloria continetur in illo ornatu, quem *Taylorus* ei addidit, qui operam præcipuam in adnotandis æſtimandisque codicum lectionibus poſuit; in formulis autem iuris Attici ritibusque fori interpretandis parcior fuiſſe nobis viſus eſt, quam a viro in illis rebus conſummato exſpectetur. Cuius rei cauſa, ſi recte ſapimus, illinc repetenda eſt, quod omnibus huiusmodi obſervationibus ad unum volumen congerendis reliquis materiam praeripere, hoc eſt, parte una nimium ſaginanda reliquis ſuccum detrahere, noluit, ſed rectius ſe facturum iudicavit, ſi eum æquabiliter diſpenſaret: tum quod has res in iis, quos de iurisprudentia Attica meditatur, libris uberius tractare decrevit. quos ad libros paſſim harum ad *Demoſthenem* animadverſionum lectorem ablegat.

D. PHILIPPI ADOLPHI BOEHMERI, MED. ET Anat. Prof. in Regia Fridericiana &c. Obſervationum Anatomicarum rariorum FASCICULUS ALTER, Notabilia circa uterum humanum continens, cum Figuris ad vivum expreſſis.

Halæ Magdeb. 1756. apud Io. Iuſt. Gebauerum, plag. 17. in fol. tabb. æn. 8.

Celeberrimus & doctiſſimus Auctor obſervationes, notatu digna circa humanum uterum continentes, quas cum orbe literato communicare Faſciculo primo exorſus eſt, iam perſequitur. Obſervationes hoc altero Faſciculo contentæ, iis, quas priore, a nobis olim laudato, edidit, neque raritate, neque utilitate cedunt. Tabulæ & figuræ adiectæ, iis, quæ tum exhibitæ fuerunt, elegantia etiam præſtant, poſtremæ quatuor maxime, quas artifex Lipſienſis, in arte ſua facile princeps, *Bernigerottus* noſter, maxima artis ſubtilitate & ſumma diligentia ſculpſit. Obſervationes *actum vitioſae conceptionis* illuſtrantes, ſubiectis diſſertationibus utiliores commendabilioresque efficere ſtuduit, reliquas ſine proli-

xiori

xiori ſermone dimiſit Auctor eruditiſſimus. Præter has vero, uterum humanum concernentes, aliæ quoque obſervationes, ſatis curioſa annotatione dignæ, in Præfatione leguntur. De illis deinceps, de his nunc primum. *Obſ.* 1. In viro toroſo inſolita portio muſculoſa, longa, teres, a latiſſimo pectoralis maioris dextri ſtrato, in parte ubi a clavicula incipit ſeparata, a latere interno bicipitis ad brachialem internum tendens, ibique terminata, viſa eſt. *Obſ.* 2. In femina defecit muſculus ſtylo-hyodeus dexter. *Obſ.* 3. In cadavere feminæ annorum XXXIII, quæ diu cephalæa cum vertigine caduca, poſt motibus convulſivis ſæpius correpta, ſexta ante obitum hebdomade viſus obſcurationem, tandem eius iacturam, ſine ullo in oculis conſpicuo vitio, paſſa fuit; repertum eſt in cerebro ulcus calloſum, cum excreſcentia fungoſa; cerebrum ſero, libræ dimidiæ pondus æquante, refertum, eoque pleni ventriculi laterales. Ventriculi tertii orificium anterius naturaliter apertum, poſterius vero clauſum & coalitum. Ipſe hic ventriculus turgeſcens, membrana craſſa & calloſa obductus, e qua ſubſtantia fungoſa, ad inſtar nucis avellanæ maioris, cruciformi nervorum opticorum coniunctioni incumbens. Reliqua ventriculi pars plena oleoſa flaveſcente foetida materia. Glandula pituitaria partim ulceroſa, partim una cum pineali & plexu choroideo ſcirrhoſa. *Obſ.* 4. Specialis renum hydrops in ſeptuagenario. Ren dexter libras duas cum dimidia ponderans, ſiniſter libras duas. Renum membrana adipoſa indurata, ſero flavo urinam redolente plena; interior ſubſtantia veſicularis, eodem liquore turgens. Subſtantiæ tum corticalis, tum medullaris, pars maxima deleta. *Obſ.* 5. In cadavere ſexagenariæ, aſcite extinctæ, ren dexter duplo maior naturali, eiusque pelvis capaciſſima, ſiniſter iuſto minor, cum vaſis ſanguiferis & ductu urinoſo valde coarctatis. *Obſ.* 6. Cadaver quadragenariæ, tabe pulmonum abſumtæ, ſiſtebat renis dextri ureterem duplicem, talem, ut uterque quaſi duplicem pelvim efficeret, & circa primam oſſis ſacri vertebram in formam literæ *y* coiret. Ren ſiniſter duas arterias recipiebat. *Obſ.* 7. Puer recens natus, ante limbum orificii

recti

Digitized by Google

recti habebat renitens clauſtrum membranaceum, cum magna abdominis turgeſcentia & duritie, quo acu triquetra pertuſo, meconium nigerrimum ſponte effluxit; ſed puer paucis poſt operationem horis motibus convulſivis periit. In cadavere apparuit meconium intra abdominis cavum effuſum; inteſtina tenuia turgida, cæterum non mutata; craſſa collapſa; pars coli, ubi directione transverſali ad regionem epigaſtricam tendit, ſphacelata & rupta. *Obſ.* 8. Puer recens natus, valde imbecillis, circa ultimas vertebras lumbares tumore lumbari cum ſpina bifida, e quo ſerum ſtillabat limpidum, laboravit. Caput ex parte fuit hydrocephalum; extremitates inferiores reſolutæ; urina & meconium, una cum tenuiſſimis alvinis impuritatibus, continuo effluxere. Curatione, per topica roborantia & comprimentia primum, deinde per aperturam, non admodum profundam, incaſſum tentata, puer viceſimo tertio ætatis die obiit. Sectio cadaveris oſtendit magnum hiatum a defectu partium lateralium vertebrarum lumbarium ultimarum. Tumorem internum auxit externus, a ſero rubello intra integumenta & duram matrem collecto proveniens. Tumore interiori aperto, profluxit humor limpidiſſimus, quo ſubſtantia interior medullaris mollior partim facta, partim conſumta fuit.

Obſervationes circa uterum hæ fere ſunt. *Obſ.* 1. Femina triginta ſex annorum, quæ numeroſum ediderat partum, poſt ultimum puerperium, per aliquot annos, adverſa valetudine uſa, laboravit tumore hypogaſtrii verſus regionem iliacam ſiniſtram, duro, ponderoſo, pugnum minorem æquante, extra tempus menſtrui fluxus parum ſubſidente, verſus id, & in eo ipſo, increſcente & obtuſe dolente. In eo ſtatu concepit aliquoties, ſed ſemper abortum paſſa bimeſtrem. Menſe ante mortem ultimo, ſine ſuſpicione graviditatis, in regione iliaca dextra doloribus correpta eſt, primo prementibus, interdum remittentibus, poſt auctis, & ad hypogaſtrium tendentibus, tandem fixis & pungentibus, cum alvo pertinaciter obſtructa, urinaque ſuppreſſa. Subito demum accedens afflictio torminoſa circa umbilicum & iliacam dextram regionem, una cum

febre inflammatoria, ægram ſexto die necavit. In diſſecto cadavere viſa ſunt: Omnium fere viſcerum abdominalium inflammatio, cum vaſis maioribus turgidis; uterus mollior inæqualiter turgens, gravido duorum menſium ſimilis, ſupra pelvis oram prominens, in dextro latere inflammatus; diligentius examinatus apparuit latior maiorque naturali, maxime circa fundum; tubæ inæqualiter extenſæ; pars uteri ſuperior ſatis craſſa & firma; corpus dextrorſum craſſeſcens, ſiniſtrorſum attenuatum; verſus orificium ſimilis utero gravido ultimis menſibus; in eius cavo latuit corpus durum, ſphæroidæum, capſula incluſum membranacea, quæ ex parte utero dextrorſum laxius adhæſit reticulari textura, cum ſiniſtra & poſtica parte uteri continuum conſtituens; capſula inciſa oſtendit corpus ſolidum, aſperum, durum, ſphæroidæum, hinc inde profunde ſinuoſum & tuberoſum, ponderis unciæ unius, ope telæ fibroſæ cum involucro coniunctum, externe oſſeo-lapideum, interne fibroſo-ſpongioſum, ex quo medio ſurgebat truncus fibris albicantibus rubellis, carnoſis, contextu celluloſo inter ſe coniunctis; ſubſtantia lapidea igni iniecta crepitavit, oſſea empyreuma redoluit, illa etiam cum nitri ſpiritu efferbuit, relicto ſedimento albo mucoſo, hæc vero non item, ſed tantum paucæ bullulæ ſubinde enatæ. Ovarium dextrum turgens, & cum tuba & veſpertilionum ala magis inflammatum fuit. Tubæ pars, verſus inferiorem aperturam, inſtar ſacci expanſa, continuit veſiculam humore limpido plenam, & corpuſculum opacum, quod & nudis & armatis oculis depictam homuncionis vix alterum tertiumve dierum ſeptenarium ſupergreſſi imaginem ſat diſtincte obtulit; aliud tuberculum eiusdem tubæ etiam continuit veſiculam membranaceam, priori craſſiorem, in qua corpuſculum carneum fibroſo-vaſculoſum; pars tubæ ſuperior conſtricta minimo oſtiolo in uterum hiavit. In tuba ſiniſtra, præter levioris inflammationis ſigna, nihil inſoliti. Obſervationem ipſam excipit prolixa epicriſis, qua 1) de embryone illo, 2) de altero illo corpuſculo vaſculoſo-fibroſo, 3) de concremento oſſeo-lapideo, magna diligentia, optimorumque ſcriptorum lectione, exponitur, ita, ut fere

fere omnia, quæ de conceptione tubaria annotata alibi ſunt, hic utiliſſime congeſta reperias. Epicriſin ſequitur illuſtratio præcipuorum momentorum in ea traditorum, ad caſum præſentem ſpectantium. *Obſ.* 2. In cadavere feminæ quinquagenariæ, ob hypochondriaco-hyſtericam affectionem, cauſasque morales, melancholicæ, autochiria & laqueo mortuæ, hepatis ac lienis infarctus, uterusque præternaturaliter ſe habens, fuit inventus. Scil. uteri pars, ſupra pelvim protuberans, obducta fuit capſula, ſuperne membranacea, alioquin craſſiori; cyſtide aperta, apparuit corpus ſat magnum ſphæricum, unciam unam cum dimidia ponderans, capſulæ fundoque uteri undique per telam celluloſam iunctum, externe circumdatum cruſta dura & oſſea, interne plenum materia pultacea & pinguedinoſa, ut ſolent tumores tunicati ex atheromate & ſteatomate compoſiti. Cadaver feminæ quadragenariæ, ex menſium anomaliis cachecticæ, dextri lateris paralyſi mortuæ, exhibuit capitis ventriculos ſero limpido repletos, plexum choroideum ſcirrhoſum, pulmones induratos cum pleura concretos, glandulas meſenterii obſtructas, hepatis infarctum, uterum ipſum naturaliter conſtitutum, tubas ſuperne & inferne obſtructas, dextram quidem retro ligamentum latum ductam, & cum eo, parva alæ veſpertilionum portione ſuperſtite, coalitam, ſiniſtram tendentem irregulari ductu per anteriorem & mediam ovarii hydropici faciem ad ligamentum latum, deleta fere ala veſpertilionum. Ovarium hoc hydropicum, globum æmulans, hydatidem comitem habuit verſus partem tubæ fimbriatam. Ovarii involucrum duplex erat membrana, externa craſſior, interna tenuior & vaſculoſa, continens humoris viſcidi, gelatinoſi, pinguis, uncias duas cum dimidia, nec non concrementum ex globulis cartilagineis compoſitum, quale etiam totum ovarium, dextrum conſtituebat. Humoris illius naturam inflammabilem ut exploraret Auctor, varia inſtituit experimenta. *Obſervatio* 3. exhibet monſtrum humanum bicorporeum, quinto graviditatis menſe excluſum. Fuerunt puellæ, partibus abdominalibus totisque pectoribus concretæ, unico capite gaudentes.

Obſervationi præmiſſa eſt diſſertatiuncula, de monſtrorum ortu & cauſis. *Obſervatio* 4. refert de utero bifido & bicorni, cum vagina duplici, feminæ annorum quinquaginta ſex, cui ob id vitium coniux officium coniugale numquam præſtare potuit. Fuit unicus tantum vulvæ ſinus, ſed vagina duplex, intus rugoſa, papillaris, valvuloſa; uterus ipſe ſepto communi diviſus, ſicuti in brutis, bicornis, ita ut quodque cornu proprio orificio hiaret. Hunc naturæ luſum, ob raritatem ſingularem, dignum iudicaveramus, qui oculis Lectoris, tabulis adiectis, ſubiiceretur, ſed non licuit eſſe tam falicibus, ut tabulis ipſis potiremur. *Obſ.* 5. de virginis viginti annorum cadavere facta eſt, ſic, ut iniectione vaſorum pelvis, confirmaretur illud dogma, vaſorum pelvis ordinem eſſe incertum, nec unum alteri facile, nec latus unum, in quo diſtributio vaſorum ex parte facta alteri exacte conveniat. Uterus huius virginis prorſus caruit orificio, ſic, ut nec ullum cicatricis veſtigium appareret. *Obſervatione* ultima continetur hiſtoria de plenaria orificii uterini prolapſi, & in ingentem molem extenſi, cum vagina relaxata concretione; cui occaſionem dedit inepta obſtetricis ſub partu tractatio. Inſolita ſimul obſervata in ea femina eſt craſſities veſicæ urinariæ muſculoſa, & fibroſo-ſpongioſa, qua cavitas eius non parum imminuta fuit. Femina ipſa, ob ceſſationem catameniorum præmaturam, chronice diu deliravit, & apoplexia ſeroſa denique eſt exſtincta. Prolixiores nos eſſe cum non patiatur ratio noſtri inſtituti, iudicium de ipſo Celeberrimi Auctoris præclaro opere ferendum commutamus cum ſignificatione deſiderii plurium obſervationum, eodem delectu congerendarum, eademque dictionis puritate, eodemque & chartæ & typorum & tabularum figurarumque nitore & ſplendore, exponendarum. Certe enim, ſi quis alius, *Boehmerus* V. doctiſſ. is eſt, qui his Anatomiæ ſtudiis, accendere lucem & poſſit, & velle omnino, merito credendus ſit. Sentient iſtud, quotquot Obſervationum eius Libros attente perluſtraverint, & cum iudicio legerint: quod pleroſque omnes anatomicarum rerum curioſos facturos eſſe, dubitandi non eſt locus.

ERNE-

Digitized by Google

ERNESTI AUG. SCHULZII EXERCITATIONES Philologicae. FASCICULUS I.

Berolini 1755. pl. 11. in 8.

Inſunt in hoc faſciculo exercitationes ſex, quaſi totidem numero flores, decerpti illi ac delibati ex amoeniſſimis utriusque philologiæ hortulis, ingenii atque doctrinæ Schulzianæ teſtes locupletiſſimi: quibus cognitis legendo, in ſpem maximam, & quemadmodum confidimus, veriſſimam inducti ſumus, fore, ut huic viro, qui tam bona ac præclara ſcribendi initia dederit, aliquando interiores litteræ multum, immo vero plurimum debeant. Atque earum exercitationum priores tres ſacri argumenti ſunt, pari numero poſteriores, profani: agiturque I.) de Ϲιληνολατρεία Samaritanis impacta. II.) De Ononychoto Deo, Chriſtianis quondam afficto. III.) De circumciſione Iudæorum medica, ad Ioh. VII, 21. 22. 23. IV.) De Cimbrorum appellatione. V.) De Cimbrica Francorum Origine. VI.) De capite taurino, in monumento Childerici reperto, antiquiſſimo Francorum inſigni. Nos, cum in locum ſatis amplum venerimus, de ſingulis ſigillatim, atque adeo de *prima exercitatione* primo loco, dicemus. Sileni cultum, quem profanæ ſuperſtitiones Bacchi comitem, famulum, ac pædagogum finxerant, Samaritanis, quamvis falſo, tributum fuiſſe, ſuſpicari licet: partim ex duobus numis urbis *Sichem*; partim ex Pauſaniæ loco, de ſepulcro Sileni in terra Pag. 3.
Hebræorum reperiundo. Numos ipſos exhibet Vaillantius, in numiſmatibus Colon. Ac numus alter quidem oſtendit 4.
capita Philipporum, patris & filii, iugata atque laureata, cum hac inſcriptione: I. I. M. M. C. C. PHILIPPIS AUGG. id eſt, Imperatoribus Marcis Cæſaribus Philippis Auguſtis. In parte averſa templum conſpicitur, vertici montis impoſitum: montis radicibus ſubiecta eſt aquila, expanſis alis: lateri vero adſtat Silenus, ut rem humeris ſuſtinens, in eaque parte inſcriptum eſt: COL. NEAPOL. NEOKORO. *Colonia* Neapolis Neocoros. Alterius numi utraque pars conſimilis eſt priori, niſi quod in hoc aquila deſideratur, & in huius adverſa:

Digitized by Google

D. D. N. N. PHILIPPIS AVGG. in averſa: COL. SERG. NEA-
Pag. 7. POL. legitur. Atque hos numos Vaillantius, Harduinus, Re-
landus, aliique eodem genere doctrinæ præſtantiſſimi viri,
iam adiudicarunt urbi Sichem, quæ extremo tempore dicta
eſt Neapolis, uti ex *Ioſepho* de bello Iud. Libr. IV. c. 8. &
ex aliis numis apparet, ubi eadem *Flavia* audit, in honorem
Veſpaſiani, qui eam multis ornamentis auxerat. Subdubitat
Cellarius, cum plures commemorentur eiusdem nominis ur-
bes, neque illi numi Palæſtinæ Neapolin planiſſime demon-
ſtrent. Quæ dubitatio, cum in hiſce numis quæſtionis fun-
damentum poſitum ſit, quo in loco lubrico atque inſtabili lo-
cato, totum opus nutare cogitur ac vacillare, poteſt ſane non-
nullam tarditatem ad probandam Schulzii, & eorum, quos
auctores habet, ſententiam afferre. Nihiloſecius tamen ipſi
tollere eam dubitationem non placet, ſatisque habet, ſuſpi-
cioni ſuæ ex iſtis numis aliquam fidem atque auctoritatem fa-
8. cere. Igitur Colonia illa *Sergia* appellatur: quod nomen, ut
noſtro videtur, vel a *Sergio*, qui coloniam deduxerat, vel a
9. tribu *Sergia*, quæ coloniam dederat urbi, accepit. Urbs
Sichem, noſtro enim perſuaſum eſt, hanc ipſam eſſe Neapo-
lin, fano Garizime ſuperbit, atque ea de cauſſa Neocoros
dicitur, ut propter nobiliſſimum templum Epheſus, Actor.
XIX. v. 35. Senis forma propter montem cum uterculo ad-
ſtantis, ac Silenorum imaginibus, in aliis monumentis anti-
quis, longe ſimillima, non ruſticum aut colonum, qualem
10. ſibi in his numis videre viſus eſt Harduinus, ſed ipſum Sile-
num haud dubie prodit. Ex quibus hoc efficitur, ut creda-
11. mus, iſtis numis Sileni cultum atque religiones ſignificari,
cum Deorum imagines, templis adpictæ, ſacra, quæ ibi co-
lantur, demonſtrare ſoleant. Quam rem & nos quidem ve-
riſimillimam exiſtimaremus, ſi quidem, Harduini opinionem
falſiſſimam eſſe, ſatis conſtaret. Quid autem, inquis, cum
Sileno, cum tam profana ſuperſtitione Samaritanis, unum
Dei numen, idemque cum Iudæis, certe poſt ſacra a Manaſſe
12. purgata, conſtanter ac ſumma cærimonia colentibus? Sama-
ritani Deum, יהוה, nefas habebant nominare, eoque, qui
pro-

Digitized by Google

proprio nomine ipſis eſſet ΙΗΥΗ, eum שמא Schima, vel Sima, vitio linguæ, vocabant. Enimvero Deus Sima, ex romana interpretatione, alius quam *Simus*, *Simius*, aut *Silenus*, Pag. 13.
eſſe non poterat. Neque vero admirabile eſt, nominis ſimilitudine, in tantum errorem Romanos inductos fuiſſe, cum 14.
Iudæi, odio gentis Samaritanæ impulſi, eundem שמא, in אשמא, Chamathæorum idolum, 2 Reg. XVII, 30. convertere non dubitarint: & Abenezra adeo, in Pentateuchi primordio, loco nominis אלהים, a Samaritanis אשמא poſitum eſſe, per impudentiſſimam calumniam ſcripſerit. Iſte 15.
אשמא, ex ſententia Iudæorum, eſt hircus, aut dæmon, ad hirci naturam proxime accedens: cuius generis dæmones iſti quidem שעירים appellant: unde Satyrorum nomen, quos ſeniores Silenos dictos eſſe, *Pauſanias* docet in Atticis c. XXIII. tractum multis, iisque doctiſſimis viris, videtur. Præterea 16.
Romani habebant opinionem, ut ex *Plutarchi* Sympoſ. Libr. IV. Probl. 5. manifeſtum eſt, Bacchum a Iudæis, quorum religiones religionibus populi Samaritani multis partibus ſimillimæ erant, divinis honoribus coli, ab iisque aſinum, tur- 17.
piſſimum genus animalium, ſacro penetrali conſecratum eſſe: quod videre licet ex *Taciti* Hiſtor. Libr. V. c. 3. & 4. Iudæi 21.
quoque eiusdem probri inſimulabant Samaritanos. Aſino vehi Silenus ſolet: ebrius ſenex ſuo ſemper in aſello hæret. Deus igitur Samaritanorum, Romanis, non una de cauſſa Sile- 22.
nus videri potuit. Atque is Silenus in numis Neapolitanis utrem ſuſtinet, ad ingenium urbis Sichem, naturamque montis Garizim, uberrimi, maximeque fertilis, accommodatiſſi- 24.
me, per quem multæ propter fecunditatem lætificæ vites ſerpebant, ad illam ætatem, inde ab antiquiſſimis temporibus, quibus iam Ephræmitarum vites, iſtas regiones olim incolentium, ac ludi vindemiales, celebrantur Iud. IX, 27. ipſique ad eo שכרים *ebrii* dicuntur. Ieſ. XXVIII, 1. In regione autem vitifera regnat, vigetque, Silenus. Samaritani igitur, quamvis aliud quidvis, immo Curios ſimularent; Bacchanalia tamen vivere, atque Sileno, ipſis Sima dicto, litare videbantur. Atque hactenus quidem de numis, Silenolatrian iſtam argu-

Digitized by Google

arguentibus. Nunc deinceps *Pauſaniae* locum, quo noſter
Pag. 5. 25. perſuaderi rem planiſſime putat, cognoſcamus. Atque is in
Eliacis Lib. II. c. 24. ſcribit: *θνητον δε ειναι το γενος των*
Σιληνων εικασαι τις ἀν μαλιστα ἐπι τοις ταφοις αὐτων.
ἐν γαρ τη ἑβραιων χωρᾳ Σιληνου μνημα, και ἀλλου Σιληνου
Περγαμενοις ἐστι. Sepulcra Deorum in eorum templis quæ-
renda eſſe, multis demonſtravit *Euſebius* in Præparatione
Evangelica Lib. II. c. 6. cui titulus eſt: *περι του νεκρων ειναι*
ταφους τα καλουμενα αὐτων ἱερα των Θεων. Itaque Pau-
ſanias, Sileni ſepulcrum in terra Hebræorum memorans, fa-
num eius, atque religiones iſtis in finibus, ſignificaſſe videtur:
ac veriſimile eſt, non aliam partem terræ Hebræorum, quam
26. agrum Sichemenſem, ab eo intelligi. Etenim propter urbem
Sichem, Iacobus ſuorum idola in terram defoſſa abdiderat,
Geneſ. XXXV, 4. Itidem ſcriptum eſt in antiquo quodam
Samaritanorum chronico, quod *Relando* in diſſertatione de
monte Garizim laudatur, ſacra vaſa in monte Garizim, Pon-
tifice Ozi, vel Huzzi, cuius 1. Chron. VI, 6. mentio fit, iuſſu
27. divino abſcondita eſſe. Sunt denique Sichemenſibus monu-
menta ſepulcralia Ioſephi, & aliorum patriarcharum, quibus
ad hodiernum usque diem, ut ex eorum litteris ad Scalige-
rum & Ludolphum evidens eſt, non mediocriter gloriantur.
28. En igitur monumenta atque ſepulcra, per omnem Palæſtinam
celeberrima, in eodem loco reperiunda, ubi templum Deo
Sima conſecratum deprehendimus.

Exercitatio II. inſcribitur de Ononychoto Deo, Chriſtianis
31. quondam affictо. Ononychotus iſte, auribus aſininis, al-
tero pede ungulatus, librum geſtans atque togatus, res ex
duobus Tertulliani locis ſatis nota, & apud ſtudioſos litera-
rum ſacrarum pervulgata eſt. Sed enim nec nomen ſcribi,
nec vero gryllus iſte eodem modo, ſed varie ſolet exponi.
41. Noſter unice probat nominis figuram in inſcriptione exercita-
tionis poſitam, & cum Heinio ex tribus græcis, *ὀνος*, *ὀνυξ*,
& *ἐς* conformatam eam eſſe exiſtimat. In explicanda autem
huius commenti origine, duas ſibi leges facit, quas ipſius ma-
45. lumus, quam noſtris verbis, tradi. „I.) Auctor editionis erat
„Iudæus,

„Iudæus, quod enim, inquit Tertullianus, aliud genus eſt ſe-
„minarium infamiæ noſtræ? ex eodem igitur ſeminario eru-
„enda eſt figmenti origo. Perluſtranda ſunt convicia, qui-
„bus Iudæi Servatorem noſtrum, & nosmet inſectantur.
„II.) Non Deum vero duntaxat, aut dæmonem aliquem, ſed Pag. 46.
„dæmonem humana carne veſtitum, *θεανθρωπον*, Chriſtia-
„norum Meſſiam, ſibi depingendum ſumſit.“ Ac Iudæi qui- 47.
dem, etſi apud eos magno in odio omnes gentes erant, acer-
biſſime tamen ac penitus oderant Samaritanos: cuius rei
vel unus Eccleſiaſtici locus fidem fecerit, c. L. v. 25. 26. Ἐν
*δυσιν ἐθνεσι προσωχθισεν ἡ ψυχη μȣ, και το τριτον ȣκ
ἐϛιν ἐθνος. οἱ καθημενοι ἐν ὀρει Σαμαρειας* (rectius legitur
Σειρ) *Φυλιϛιειμ, και ὁ λαος μωρος ὁ κατοικων ἐν Σικιμοις.*
Ex eodem numero hominum eſſe diviniſſimum Chriſtum, at- 49.
que adeo dæmonem habere, iidem Iudæi invidioſiſſime cri-
minabantur, Ioh. VIII, 48. quem locum noſter ſic *περιφρα-
ζει*: „Samaritanus es, eundemque cum Samaritanis colis dæ-
„monem, huius dæmonis ſenſu plenus es, atque caleſcis, hu-
„ius impulſu loqueris, mentiris, inſanis.“ Perſuaſum autem 50.
eſſe cupiebant, Aſchima, hircum, vel Satyrum, aut Thar-
thak, aſinina ſpecie idolum, a Samaritanis coli. Atque eius-
modi monſtrum quoque in animo habuiſſe videtur Iudæus
Tertulliani, cum iſtam picturam in Chriſtianos proponeret.
Alium præterea aſinum in campis Chriſtianorum ſibi videre 53.
viſus eſt Celſus: quæ calumnia, uti docet Origenes, ab Ophi-
tarum diagrammate, Perſarum myſteriis longe ſimillimo, 55.
haud dubie promanavit. Atque dæmon iſte, Celſo *θαφα-
βαωθ*, Ophitis *θαρθαραωθ*, etiam *ὀνοηλ* appellatus, potuit
quoque perditum Iudæum ad proponendam in Chriſtianos
picturam impellere. Neque vero Deum tantum, ſed *θεαν-* 57.
θρωπον, Chriſtianorum Meſſiam, deformare inſtituiſſe videtur
iſte nebulo. Monſtrum enim hoc eſt auribus aſininis al-
tius prominentibus, quales fuiſſe Midæ, fabulæ perhibent.
Dedit eidem aſini ungulam, ut ex ungue ſtatim hunc leonem
cognoſcere liceret, Zachar. IX, 9. Cum vero Chriſti perſona 71.
in duabus naturis cernatur, humana altera, altera divina, fe-

Digitized by Google

cit idem alterum pedem humanum. Veſtivit Deum Chriſtianorum toga, cuius uſus poſt Auguſti tempora exoleverat, & indecens habebatur. Liber autem, quem manibus tenet, nullus eſt alius, quam Chriſtianorum תורה. En igitur magnum Chriſtianorum myſterium! en θεανθρωπον Meſſiam, Chriſtianorum Deum!

Pag. 76. *Exercitatio III.* eſt de circumciſione Iudæorum medica. Chriſtus ægrum hominem gravi ac diuturno morbo, nulla, niſi unius vocis adhibita medicina, ſanaverat, idque ei ſingulare, ac vere divinum beneficium, die Sabbati tribuerat. Factum indigniſſime, clamitabant Iudæi, quod eo facto Sabbati
77. religiones vehementer imminutas eſſe putabant. Itaque Chriſtus ſe, ſuamque famam defenſurus, ſic argumentabatur Ioh. VII, 21. 22. 23. *ἀπεκριθη ὁ Ἰησους, καὶ εἰπεν αὐτοις, ἑν ἐργον ἐποιησα, και παντες θαυμαζετε. δια τουτο Μωσης δεδωκεν ἡμιν την περιτομην, (ουχ ὁτι ἐκ του Μωσεως ἐστιν, ἀλλ' ἐκ των πατερων,) και ἐν σαββατω περιτεμνετε ἀνθρωπον. εἰ περιτομην λαμβανει ἀνθρωπος ἐν σαββατω, ἱνα μη λυθη ὁ νομος Μωσεως, ἐμοι χολατε, ὁτι ὁλον*
78. *ἀνθρωπον ὑγιη ἐποιησα ἐν σαββατω.* Quo quidem in loco diviniſſimus Servator totius corporis ſanationem, (paralyticum enim, ut videtur, ac hominem totius corporis doloribus oppreſſum, relevarat,) Sabbato peractam, opponit Iudæorum circumciſioni, quæ in eundem diem Sabbati, profecto ſæpe, ac
79. neceſſario incidebat. Ac ſunt, qui cum Stengelio, medicamentum ſignificari putent, quod vulneri, circumcidendo membro facto, apud Iudæos præſto eſſe ſolebat; quorum nomina ab Heumanno in explicationibus N. T. P. III. p. 350. traduntur: ita ut omnis diſputatio eo redeat, ſi vobis Iudæis non eſt religioni, membro circumciſione læſo, ipſo die Sabbati mederi, eiusque dolores, adhibitis fomentis, mitigare; quanto magis licebit mihi, hominem totum, paralyſi ac graviſſime per annos octo & triginta laborantem, tali die ſanare.
80. At enim noſtro iſta ſententia, quamvis pleriſque arrideat, non omnino probatur, videturque ei, non tam membri amputati ſanatio, quam ipſius circumciſionis vis medica ac ſalutaris

Digitized by Google

taris, intelligenda eſſe. „Quodſi enim, inquit, Servator non Pag. 81.
„ipſam circumciſionem, eiusdemque uſum medicum, quem
„tenebant Iudæi, ſed vulneris ſanationem tantummodo in-
„tendiſſet, Iudæi omnino inferre potuiſſent: ſi Sabbato cir-
„cumcidere licet infantem, medica etiam manus ſtatim ad-
„movenda eſt vulneri; vitæ enim periculum alias incurreret
„infans. Vitæ periculum pellit Sabbatum. Tale vero peri-
„culum nequaquam in homine iſto timendum erat, qui iam
„triginta atque octo annis decumbebat, cuius ſanatio adeo
„procraſtinanda fuiſſet.“ Simili plane argumento adverſis
Chriſtum utebatur Archiſynagogus Luc. XIII, 14. Inguinis 84.
autem morbum, iam in infantibus, per circumciſionem præca-
veri poſſe, antiqua fuit Iudæorum opinio, ut ex *Philonis* de
circumciſione libro manifeſtum eſt; qui inter eius cauſſas &
hanc refert, ut caveatur morbus admodum difficilis, quem
carbunculum, ἄνθρακα, vocant. Cæterum, an iſto morbo
præputiati crebrius, quam cæteri tentari ſoleant? an malum
illud circumciſione depelli, aut certe caveri poſſit? an deni-
que Deus & eius mali cavendi cauſſa, circumciſionis cærimo-
niam Iudæis commendaverit, nec ne? id vero noſter ſe pror-
ſus neſcire fatetur. Certe ex Chriſti ſermone id effici poſſe
deſperat, & omnem diſputationem κατ' ἄνθρωπον inſtitutam,
adque Iudæorum opiniones accommodatam eſſe, autumat;
ut diſputationis vis hæc ſit: „ſi Sabbato circumciditis infan- 88.
„tem, ut in particula corporis morbum caveatis, qui tamen
„eam partem nondum invaſit; quid iam mihi ſuccenſetis,
„quod hominem omnibus nervis reſolutum, & iam triginta
„atque octo annos decumbentem, morti proximum, ἀλεξι-
„κακῶ verbo totum ſanavi!“

Exercitatio IV. de Cimbrorum appellatione. Præter Cim- 91.
bros, quos Feſtus atque Plutarchus latrones interpretantur,
multis, & ſuis & Romanorum cladibus, nobilitatos, commemo-
rantur a ſcriptoribus Cimmerii, in Italia ad ſinum Baianum
latitantes, & vero alii Pontum Euxinum accolentes. Super- 92.
ſunt itidem in Britanniæ partibus, in Wallia atque Cornwal-
lia, Cambri aut Cymræi, a Cimbris oriundi, apud quos avitæ

 linguæ

Digitized by Google

linguæ uſus nondum exolevit. Quæ omnes gentes oras ma-
ritimas tenebant, ac piratica facienda victum quærebant. Ex
quibus propoſitis efficitur, ut Cimbrici nominis interpretatio-
nem eam, ex antiqua Germanorum lingua, maxime probe-
mus, quæ variis eius nominis figuris maxime reſpondeat, &
ab ea ſignificatione, quam modo ex Feſto ac Plutarcho cog-
Pag. 94. novimus, proxime abſit. Igitur Cimbrorum appellatio, ut
& Cimmeriorum atque Cambrorum, videtur a navibus pirati-
cis derivanda eſſe, quas naves *camaras* vocabant. Eiusmodi
navibus utebantur Ponti Euxini accolæ, de quibus *Tacitus*
Hiſtor, Libr. III, 47. *quin & barbari contemtim vagabantur,*
fabricatis repente navibus, quas camaras vocant. Eius rei men-
tionem quoque alii faciunt, quos Lipſius, ac poſt eum, ſum-
mus Erneſtus, ad iſtum Taciti locum recenſet in notula; quæ
notula Lipſio-Erneſtina, aut nos egregie fallimur, aut noſtro
ſcribendi materiam ſatis uberem dedit. Vellemus, honoris
cauſſa nominaſſet aut Lipſium, aut Erneſtum, aut, quod
97. mallemus, utrumque. Sed redeamus in viam. Græcis quo-
que vehicula quædam concamerata ac contecta καμαραι di-
cuntur: quæ vehicula etiamnunc in partibus Germaniæ au-
diunt *Kammerwagens;* immo vero, quod nobis addere li-
ceat, currus iſte, quo novæ nuptæ dotalis ſupellex ad mari-
tum aſportatur, idem nomen apud plebem Miſnicam, & for-
taſſis etiam apud alios, habet. Iſtiusmodi plauſtris Cimbros
98. uſos eſſe, ex Plinio ac Strabone diſcimus. Camera nobis
Kammer, vel *Zimmer,* vocatur. Loco poſterioris veteres *Zim-*
ber pronunciarunt: quod & Helvetii ad hoc usque tempus fre-
99. quentant. Similiter faciunt Britanni in *Chamber, Chamber-*
lain, & Galli in *Chambre, Chambrier.* Pari ratione populi
iſti alias Cimmerii & Cimbri, alias Cymræi & Cambri appel-
lati ſunt. Gallis, teſte Feſto, genus aliquod vehiculi *Benna*
vocabatur, unde *Combennones,* qui eadem Benna veherentur,
uti apud nos, qui eadem camera continentur, *Kammeraden.*
100. Ab iſto ortum eſt Francogallorum *Compagnon,* Italorum
Compagno, Gothorum *Compan.* En igitur & hæc vocabula
nomini Cimmeriorum, Cimbrorum, atque Cambrorum, con-
ſonan-

Digitized by Google

ſonantia! Cum autem ſpe prædæ atque rapinarum, ſuis camaris, per omnes partes volitarent ac vagarentur; ſolebant exinde tales prædones communi nomine Cimbri appellari. Eiusdem originis ac ſignificationis eſt *Scamera*, quam vocem in Italiam ſecum Longobardi advexerunt. In eorum legibus, Pag. 101.
quas Rotharis ſanxit, ſcriptum eſt c. V. *Si quis Scameram intra provinciam celaverit.* Apud *Iornandem* de Rebus Geticis c. LVIII. *Et pleriſque abactoribus; ſcameriſque, & latronibus, undecunque collectis.* Et in literis Stephani Pontificis ad Pipinum, Carolum, & Carolomannum, quibus de continuis Aiſtulphi latrociniis conqueritur, ab *Eccardo* T. I. Comment. de Rebus Franciæ Orient. inſertis p. 538. *Scameras atque depraedationes, ſeu devaſtationes, in civitatibus & locis beati Petri facere ſua imperatione non ceſſare.* A cameris ſuis iſti prædones dicti ſunt Scameræ, adiecto ſibilo, quo Galli atque Itali gaudent, quemadmodum & Æoles, quorum dialecto latinam linguam valde ſimilem eſſe, ſcribit Quinctilianus, pro Cimbris Cκιμβρες dixere.

Exercitatio V. de Cimbrica Francorum origine. Francorum originem ultimam in Germania quærendam eſſe, omnis temporis conſtans ac perpetua fama perſuaſit. Eos 111.
vero primis temporibus intra Albim ac maris Baltici litora incoluiſſe, id ante Leibnitium nemo obſervaſſe videtur, ut ex eius de Francorum origine diſquiſitione nobiliſſima apparet. Qua in re ſummus ille vir ſecutus eſt auctoritatem Geographi 112.
Ravennatis, ſeculi ſeptimi Scriptoris, & Ermoldi Nigelli, in 115.
carmine nondum edito ad Ludovicum Pium, quod in bibliotheca Vindobonenſi adſervatur. Enimvero, multo antiquiores ſcriptores inveniuntur, eandem rem planiſſime docentes, quorum in numero in primis Eumenius eſt, Iulianus, Liba- 116.
nius. Atque ille quidem in Panegyrico ad Conſtantinum Imperatorem: *Quid loquar rurſus intimas Franciae nationes, non iam ab his locis, quae olim Romani invaſerunt, ſed a pro-* 117.
priis ex origine ſuis ſedibus, atque ab ultimis barbariae litoribus avulſas? Quo ex loco, ut iam la Chapelle admonuit, manifeſtum eſt, ſedes avitas Francorum trans Albim fuiſſe. Iſte

Digitized by Google

Pag. 118. vero in oratione I. ad Conſtantium Imperatorem commemo-
rat *Φραγγους και Σαξονας των ὑπερ τον Ῥηνον και την*
ἑσπεριαν θαλατταν ἐθνων τα μαχιμωτατα, atque iſtorum
quidem ſedes ab ea Francia, quæ ſit *προσοικος Ῥηνω*, diſtin-
guit. Petavius quidem, atque Spanhemius, loco *τȣ Φραγγια*
προσοικος, non ſine cauſſa *Φρουριον προσοικον* legunt. Nihi-
loſecius tamen verbis Iuliani non impedimur, quin Francos
ultra Rhenum, in vicinia Saxonum, atque adeo ultra Albim,
119. ad litora maris Baltici quæramus. Hic denique, Libanium
puta, in panegyrico in Imperatorem Conſtantium: *Ἐστι γε-*
νος κελτικον ὑπερ Ῥηνον ποταμον, ἐπ αὐτον Ωκεανον κα-
θηκον, ὁυτως ἐυπεφραγμενον πρὸς τα των πολεμων ἐργα,
ὡστε την προσηγοριαν ἀπ αὐτων ἑυραμενοι των πραξεων
ὀνομαζονται Φρακτοι, οἱ δε των πολλων κεκληνται Φραγ-
κοι, τȣτ᾽ ἐστι προσηγορια τῃ των πολλων ἀμαθιᾳ διεφθαρ-
123. *μενη*. Quibus auctoribus addi poteſt Freculphus ſæculi IX.
ſcriptor, in Hiſtor. Lib. II. c. 17. qui exploſa fabula de
Francorum Troiana origine: „alii, inquit, affirmant, eos de
„Scanza inſula, quæ vagina gentium eſt, exordium habuiſſe,
„de qua Gothi & ceteræ nationes Theotiſcæ exierunt, quod
„& idioma linguæ eorum teſtatur. Eſt enim in eadem in-
„ſula regio, quæ, ut ferunt, adhuc Francia nuncupatur.“
124. Antiquiſſima Francorum appellatio Frake aut Fræke, ut iam
Eccardus obſervavit, ſonabat. Reges Merovingicæ ſtirpis ſe
reges Fracorum nominabant: & in ſeptentrionis monumen-
tis, regio Francorum Frækeland appellatur. *Frak* aut *Fraek*
125. denotat peregrinantem, exulem, aut vagum. *Wrak* purga-
126. menta maris, huc illuc pulſa: unde Galli atque Itali ſuum
Varech, aut *Wreccum*, acceperunt, quod ſeptentrionalium
eſt *Vagraeke*, Cimbris atque Anglis adhuc *Wrac*. *Wagraeke*
autem vel *Vogrek* proprie ſignificat *maris accolas, nautas*, qui
128. ſemper in undis *fluctuant*. Quodſi igitur patria Francorum,
ex ipſo gentis nomine deſignanda eſſet, vocabulum ei foret
129. *Wagregia* aut *Wagrekia:* ex quo contracto exiſteret *Wa-*
gria, quam regionem, Francorum antiquiſſimam ſedem fuiſſe,
iam ante noſtrum *la Chapelle* cenſuit.

Exer-

Digitized by Google

Exercitatio VI. de capite taurino, in monumento Childe-
rici reperto, antiquiſſimo Francorum inſigni. Quod tau-
rinum caput, ex obryzo conflatum, anno prioris ſeculi LIII.
in Childerici I. monumento, Tornaci repertum, Chifletius
quidem ab Ægyptiis, Apidis cultoribus, la Chapelle autem a Ro-
manis, Plutoni ac Proſerpinæ tauros immolare ſolitis, repeten-
dum putavit, id caput noſter in ipſa Germania, atque adeo
in patria Francorum, ſibi deprehendiſſe videtur. Cimbrorum Pag. 143.
inſigne erat taurus æneus: hunc in prælia ferebant: per eun-
dem iurabant. Cæſis ad internecionem Cimbris, eiusmodi
taurus, ut eſt apud Plutarchum in Mario, in poteſtatem Ca- 144.
tuli, ac domum pervenit. Non autem ſolum taurum ipſum,
ſed eius quoque caput ſeparatum, in Germania ſeptentrionali
reperire licet. Ac Teutobochi ſtatua, quam apud Weſtpha-
lum Tom. III. Monument. Cimbr. effictam cernimus, tauri
capite munita terrorem facit. Idem caput exhibent numi
complures, in viſceribus terræ Megalopolitanæ reperti. Im- 145.
mo illud ipſum caput, ad hodiernum usque diem, clariſſimum
Wagriæ ac Megalopolitani Ducatus inſigne eſt, veteris Mau-
ringaniæ, patriæ Francorum. Igitur in ipſa Germania, ac 146.
Francorum natali ſolo, tauri religiones quærendæ videntur.
Maxima autem & antiquisſima cærimonia, a maioribus terra 147.
colebatur, inprimis a gentibus iſtis ſeptem, in quibus nil
quicquam notabile eſſe, *Tacitus* de Mor. Germ. c. 40. ſcripſit,
niſi quod in commune *Herthum (Hertham)*, id eſt Terram
matrem colerent, eamque intervenire rebus hominum, in-
vehi populis arbitrarentur. Iſta dea nobis eſt *Erde:* quod 148.
nomen etiamnunc in partibus Germaniæ *Herde* pronunciatur.
Helvetii dicunt, *herdſaellig werden, in terram,* ſive *humi pro-
cidere;* den *Herd küſſen*, *terram deoſculari.* Cimbris itidem
erat *Herd*, quod nonnullis Germanorum *Gau, Pagus* audit;
hinc omnes fere pagi Ducatus Slesvicenſis in *herd* deſinunt:
& qui in pagis ius dicebant, Hæradshoefding nominabantur. 149.
Præter iſtas gentes, Semnones quoque, Suevorum vetuſtisſimi 151.
ac nobilisſimi, Marchiæ Brandeburgicæ habitatores & incolæ,
terram, dearum numero habebant, nomen ſuum ab eadem
nacti;

Digitized by Google

Pag. 153. nacti; *Same* enim, ac *Seme*, nihil aliud lingua Scythica eſt,
155. quam terra. Atque iſta dea Hertha, cum rebus hominum intereſſe cuperet, bubus feminis invehenda erat, proſequente ſacerdote, cui uni deæ vehiculum attingere licebat, atque
156. omnes earum boatus, atque greſſus, omnia præſagia atque monitus, curioſe obſervante. Eius deæ multa extant ſimulacra apud Weſtphalum, qui eam ex antiquo Stapelholmenſi monumento, Monum. Cimbr. T. IV. Tab. H. expresſit. Conſpicitur ſacro curru, quem cornua cervorum ambiunt, vecta, iunctis binis vaccis, dextra tenet ariſtas, ſiniſtra clavem, veſtimentum ſpicis & capitibus taurinis exornatum eſt. En igitur, noſter addit, caput taurinum, ſuperſtitionis inſigne, nobis ſimul in monumento Childerici repertum!

Neque vero nos aliud ſumus addituri, niſi hoc unum, quod noſtro videatur, illud inſigne conditum cum Childerico, ultimum fuiſſe eius generis inſigne inter Francos, inde a Clodovæi temporibus, Chriſtianorum ſacris imbutos, qui abolendæ prioris ſuperſtitionis cauſſa, ac quaſi ſepeliendæ, illud eodem ſepulcro, quo regem, condidiſſent. Ac ſic quidem taurinum caput, eius gentis inter inſignia haberi deſiiſſe. Rurſus autem, Wagris & Megalopolitanis, ad quos eadem ſacra aliquanto ſerius penetraſſent, antiquisſimum illud Francorum inſigne, ad hodiernum usque diem, retineri. Quæ quidem, ut cætera tradita his exercitationibus, ut habent ſane aliquam ſpeciem veri, ita longe verisſima eſſe, nobis quidem, quamvis alios neſciamus, perſuaſum non eſt.

ANONYMI INTRODUCTIO ANATOMICA GR. & Lat. item HYPATUS de partibus humani corporis Gr. & Lat. cum notis DAN. WILH. TRILLERI & IO. STEPH. BERNARD: Accedunt figurae anatomicae cum explicatione Graeca, nunc primum ex codice bibliothecae Leidenſis editae.

Lugduni Batavorum, apud Philippum Bonk, plagg. 13. Tabb. æn. 3. 8. mai.

Alacri-

Digitized by Google

Alacriter pergit Cl. *Bernard* in edendis Græcis ſcriptoribus medicis, quorum exemplaria iam rarius in tabernis librariis inveniuntur, ſiſtitque eruditis lectoribus *Anonymi introductionem anatomicam*, cui, quia verſatur in eodem argumento, comitem dedit *Hypatum de partibus humani corporis*. Quum *Anonymi* libellus, ſi paucos locos exceperis, ex *Ariſtotele* exſcriptus ſit, nihilque de ætate ſcripti conſtet, nec certum ſit, unde acceptum librum *Petrus Laurembergius* ediderit; non defuerunt, qui a *Laurembergio* conſcriptum ac ſuppoſitum arbitrarentur. Quia tamen loci nonnulli huius ſcripti ab *Ariſtotele* diſſentiunt, nec manifeſti errores ex *Laurembergii* ſententia emendati ſunt, prætereaque notum eſt, optimos quoque ſcriptores excerpendi atque contrahendi olim tenuiſſe conſuetudinem, *Bernardo* eiusque in emendandis his anatomicis ſcriptis ſocio, *Dan. Wilh. Trillero*, Clariſſimis Viris, non abſonum videtur credere, ex ſummæ apud veteres auctoritatis philoſophi introductione anatomica, non proximo demum ſeculo, hæc excerpta fuiſſe. De tempore ac loco, quo primum in lucem prodierit hæc anatomica inſtitutio, non magis conſtare videtur, quam de nomine & ætate auctoris. *Conringii, Fabricii* ac *Douglaſſii*, qui Hamburgi anno præteriti ſæculi ſexto decimo ſcriptum iſtud editum teſtantur, non ita leviter apud bonos fundata fides eſt, ut omnes facile credituri videantur, hos viros in re tam clara lectoribus ſuis imponere aut voluiſſe aut potuiſſe. Quia tamen Hamburgenſe exemplar omni cura per amicos inquiſitum nusquam nanciſci potuit Cl. *Bernardus*, nec quisquam ei id ſibi viſum affirmavit, in coniecturam ſatis probabilem incidit, inde factum eſſe, ut *Conringius*, quem cæteri in hac re nimis creduli ſint ſequuti, Hamburgi auctorem illum publicatum eſſe putaverit, quia *Laurembergium* ibi Profeſſoris munere functum eſſe conſtet. Semel itaque *Anonymum* ſuum prodiiſſe contendit novus editor, Lugduni Bat. anno poſt milleſimum ac ſexcenteſimum duodeviceſimo, apud Elzevirios.

Res certior eſt de *Hypato*, quem medio ſæculo quinto decimo vixiſſe & conſulem, (unde *Hypati* nomen ſortitus eſt)

 Ro-

Romanum fuiſſe, atque ex codice ſatis certo a *Steph. le Moyne* tom. I. *var. ſacror.* p. 513. publicatum eſſe, inter omnes conſtat. Nunc videbimus, quid in utroque libello hac nova editione præſtitum ſit. In exſcribendo *Anonymo* Elzevirianum exemplar, quamvis erroribus typographicis valde deformatum, quia aliter facere non potuit, ſequutus eſt clariſſimus editor. A Celeberrimo Viro, *Dan. Wilh. Trillero,* rogavit & impetravit obſervationes, quas ſuis adnotationibus inſeruit. Interpretationem *Laurembergii* Latinam, quamvis non omnibus numeris abſolutam, ne interpolatoris perſonam ferret, noluit emendare. Commentationibus, quibus *Laurembergius* illuſtraſſe ſuum *Anonymum* fertur, uti Cl. *Bernardo* non licuit. Primam igitur curam in eo poſuit, ut *Ariſtotelis*, ex quo compilatum eſſe *Anonymi* librum ante dictum eſt, locos inveſtigaret, & quoscunque invenire poſſet in adnotationibus indicaret. In verbis auctoris præter errores a typothetis in priora exemplaria invectos, nihil immutandum ſibi cenſuit. *Hypatum*, quem ſimul edidit, ita perſpicue ſcripſiſſe pronuntiat, ut vel a tironibus ſine adminiculo Latinæ interpretationis intelligi queat. *Stephanum le Moyne* quamvis eum egiſſe interpretem agnoſcat, qui intelligendo auctori plus offecerit, quam lucis ei affuderit, tamen, ne quid omiſiſſe temere videatur, interpretationem eius exemplaribus ſuis adiecit. Præterea tabulas anatomicas tres e codice MS. bibliothecæ Leidenſis beneficio humaniſſimi viri, *Abr. Gronovii,* accepit, quas aeri incidendas libroque ſuo addendas curavit. Quamvis ætatem codicis definire non audeat, tamen has tabulas omnium, quotquot adhuc publici iuris factæ ſint, antiquiſſimas eſſe inde iudicat, quia *Iac. Berengarius* Carpenſis Bononiæ, anno demum quinto & viceſimo ſæculi decimi ſexti, anatomicas imagines edidiſſe credatur. Lugdunenſis codicis tabulæ externas tantum corporis humani partes earumque nomina exhibent, aut loca ſub quibus lateant viſcera deſignant, rudi præterea calamo depictæ ſunt. Non tamen Cl. *Bernard* eas mutandas aut ornandas duxit, quum antiquitatis amantibus vel ſine mangonico fuco, immo ſic maxime placituras videret. Errores typo-

Digitized by Google

typographicos tollendi laborem cum Cl. *Bernardo* partitus eſt vir doctiſſimus, *Io. Iac. Reiske*, cuius etiam coniecturis, inter corrigendum ipſi ſubnatis, in fine libri aliquot folia conceſſa ſunt.

Supereſt, ut obſervationes nonnullas virorum doctorum, quibus ſcriptores hos emendare & explicare conati ſunt, enotemus, noſtrumque de iis iudicium feramus.

Anonymus cap. XI. p. 18. hæc habet: τὸ Εὐθυέντερον, ὅτι πρὸς τὴν ἔξοδον διατείνει τῦ περιττώματος. Apud *Ariſtotelem* legitur: τὸ δὲ μετὰ τῦτο εὐθὺ πρὸς τὴν ἔξοδον κ. τ. λ. Hinc Cl. *Bernard* emendandum putat in *Anonymo* ſuo: τὸ Εὐθυέντερον εὐθὺ, ſive ὃ εὐθὺ, πρὸς τὴν ἔξοδον κ. τ. λ. Pace viri docti dicamus, apud *Ariſtotelem*, quia non præceſſerat vocabulum εὐθυέντερον, iſtud εὐθὺ neceſſarium erat, in *Anonymo* non item. Et ὅτι, ſi cum Latino interprete pro ὅ, τι accipiamus, commodum ſenſum facit.

Similiter cap. XVI. p. 28. pro verbis *Anonymi* διψητικά τε ταῦτά ἐςι μάλιςα τῶν ζώων, καὶ δεῖται τροφῆς ὑγρᾶς, *Ariſtoteles* habet: καὶ δεῖται τροφῆς ὐ μόνον ξηρᾶς, ἀλλὰ καὶ ὑγρᾶς πλέον. Agnoſcit Cl. Editor, *Anonymum* hic epitomatorem egiſſe & omiſiſſe verba: ὐ μόνον ὑγρᾶς, ἀλλὰ καὶ τῆς. Particulam vero πλέον poſt vocem ὑγρᾶς reſtituendam *Anonymo* cenſet, quam tamen & ipſam commode abeſſe poſſe, & ab *Anonymo* omiſſam eſſe non dubitabit, qui meminerit, præceſſiſſe verba μάλιςα τῶν ζώων.

Cap. XXI. p. 40. Non videmus, cur pro τὸ μὲν γὰρ τὸ μόριον legendum ſit τῦτο μὲν γὰρ τὸ μόριον.

Cap. XLI. p. 84. Non optimo exemplo factum videtur, quod clariſſimus vir non dicam arripuit, ſed invitis Gratiis extorſit occaſionem aliquot ſcriptorum locos, quos ab aliis infeliciter tentatos credidit, lenioribus mediis ſanandi. Non reprehendimus eos criticos, qui emendationes ſuas in varios auctores commentariis ſuis oblata occaſione intexunt. Quis vero ſine indignatione ferat tales adnotationes: Ἀναπνεῖν] *Redit mihi in mentem locus Ariſtotelis, ubi male hoc verbum legitur lib. VIII. H. A. c. 27.* καὶ ἄλλο θηρίον οἷον ὁ ἠπίολος ὁ πε-

ὁ περὶ τὸν λύχνον πετόμενος. οὗτος ἐντίκτει τὶ χνοῦ ἀναπνέων. Cl. *Pauw in not. ad Philen p. 106. emendat τὶ χνοῦ ἀραχνείου. Verum nimis a vulgata ſcriptura haec emendatio recedit, malim itaque minori mutatione legere ἀναπλέον. Vulgatae vero lectionis veſtigia ubique, quantum fieri poteſt, legenda ſunt. Plutarchus de Fluviis c. 1. p. 2. ed. Mauſſaci οὐκ εὐτυχήσας δὲ περὶ τῶν συμβεβηκότων ὁ βασιλεὺς, τὴν μὲν ἐνεδρεύσασαν αὐτὸν γραῦν ζῶσαν κατέχωσεν. Pro οὐκ εὐτυχήσας Vir Celeberrimus in Obſervat. Miſcell. Vol. IV. Tom. II. p. 284. emendat κατηχηθεὶς. Sed liceat mihi modeſte hic a tanto Viro diſcedere; quamvis enim ubique haec locutio in libello iſto ſit obvia, tamen, quia nimis a priſtina ſcriptura recedit, vix auſim ei fidere, leviori idcirco mutatione forte legendum οὐκ εὐψυχήσας περὶ τῶν συμβεβηκότων ὁ βασιλεὺς &c. Alciphron lib. III. Ep. 58. p. 420. ὅνπερ οὖν τρόπον τοῖς λουτροῖς καὶ τοῖς σκεύεσι κοινοῖς κεχρήμεθα. Doct. Berglerus pro τοῖς σκεύεσι corrigit ταῖς στοαῖς, potuiſſet leviori mutatione legere τοῖς σκήνεσι.* Quid quæſo in tota hac, quantaquanta eſt, obſervatione dictum eſt, quod Anatomicum noſtrum vel tantillum explicare videatur? Quid ſi ne ipſis locis quidem ſcriptorum tantorum multum hac adnotatione conſultum eſt? *Alciphronis* certe locus in periculo verſatur, ne importuna medicina ex ſaniſſimo fiat morbidus. Ut lectores iudicare poſſint, locum Rhetoris uti connexus eſt dabimus. Ilienſis miles dicebat, meretrices debere cunctis expoſitas eſſe, eamque ſententiam ſimili illuſtrat: *ὅνπερ οὖν τρόπον τοῖς λουτροῖς καὶ τοῖς σκεύεσι κοινοῖς κεχρήμεθα, καὶ* [ſive ut mavult *Berglerus κἂν*] *ἑνὸς εἶναι δοκεῖ, οὕτω καὶ ταῖς εἰς τοῦτον ἀπογραψαμέναις τὸν βίον. Berglerus* legerat apud *Horatium: cur Non, ut* porticibus, *ſic iudiciis fruar iisdem?* ideo apud *Alciphronem ταῖς στοαῖς* reponendum putat pro *τοῖς σκεύεσι.* Male omnino. Primo enim voci *στοαῖς* non reſponderet numerus ſingularis ſequentis proxime verbi *δοκεῖ*, quod ſatis manifeſte arguit, neutrum nomen præcedere debere non femininum plurale. Præterea *τὰς στοὰς* male ad res, quæ *ἑνὸς εἶναι δοκοῦσι*, referri videmus.

mus. In *balneis* promiſcue lavabant homines pretio dato. *Balnea* igitur erant res, *quae unius eſſe videbantur*, nempe balneatoris, qui pecuniam a lavantibus exigebat. Uſu vero erant communia, quia cuilibet intrare licebat, & pretio dato lavare. *Porticus* vero publica erant ædificia, quæ nec *unius eſſe* videbantur, nec pro pecunia patebant, uti balnea, &, quas cum his comparat, Ilienſis miles, meretrices. Nec σκήνη, quæ Cl. *Bernard* commentus eſt, huc quadrare videntur. Σκεύη enim pro quolibet *inſtrumento*, quod pro pecunia conducitur, aut ſi hoc diſpliceat, de *inſtrumento balneario*, ex *Polluce*, *Digeſtis* & aliunde ſatis noto, commode accipere poſſis.

Cap. LVI. p. 126. Feſtinationi Cel. *Trilleri* condonandum eſt, quod ad verba ὀκ ἄν ἦν φθέγγεσθαι ita diſputat: *Malim paulo elegantius hic legere* ὀκ ἄν οἷον *id eſt* δυνατόν κ. τ. λ. Non animadvertit Vir doctus, hæc eſſe verba *Ariſtotelis* e lib. II. de part. an. c. XVI. extr. Nihil mutant vero exemplaria philoſophi, nec opus eſt. Non minus eleganter dici ἦν, quam οἷον, pro δυνατὸν ἦν, iniurii videri poſſemus, ſi exemplis auctorum congeſtis *Trillerum* docere velimus, qui non hæc minuta, ſed longe maiora docere ſolet, quoties gravia & multa, quibus diſtinetur, negotia recordandi & meditandi tempus ipſi concedunt.

Verba quæ proxime ſequuntur: τὰ μὲν γὰρ [γράμματα] τῆς γλώττης εἰσὶ προβολαί· τὰ δὲ συμβολαὶ τῶν χειλῶν. *Laurembergius* ſic reddidit: *aliquae beneficio linguae, aliquae labiorum exprimuntur.* Eandem ſententiam *Theodorus Gaza*, interpres Ariſtotelis, ita expreſſit: *quippe quum literae partim lingua producantur, partim labris comprimantur.* Doctiſſimo *Io. Iacobo Reiske* non vacavit excutere hunc locum, dignum licet, hæc ſunt ipſius verba, qui bene intelligatur. Nobis omnia clara atque perſpicua videntur, ſi Latine vertas: *Literarum enim aliae linguae ſunt obiectus, aliae compreſſiones labiorum*, aut ſi malis: *alias linguam obiiciendo, alias comprimendo labra efficimus.*

Cap. LIV. p. 120. *Anonymus:* Ἔχουσι δὲ, inquit, αἱ τοῦ ὠτὸς ἕλικαί μήνιγγά τινα, πρὸς τῇ ἀκοῇ, λεπτὴν ὥσπερ

 ἀράχ-

ἀράχνιον. Digna eſt celeberrimi *Trilleri* ad hunc locum adnotatio, quam integram lectoribus noſtris hic exhibeamus: *En elegantem perſpicuamque membranae Tympani deſcriptionem. Sed & Hippocrates ipſe eam iam venuſte depinxerat. Lib. de princip. aut Carn. p. 121.* Τὸ δέρμα τὸ πρὸς τῇ ἀκοῇ, πρὸς τῷ ὀστέῳ τῷ σκληρῷ, λεπτόν ἐστιν ὥσπερ ἀράχνιον, καὶ ξηρότατον ἠχεῖ μάλιστα. *Quum igitur ſubtiliſſima haec membrana, inventu facilis non ſit, quia in abſtruſo adyto, auri internae eſt oppanſa, ut Anatomicis notum, atque hinc acuta & accurata diligentia, atque delicata & ſuſpenſa manu, quaeri & inveniri debeat; hinc nemo non colligere liquido poteſt, ſtudium Anatomicum priſcis Medicis longe diligentius olim excultum fuiſſe, ac quidam noſtra tempeſtate eruditi perperam opinantur, quod ex inſtituto refellere animus eſt, debita tamen cum modeſtia, in noſtris ad Hippocratem Commentariis ad prelum fere paratis, ſi vitam & otium indulſerit amplius benignum Numen, ex cuius nutu humana pendent.*

Plures virorum cultisſimorum obſervationes ad ſcripta hæc anatomica commemorare ac merita laude proſequi ſupervacaneum iudicamus, lectoresque noſtros harum deliciarum cupidos ad ipſum librum ablegamus.

VINDICIAE ROMANORUM PONTIFICUM Benedicto XIV. dicatae, Auctore FRANCISCO ANTONIO CAVALCANTI, ex clericis regularibus, Archiepiſcopo Conſentino. Opus poſthumum.

Romæ 1749. ſumtibus Hieronymi Mainardi. Alph. 4. pl. 7. in fol.

Brevis præfatio, ab fratre Auctoris germano, *Dominico Andrea Cavalcanti*, præpoſita operi, lectores docere, imperitos ſcilicet, inſtituit, infallibilitatem Pontificis Romani extra omnem dubitationem eſſe poſitam, ita, ut nullis novis ac perlucidioribus argumentis egeat. Sed enim, inquit Præfationis conditor, perſpectum atque apertum habetur, ius magiſterii, una cum primatu omnium eccleſiarum, ab ipſo Chriſto

Chriſto Domino, Romanæ ſedi, Romaniſque Pontificibus, Petri ſucceſſoribus, concreditum fuiſſe, pro illis quoque exoraſſe coeleſtem patrem, ne deficeret eorum fides; hinc in dubiis intricatiſque difficultatibus, quæ ad religionis dogmata pertinebant, undique ſemper populi, reges, Antiſtitesque ad Romanos Pontifices, tanquam infallibilia reſponſa relaturos, convolarunt; & ipſi vi ſupremæ Cathedræ, divinitus datæ, absque ullo erroris periculo, etiam extra Concilium controverſiis finem impoſuere. Hanc tamen cauſam Auctor ulterius non attingit, cuius inſtitutum eo potius pertinet, ut quorundam Pontificum maculas abſtergere ſtudeat. Quo vero ſpeciem veri labor ipſius habeat, a Divo Petro, eiusque lapſu, exordium rerum enarrandarum capit. Ex hoc Præfamine ſatis unusquisque lectorum, pro ſua religionis profeſſione, habebit, quod de hoc Opere iudicet. Dabimus nunc indicem & ſummam dictorum. Septem ſunt libri, quibus totum Opus continetur. *Primus* de divo *Petro*, ut iam monuimus, Apoſtolorum Principe, inſcribitur, in quo, per quatuor diſſertationes, lapſus Petro Apoſtolo adſcripti recenſentur, & ipſe ab illis vindicatur. Inquiritur etiam, num Cephas, a Paulo reprehenſus, diverſus fuerit a Petro Apoſtolo, & tum contentio exponitur Hieronymi & Auguſtini, ſimulque evincitur, quod S. Paulus vere, & ſincero animo, non ex condicto, vel ex ſimulatione, S. Petrum reprehenderit. Denique lapſus Petri ab Hæreſis labe vindicatur. *Liber Secundus* excurſum & ſaltum omnino laxum facit a Petro ad *Marcellinum,* ſummum quondam Pontificem Romanum. Duo hic capita rerum in binis diſſertationibus expoſita ſunt. Primo referuntur momenta, ab Auctore Noſtro, quibus Critici, tum huius Antiſtitis Romani lapſum, idolis thura adolentis, commentum putant; tum Sinveſſanam Synodum, veluti fabulam lepidiſſimam, reiiciunt. Deinde exponuntur momenta, quibus nonnulli Scriptores, Marcellinum revera lapſum eſſe, eaque de cauſa Sinveſſanum concilium coactum fuiſſe, exiſtimant. Perluſtrantur hic ab Auctore diligentiſſime Acta omnia Concilii Sinveſſani, de Marcellini Papæ condemnatione,

tione, celebrati Anno P. C. N. CCCIII. uti etiam exhibentur Acta eiusdem Concilii, prout apud *Labbeum*, in *Conciliis*, extant. Progreditur *Liber tertius* ad *Liberium*, ſummum Pontificem, per novem Auctoris Diſſertationes vindicatum. Diſſertatio prodroma agit de variis & diſſonis Fidei formulis, ab Arianis & Semiarianis editis, ac potiſſimum de Sirmienſibus, cum earum Epocha. In diſſertatione ſecunda inquirere incipit Auctor, num alicui Sirmienſi formulæ ſe ſubſcripſerit Liberius. Poſt auctores hac de re excitatos, oſtenditur demum, Liberium nulli Sirmienſi formulæ ſubſcripſiſſe, id quod ex chronologicis conſicitur rationibus. In Diſſertatione ſequente, & ulterius, explicatur ad vindicandum Liberium, Athanaſius & Hilarius. Poſt ea epiſtolæ diſcutiuntur Liberio attributæ, quod etiam cum quibusdam aliis Theodoreti, Socratis, Sozomeni, & reliquorum, monumentis factum eſt. In ſeptima diſſertatione Liberius vindicatur ab Hæreſi, aut ab Hæreſis ſuſpicione, quin & ab imprudentiæ nota, ſi forte primæ Sirmienſi formulæ nomen dederit. Tum ad formulam tertiam Auctor accedit, & Liberii circa eam facta examinat, atque excuſat. Expreſſerat nempe formula illa ſimilitudinem divini Verbi, cum Patre convenientem. Nec eſt, Auctore noſtro dicente, exinde aliquid contra Liberium dicendum, quod Felix II. ſummus Pontifex, illo adhuc vivente, legitime aſſumtus fuerit. Hæc enim electio Felicis II. facile ab intruſionis nota, absque Liberii offenſione, vindicari poteſt, quod in ſequentibus ſummatim exponit Noſter, ubi etiam exitus Pontificatus Felicis, cum reaſſumtione Pontificatus Liberii, ab exilio reducis, componitur atque explicatur. *Liber quartus*, in ordine recenſendus, de *tribus Capitulis* agit. Poſt hiſtoricam de tribus Capitulis narrationem præmiſſam, diſquiritur, num conſtitutum *Vigilii* lectum fuerit in Synodo, & num Vigilius tria Capitula, tempore Concilii, reprobaverit, an in exilio. His præmiſſis, in prima oſtenditur huius libri diſſertatione, ex Epiſtolis & Decretis *Vigilii*, quoad tria Capitula, ipſius ſententias dogmatibus fidei, ſecundum Concilii Chalcedonenſis decreta fidei, omnino conformes fuiſſe: diſſor-

diſformitatem vero ſententiarum ad ſolas perſonas redactam eſſe. In ſequentibus primum Capitulum Theodori Mopſueſteni excutitur, & Vigilius vindicatur, modo illum non damnans, modo damnans: quin imo decretalis, vel conſtitutio Vigilii, quoad Theodori Mopſueſteni damnationem, explicatur, ac defenditur. Porro Synodus Epheſina, & praxis eccleſiæ exponitur, excuſſa de Theodoro opinione. In fine huius libri, Vigilius, in ſententiarum mutatione a nota levitatis & inconſtantiæ vindicatur, & oeconomica eius diſciplina defenditur, expoſitis inſuper aliis huc pertinentibus rebus, e. g. Epiſtola decretali Vigilii Papæ, pro confirmatione quintæ Synodi Oecumenicæ: definitione fidei Chalcedonenſis Concilii, & Vigilii Conſtituto pro tribus Capitulis. Pergit ad *Librum quintum* Noſter, & in diſſertatione prævia originem hæreſis Monotheleticæ exponit. Diſcutiuntur hic deinde præcipua capita primæ epiſtolæ Honorii, ut & alterius epiſtolæ eiusdem, ad Sergium miſſæ. In Diſſertatione vero *tertia*, & ſequentibus, ex his inquiritur, an recte Honorius de una vel gemina Chriſti operatione, ſilendi oeconomiam Sergio Cyroque impoſuerit: atque an Honorius Monotheletarum hæreſin condemnaverit. In diſſertatione quinta vindicatur Honorii innocentia, ſummorum Pontificum, & Scriptorum auctoritate, aliisque argumentis adiunctis. Reliqua in poſterioribus tribus expediuntur diſſertationibus. In *Libro ſexto* procedit Auctor amplius, & oſtendit, in Honorium latæ per errorem ſententiæ infirmitatem, ex adiunctis, quæ eam conſequuntur, apparere. Expenditur hic id, quod in Epiſtolis ipſius exſtat, una cum argumentis Tamagnini, quibus contendit, Honorium iure fuiſſe proſcriptum, ob verborum ambiguitatem. In diſſertatione quarta examinatur lata in Honorium ſententia, ea parte præſertim, qua refert, ipſum in omnibus Sergii mentem ſecutum fuiſſe. Quinta & ſequens diſſertatio exponit, an recte dici poſſit, Honorium hæreſin confirmaſſe, aut illi faviſſe, quia morte præventus rem controverſam ſtatim non definierit. Deinde examinatur, utrum Honorius romanam eccleſiam, cui præſidebat, Monotheletica labe corruperit? quod ipſi in edicto Imperatoris obie-

ctum eſt, an minus. In ſeptima diſſertatione probatur, ea ipſa de cauſa, qua Sophronius iure innoxius, & purus a Monothelctica labe, in ſexta Synodo iudicatus eſt, etiam Honorium iudicandum eſſe. Succedit *Liber ſeptimus*, in quo per tres continuas diſſertationes exponitur, latam contra Honorium in Synodo ſexta ſententiam, non ſolum ex falſo ſuppoſito crimine iniuſtam fuiſſe, ſed etiam ex defectu iurisdictionis invalidam. Porro firmatur nullitas latæ contra Honorium ſententiæ, quia iure Epiſcopatus, Honorii cauſa, peculiari ratione ad Romanum Pontificem tantum pertinuerit. Denique oſtenditur, dictam a ſexta Synodo in Honorium ſententiam, etiam in irritum cecidiſſe, propter Monarchici regiminis rationem, quæ in Romano Pontifice, qui ante Synodum illam abſolverat, conſtat. *Libri Octavi* diſſertatio prior, probat nullitatem latæ in Honorium in Concilio ſententiæ, ex eo, quod fuerit absque prævio Agathonis Papæ conſenſu, ac nulla ſuper hac re collata, legatis aut ſynodo, poteſtate. In altera diſſertatione duo Tamagnini argumenta, contra præmiſſam veritatem oppoſita, diſſolvuntur. Quæ ſequitur diſſertatio conſenſum Papæ Leonis II. producit, qui videtur proſcriptionem Honorii confirmaviſſe, oſtenditur cuiusmodi fuerit, quove ſenſu accipiendus ſit. In ultima diſſertatione diſſolvuntur Tamagnini argumenta, quibus, inducta quadam Leonis II. ſententia, probare conatur, iuſte e Synodo proſcriptum Honorium fuiſſe, atque recte a Leone proſcriptionem eius firmatam eſſe. In *Appendice* vindicatur Ioannes XXII, quatenus millenariorum ſententiam, de viſione beatifica ſanctorum, ad ſupremum diem iudicii ſuſpenſam, nunquam, ut dogma fidei credendam, eccleſiæ propoſuerit. Ex præconceptis ſuis opinionibus ſatis acriter contra adverſarios Auctor diſputat, non tamen plane indocte cauſam ſuam egit.

EXISTENTIA DEI EX GENUINIS PRINCIPIIS more Geometrarum demonſtrata, Auctore IOHANNE IACOBO HENTSCHIO.

I. Repetens varias argumentandi rationes, quibus, dari Deum, Philoſophi evincere allaborant; alias demonſtra-

ſtrationis vim non ſuſtinere, alias eſſe incompletas, vidi. Ad priorem claſſem refero argumenta *a gentium conſenſu, & ab entis perfectiſſimi & infiniti idea inſita* deſumta; ad poſteriorem, ſic dictam *mundi contingentiam,* (liceat enim mihi cum recentioribus Philoſophis loqui), quæ in ſe ſpectata non omnes tollit dubitationes, niſi cum aliis principiis, quæ ad rem propoſitam æque neceſſaria ſunt ac ipſa contingentia mundi, ſimul copuletur. His cauſis motus, argumentum hoc notiſſimum pariter ac utiliſſimum, denuo adgredi eo minus dubito, quo pauciores in Philoſophia ſpeculativa demonſtrationes Geometricis æquipollentes occurrunt.

II. A quocunque vox Dei deducatur, ſive *ἀπὸ τȣ̃ θεεῖν* a currendo, ſive a *Θεᾶσθαι,* videndo; veroſimillimum eſſe videtur, antiquiſſimas Græciæ gentes corpora coeleſtia, quæ tanquam numina coluere, ob motum ipſorum ordinatiſſimum, primum Θεȣ̀ς appellaſſe. Sed cum mihi hoc in loco non tam propoſitum ſit, originem vocis Dei inveſtigare, quam potius rem ipſam explanare; definiam primum, quid Deus, de cuius exiſtentia hic quæritur, ſit? Nomine *Dei* autem ſignamus ſubſtantiam intellectu ſummo præditam, a qua mundi huius præſentis corporei exiſtentia pendet. Hanc definitionem, ſi legitimo obſervato illationis modo demonſtraverimus, dari Deum, quippe quem hac definitione expreſſimus, palam erit.

III. Nec ulla primum apparet difficultas, principia, quibus exiſtentia Dei innititur, denudare. Mundus enim ipſe corporeus ſenſibus noſtris obvius, firmum & inconcuſſum conſtituit fundamentum, cui concluſiones omnes, ad rem præſentem pertinentes, ſuperſtruuntur. Si enim nulla dantur in corporibus coeleſtibus & terreſtribus, quæ nos undique circumdant, veſtigia, ex quibus, dari Deum, eluceſcat; ſi nulla phænomena, quæ conditorem & artificem ſupremum arguant, nobis obverſantur: ad conſenſum gentium, quæ absque ulla ratione Deum admittunt, temerario auſu fit acceſſus. Neglectis igitur lubricis & alienis principiis, naturam ipſam contemplemur, & phænomena, quæ ſuppeditat vera Phyſica & Aſtronomia, paulo accuratius ſcrutemur. Huc pertinent ſequentes extra omnem dubitationem poſitæ propoſitiones, quæ mundi huius corporei for-

Digitized by Google

formam exhibent, nec non genuina conſtituunt principia, ex quibus exiſtentia creatoris coeli & terræ innoteſcet.

IV. Noto primum: mundum præſentem ex ſphæris lucidis & opacis, quarum illas *ſoles, ſeu ſtellas fixas*, has *planetas ſeu ſtellas erraticas*, dicimus, eſſe conflatum. 2.) Eiusmodi ſphæras, quæ replent ſpatium immenſum, nomine *coeli* ſignatum, in indeſinenti eſſe motu. Ex obſervationibus enim conſtat, ſtellas *fixas* motu vertiginis; *erraticas*, præter hunc, motu progreſſivo in orbibus ſuis ferri. 3.) *Numerum, molem, diſtantiam*, & *tempora periodica*, quibus planetæ primarii orbes ſuos abſolvunt, limitibus circumſcribi. 4.) Eadem ad planetas ſecundarios, quos *Lunas* vulgo dicimus, accommodari, quorum numerus, moles, diſtantia a planetis primariis, nec non tempora periodica, definiuntur.

V. Ex his patent ſequentes concluſiones: 1.) Mundum præſentem aliam eamque diverſiſſimam partium admittere diſpoſitionem, ſeu quod idem, mundum præſentem aliter eſſe poſſe, ac revera eſt; id quod nomine *contingentiae* Recentiores notant. Nec enim abſolute & ſimpliciter eſt neceſſarium, ut ſex planetæ primarii, quales ſunt Saturnus, Iupiter, Mars, Tellus, Venus, & Mercurius, ſint; cum hic numerus pro arbitrio augeri poſſit vel minui. Moles planetarum primariorum, quæ quoad expanſionem & figuram determinata eſt, nec non diſtantia planetarum a ſole, infinitas ſubit variationes, quas mente tamquam poſſibiles imaginamur: 2.) Mundum præſentem non eſſe æternum. Cum enim ſeries rerum ſit contingens, quæri omnino poteſt, cur hæc, nec alia rerum combinatio locum habeat; cuius ratio in ipſa ſerie non continetur, quod aliæ combinationes æque ſint poſſibiles; ſed potius in cauſa quadam externa, a qua hæc arbitraria rerum diſpoſitio pendet. Exiſtentia mundi autem a cauſa externa procedente, mundum eſſe æternum dicere velle, abſonum eſt. 3) Regreſſum & progreſſum in infinitum non cadere in mundum præſentem. Sublata enim mundi æternitate, regreſſus & progreſſus in infinitum exulat. Æternitati enim ſeu durationi, quæ eſt absque initio & fine, ſolum tribuitur regreſſus & progreſſus in infinitum, quod nulli termini poſſint aſſignari, ubi duratio talis deſinat. 4.) Mundum habere originem.

nem. Cum enim æternus non ſit, nec regreſſum in infinitum admittat, ut originem certo temporis intervallo habuerit, neceſſe eſt. 5.) Mundum caſu fortuito non extitiſſe. Pugnat enim caſus fortuitus cum notionibus communibus, quas ſuppeditat Philoſophia prima, cum circa rem quamlibet diſquiri posſit, quod & quomodo ſit. 6.) Originem mundi nec a corporibus, nec a corporum elementis repeti poſſe. Corpora enim, ex quibus mundus ſenſibus noſtris obvius conſtat, in ſtatu ſuo quietis vel motus continuo perſeverant, nec ſibimetipſis mutationem inducere valent. Iam cum motus ipſorum contingens ſit; cauſa motus extra ea neceſſario erit; unde originem mundi ab ipſis corporibus repetere velle, eſt temerarium. Nec mundus propria vi elementorum, nulla accedente cauſa externa, oriri potuit. Sunt enim elementa eiusdem naturæ cum corporibus, tanquam rebus effectis; id quod oſtendi in tractatione *de mente humana omnis compoſitionis experte, his Actis* Menſ. Auguſt. ao. 1757. inſerta. Hinc patet, elementa ob contingentiam, quam cum corporibus inde genitis communem habent, æterna non eſſe; multo minus propria vi, nulla accedente cauſa externa, ad generandum confluxiſſe mundum. Perſeverant enim elementa æque ac ipſa corpora in ſtatu ſuo quietis vel motus, niſi a vi impreſſa cogantur ſtatum ſuum mutare. 7.) Cauſam externam mundi ab elementis corporum differre. Si enim cauſa externa eiusdem naturæ foret cum corporum elementis; quæri iterum *poteſt*, a quo cauſa externa principium motus habeat, & ſic in infinitum. Deveniendum igitur ad cauſam aliquam externam, a materia prorſus remotam & diſtinctam.

VI. Hæc cauſa externa, quæ ab elementis, adeoque corporibus ipſis differt, intellectu ſummo eſt prædita; id quod ex ſimpliciſſima rerum creatarum harmonia, & ornatu ſyſtematis nobis obvii ſplendidisſimo, ſatis eluceſcit. Cum igitur hactenus oſtenſum, mundum hunc præſentem nec æternum, nec caſu fortuito, nec a ſe ipſo productum eſſe: rationem exiſtentiæ ipſius in cauſa externa quærendam eſſe, nemo non videt. Hanc cauſam autem intellectu præditam, a qua mundi huius corporei exiſtentia pendet, cum Deum vocemus: dari Deum, demonſtratum eſt.

Digitized by Google

NOVA LITTERARIA.

PROGRAMMA LITTERARIUM ILL. ZALUSKII Comitis. Ternio Vatum Polonorum, ſeu Horatius Sarmaticus, Matthias Caſimirus SARBIEVIUS Soc. Ieſu: Virgilius Sarmaticus, Sebaſtianus Fabianus ACERNUS: & Martialis Sarmaticus, Albertus INES Soc. Ieſu, tandem integre & iunctim editi.

Cum ſummo labore ac conatu, monumenta litteraria inedita celeberrimorum ſua ætate, noſtræ præcipue gentis, Scriptorum, inquirerem in meo ultimo litterario itinere, quod nuper occaſione luſtrationis mearum, in Burgundia Fontanetti, & in Lotharingia Villariæ Betnaci, Abbatiarum, tum & vindicandæ, favore mei, ex patruele fratre nepotis Franciſci Comitis in Zaluski de Rivdere d'Arſchot Baronis d'Houſtatize Comitis de Heer, Capitanei Groiecenſis, ſucceſſionis in Flandria, integro biennio confeci; inter alia plura pretioſiſſima cimelia, quorum *ex ultimis finibus pretium*, tandem aliquando reperi, hinc inde diſperſa, poſthuma eaque anecdota ſcripta, celeberrimorum ſua ætate noſtræque gentis vatum, SARBIEVII & INESII, utriusque e Societate IESU; his adiicere placuit pro formando Parnaſſi Polono Poetici Triumviratu, Sebaſtiani Fabiani ACERNI, Conſ. Lublinenſis (vulgo *Klonovicii*) Sulmircenſis dicti, titulo *Victoria Deorum*, Poema, veri Herois educationem continens, quod editum quidem eſt 683. paginis, forma ut aiunt octava, ſine die & conſule, (meo quidem iudicio in typographia olim Sociniana Sebaſtiani Sternacii, Racoviæ in minori Polonia, circa finem XVI. Sæculi), at tam parum obvium, ut in ipſa Polonia, albis corvis rarius videatur, & viris litteratis, imo ipſis librorum helluonibus plane ſit ignotum (*a*). Venit mihi igitur in mentem, me rem viris litteratis, præcipue vero Muſarum fautoribus, gratiſſimam facturum, ſi una compage hi Scriptores noſtri, Muſarum Lechicarum Coriphæi, ederentur. Calcar animumque ad hoc opus perficiendum mihi addit gratus littera-

tera-

(*a*) Vid. *Widekind* Verzeichniß von rahren Büchern, T.I. p. 15. ex noſtrae Bibliothecae praefecti digniſſimi dilectiſſimique, Cl. *Ianockii* Opere: Nachricht von rahren Pohln. Büchern.

teratorum animus, quo nuper Clementis *Ianitii*, Naſonis Sarmatici Poemata, in unum collecta, ob inſignem raritatem ac præſtantiam, ex mea Bibliotheca a Cl. Iohanne Ehrenfriedio *Boehmio* Lipſiæ 1755. edita (*b*) ſuſceperunt. Et quidem iure ac merito, edito nuper *Horatio*, metrica Polona metaphraſi donato, Varſaviæ 1754. typis Schol. Piarum in 4. luce publica donaturus ſum nunc *Horatium Sarmaticum*, pro ſuperpondio ſuperadditis Virgilii, tum & Martialis, Sarmaticorum, pulcellis lucubrationibus, ut ita patriæ meæ dilectiſſimæ, noſtrisque, craſſo licet ſub aere natis Polonis, in bicorni Parnaſſo ſua conſtet laus & commendatio. En iam ſchema opuſculorum *Sarbievii*; quibus mea nunc primum integre conſtabit editio. Si forte alicubi aliquis alius eius ingenii foetus, cum tineis & blattis decertans, lateat, qui nondum ad meam notitiam hic exaratam devenerit, eius poſſeſſorem etiam atque etiam enixe rogo & obteſtor, ut mecum pro honore nominis Poloni communicare velit, idque ſine mora. Vale B. L. ſtudiis meis fave, & poſthac præſtolare aliam ſimilem Collectionem latinorum carminum anecdotorum, & hucusque ineditorum, Andreæ *Cricii* (Krzycki) Archiep. Gneſ. Primatis Regni (*c*), cuius trinum codicem diverſum, forte bona conquiſitum, inter pretioſiora mea aſſervo cimelia. Iterum dico, vale.

COLLECTIO OPERUM MATTHIAE CASIMIRI SARBIEVII, e Societate Ieſu, HORATII SARMATICI dicti.

Lyricorum III. Libri ex edit. Stanislai *Piratonski*. Eq. Poloni.
— Item Liber IV. Lyricorum.
Epodon Liber unus.
Epigrammatum Liber unus.
Epicitharisma, vel eruditorum virorum ad eum poemata.
Singula ex edit. Caliſſienſi 1681. quæ habet in Libro II. 28. in Libro III. 32. in Libro IV. 32. Odas, quæ quidem deſunt in aliis editionibus.
Poeſis Sarbieviana poſthuma, lyrica æque ac epigrammatica, ex edit. Colon. 1721. LX.

(*b*) De qua editione vide Gel. Zeit. p. 54. (*c*) De eo cl. noſter praedictus *Ianockyus*, in Nachricht von rahren Pohln. Büchern in der Zaluskiſchen Bibliothek, T. II. p. 60. 61.

LX. Odæ ſelectæ, ex variis Auctoribus excerptæ.

Explicationes ſeu notæ vocum plurimarum poeticarum in Odas fere ſingulas.

Index in hæc omnia Carmina copioſus.

VII. Odæ (poſthumæ) quæ in Libris Lyricorum non habentur, Vilnæ 1747. in 12. editæ.

Lubienſcii, Stanislai, Epiſcopi Plocenſis, Epiſtolæ ad Sarbievium.

De perfecta Poeſi Lib. IX.

De arguto & acuto unus Liber.

Characteres Lyrici III. Libri.

De virtutibus & vitiis Elegiaci Carminis Liber.

Dii Gentium, vel Scientiæ artesque præcipue ex fabula Theologiæ Ethnicæ erutæ, (ex autographo).

Index locorum S. Script. in Sarbievii Opp. prædictis citatorum.

Index alter rerum memorabilium.

Poeſis Heroica poſthuma, nempe, Poema inſcriptum Ill. Com. Iohanni Carolo Chodkievicio, Palatino Vilnenſi, ob fundatum Croſnenſe Gymnaſium.

Poeſis Elegiaca poſthuma, nempe Elegia unica deſcribens Iter Romanum a Sarbievio ſuſceptum, (ex edit. recentiſſ. 1754.)

Poeſis epigrammatica poſthuma, continens XXVIII. Epigrammata.

Vitæ Sarbievii curriculum quintuplex.

1) Ioh. Mich. van der *Ketten,* Colonienſis, Ord. SS. Salvatoris, alias Brigittæ, Prioris Conventus Dantiſcani. (ex manuſcr.)

2) Ex *Koialovicii* Miſcellaneis Eccleſiæ Litvaniæ.

3) Ex Bibliotheca Scriptorum Soc. Ieſu Alegambeo Sotwelliana pag. 600.

4) Ex *Langbeinii* L. G. nuper edita Commentatione de Sarbievii vita, ſcriptis, ſtudiis. Dresdæ 1753. edita in 4.

5) Ex *Bailleti* Iugemens des Savans Tomo IV. Parte II. p. 100. edit. Belgicæ in 8. min.

Lectiones variantes Carminum Sarbievii, excerptæ ex eorum variis editionibus.

Conciones Polonicæ, a Sarbievio elucubratæ & evulgatæ, in funeribus Magnatum Poloniæ, & hæ quidem ſeorſim edentur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCLVIII.

CHRISTOPHORI SAXII DIPTYCHON MAGNI, Conſulis. Nunc primum luce publica donatum, animadverſionibusque illuſtratum.

Hagæ Comitum 1757. apud Petrum de Hondt, plagg. 13½. cum ectypo aeri inciſo, in fol.

Quum tabula hæc Conſularis, ex Pinacotheca Waſſenariana ad Cel. Auctorem, Collegam olim noſtrum, qui ingens ſui deſiderium in hac noſtra ſtudiorum univerſitate, & nobis potiſſimum reliquit, emtionis iure tranſierit, promtiſſima ei occaſio nata eſt eam illuſtrandi; quod etiam feliciſſime ei ceſſit, ut ea omnia ſolent, quæ ex eius calamo exeunt. Referebant autem Diptycha Conſularia ſpeciem tabulæ eburneæ duplicis, ita vel fibulis vel uncis a ſuperiori aut inferiori parte aptæ & nexæ, ut aperiri & claudi facile poſſent; eaque anaglypticis, & pro illorum temporum ingenio non plane rudibus, variarum rerum iconibus ornata, cum Orientis, tum Occidentis Conſules, ſub auſpicia muneris ſui, & familiaribus, & aliarum regionum longiſſime disiunctarum proceribus, dono mittere ſolebant. (pag. 5.) Eorum origo a diplomatibus priſcis repetitur, quibus vel curſus publici facultatem, vel munera & honores, vel civitatem, vel honeſtam militibus miſſionem, largiebantur Imperatores. (p. 6.) Ex nominibus Conſulum, quæ in iis comparent, ſuppleri ſæpe Faſti poſſunt. (p. 7.) Sunt autem diptycha vel literata, vel ſine literis, hoc eſt nullo titulo conſpicua. Recenſentur utriusque

 gene-

Digitized by Google

generis præcipua. Tale ex literatorum ſerie eſt: I. *Compendienſe* Fl. Theodori Filoxeni, a Iac. Sirmondo primum ad Sidon. Apollinar. evulgatum, unde in Reineſii Inſcriptiones immigravit. An vero eiusdem Philoxeni ſint Gloſſæ, quæ ſub hoc nomine circumferuntur, dubium eſt. II. *Leodienſe* Fl. Anaſtaſii, Conſulis Orientis, ab Alexandro primum Wilthemio cum inſigni commentario editum Leodii 1659. fol. & ab aliis repetitum. III. *Bituricenſe*, ſive eiusdem Conſulis Anaſtaſii ebur alterum, ſtudio Phil. Labbei repertum. & a Wilthemio cum Leodienſi editum. Hoc etiam repetitum eſt a Reineſio. IV. *Leodienſe* Fl. Aſturii, Conſulis, cuius picturam cum titulo Wilthemius; epigraphen ſolam Sirmondus & Pagius dederunt. V. *Divionenſe*, incertum cuius Conſulis, certe non Areobindi. Iſtud ſplendida forma deſcripſit Montefalco. VI. *Comodoliacenſe* Fl. Felicis, Occidentis Conſulis, quod a quibus editum ſit, docet Cel. Hagenbuchius in Epiſt. Epigr. p. 297. & 309. VII. *Mediceum* Anicii Fauſti Albini Baſilii, primo editum a Phil. Bonarota poſt Obſervatt. ad Fragm. vaſ. vitreor. VIII. *Ricardianum*, ſed ἀκέφαλον, cuius iconem adumbrari iuſſerunt Bonarota d. l. & Montefalco. IX. *Brixianum*, ſeu Barbiſonianum, Boethii Occidentis Conſulis, quod primo depingendum curarunt auctores Ephemeridum litterariarum Italiæ T. XXVIII. Tab. I. ad p. 39. dein, Emin. olim Card. Quirino liberaliter ſumtus commodante, egregie illuſtravit Cel. Hagenbuchius, in libro de Diptycho Brixienſi. X. *Noricum*, Clementini Orientis Conſulis, primum a Guſtavo Phil. Negeleinio in lucem emiſſum, & peculiari libro Altorfi 1742. deſcriptum. XI. *Turicenſe*, de quo ipſo quoque optime meritus eſt Cel. Hagenbuchius, in calce diptychi Brixiani. XII. *Oreſtis*, anni C. 530. Conſulis, cuius titulos Gorius Hagenbuchio per epiſtolam indicavit. XIII. *Veronenſe*, incerti Conſulis, Scip. Maffeii induſtria prolatum, in Muſeo Veronenſi.

Quæ ſine litteris ſunt, Diptychorum, tria adducuntur: I. *Comitum de Gherardeſca*, in quo Romuli Apotheoſin ſculptam eſſe opinatur primus eius editor Bonarota, quem ſequitur

exem-

TAB. I. ad Nov. Act. Erud. A. 1758. Menſ. Febr. pag. 51. ſq.



Digitized by Google

exempli inſtaurator Montefalco. II. *Quirinianum* ante, nunc *Vaticanum*, quod ipſe Emin. Card. Quirinus in Epiſtola ad Bozium data, omnium oculis expoſuit. III. *Fragmentum diptychi regii Pariſienſis*, a du Cangio primum publici iuris factum. Hoc fragmentum noviſſimo loco collocat Cel. Auctor, quod, gravibus motus argumentis, ſuum ebur, & Pariſienſis tabulæ fruſtum, ſororio vinculo & nexu copulandum eſſe cenſet.

Iam igitur de Diptycho *Saxii* dicamus. Diſpeſci tabula in tres partes poteſt: primam velut contignationem & faſtigium occupat titulus; alteram Conſulis imago; inferiorem munerum effigies. De titulo deinde agitur. Conſul ipſe ſolio inſidens, in quod duobus ei gradibus eſcendendum erat, ſub laqueari, lychnoque penſili, vel ſerto, in coni ſpeciem acuminato, ſedet, vernanti facie, ſatis bene, ut marem decet, comatus, dextra mappam gremio admotam premens, lævaque ſcipionem aquiliferum erigens, ceterum toga illis temporibus priva, picta tamen, floribusque acu & opere Phrygionico variegata, indutus, cuius humeros utrimque ambit lata quædam faſcia pectore demiſſa, & mox ad talos usque defluens. Utrumque latus tegunt duæ formæ muliebres, ſtolatæ, altera verſus dextram, ſingulari & turrita velut corona, inauribusque ſpectabilis, dextra globulum, ſiniſtra haſtile gerens; altera ad lævam, galea & inauribus inſignis, dextram attollens, quaſi exſultans & mirabunda fortunam Conſulis, ſiniſtram vero in clypeo reponens. Altera harum feminarum Romam, altera Conſtantinopolin deſignat. (p. 33.) Expoſitis deinde formis puellarum ſtolatarum in columellis ſtantium, & caniſtros in capite portantium; leonum anulo capiſtratorum; duorum ſervorum, qui fiſcos, ſive corbes ſparteos, pecunia tumentes, ferunt & effundunt; & reliquis, (inter quæ notabilis eſt quæſtio, cuiusnam materiæ, numi, vel apophoreta, Magni Coſ. tempore, utrum ex auro an argento fuerint? p. 38.) hoc pacto legendam eſſe Epigraphen arbitratur: *Flavius, Anaſtaſius, Paulus, Probus, Moſchianus, Probus, Magnus.* Magnus hic nomen eſt, cetera prænomina. Fuit autem Magnus Conſul anno aeræ Chriſtianæ DXIII. unde huic anno alligandum eſt diptychon Saxii. Quantumvis vero de Conſulis iſtius genere nihil Tab. I.

 pro-

Digitized by Google

proditum litteris inveniatur: tamen ille prænominum acervus credere Cel. Auctorem iubet, attigiſſe eum familiam & domum Anaſtaſii Auguſti (p. 45.). Immo, ut tota generis Anaſtaſiani ratio melius intelligeretur, Genealogiam familiæ huius ſubiicit V. cl. eamque ſuſpicionibus hiſtoricis docte illuſtrat: in quarum numero ea præcipue notabilia ſunt, quæ de ſcripturæ compendiis 7 & 1, ex quibus ſucceſſu temporis 9 enatum ſit, (quod ut ſuperiora ambo *us* ſignificat,) ſub finem Operis dicuntur.

PHYSICAE GENERALIS METHODO MATHEMAtica tractatae, & in tres tomos diſtributae, TOMUS SECUNDUS, auctore IOANNE BAPTISTA SCARELLA, clerico regulari.

Brixiæ 1756. typis Io. Bapt. Boſſini, 4. Alph. cum 5. tabb. æneis in 4. mai.

Quem haud ita pridem recenſuimus huius *Phyſicae generalis* Tomum primum, eius in præſens indicare oportet alterum, & pro inſtituti noſtri ratione breviter delineare. Nempe, egerat in priore tomo Cl. Auctor de corporis cuiuslibet natura & proprietatibus, de generalioribus ſpatii, loci, temporis, motusque rationibus, & examinata celebri illa Carteſianos inter & Leibnitianos de virium menſura quæſtione, hanc difficillimam doctrinam nova quadam luce illuſtraverat. Iam in hoc altero tomo generales motuum leges exponit: de cuius rei utilitate longum eſſet, ſi pluribus diſſerere vellemus. Satius erit paucis ſignificare, quid præſtiterit auctor noſter, & qua ratione in ea re explicanda verſatus ſit. Totum hunc librum, qui exponendis generalibus motuum legibus eſt attributus, duas in partes diſtribuit, in quarum altera declarat, quid eveniat, cum unum corpus perfecte durum, qualia ſunt corpuſcula primitiva, movetur in vacuo; ſive eius motus abſolute ſpectetur, ſive cum motu conferatur aliorum: in altera autem, actiones corporis alius in alia ad trutinam revocat. Primam partem rurſus diſpeſcit in quatuor tractatus, in quorum primo de motu corporis, unica vi initio motus generata perciti, ſive ex pluribus iam generatis

coa-

Digitized by Google

coaleſcat, ſive ſecus; in ſecundo de corpore novis indeſinenter viribus, ſive conſtantibus, ſive variabilibus percito; in tertio de corpore quod una vi, iam a principio generata, & novis ſemper viribus verſus unum locum percellitur; in quarto denique de corpore, quod præter vim a primo genitam, & aliquorſum directam, urgetur etiam novis preſſionibus aliorſum directis, & unum verſus punctum tendentibus, ediſſerit. Primum tractatum, utpote breviorem, in tria ſolum capita ſubdividit, in quorum primo motus æquabilis, qui ab unica vi gigni poteſt, conſtituit leges: quæ, quanquam ipſæ per ſe videantur parvi eſſe momenti, tamen plurimi eſſe faciendas ex eo colligitur, quod abſtruſiores difficilioresque motus, in linea recta, aut etiam in quacunque curva accelerati, aut retardati leges, ope calculi infinitorum ad easdem rediguntur. Corporis duri, quod duabus viribus ab initio generatis in contrarias partes pellitur, rationem habet Cl. Auctor in capite ſecundo, ubi totus in eo eſt, ut rationes oſtendat, quibus nititur nobiliſſima illa, quæ in phyſicis familiam ducit, motus compoſiti propoſitio, ante Dan. Bernullium iisdem nondum affecta. Motus relativi leges tertio capite expendit. Poſthæc Cl. Auctor ſecundum tractatum orditur, in cuius primo capite quatuor hypotheſes perſequitur: primam de vi conſtanti abſoluta; ſecundam de vi variabili & abſoluta in ratione aliqua ſpatii; tertiam & quartam de vi variabili abſoluta, in ratione aliqua velocitatis aut temporis. Caput ſecundum huius tractatus in duas diſtributum eſt hypotheſes, in quarum altera, data nempe velocitate in ratione ſpatii, tempus & vim; in altera, data velocitate in ratione temporis, ſpatium & vim invenit; & in tertio ſecundi tractatus capite vim atque velocitatem, data ratione temporis ad ſpatium, invenienda proponit. Qua in re multo faciliorem atque breviorem methodum, quam Celeberr. *Eulerus* adhibuit, uſurpat; & nihilominus illa omnia, quæ ab hoc eliciuntur, efficit: immo errorem aliquem Euleri in hypotheſi temporis, quod ſit in ratione ſpatii, ortum ex omiſſione coefficientis, ibidem modeſte notat. Ut refelleret prævidendam Euleri obiectionem, in arcem penetrat illius quæſtionis, quid fiat de corpore, ubi ad centrum virium pervenit?

G 3

venit? examinatisque valoribus velocitatis & temporis in ſingulis hypotheſibus preſſionis, quæ rationem aliquam diſtantiæ aut potentiæ diſtantiæ a centro ſequatur, novam ſibi ad hæc intelligenda viam munit, illudque præſertim declarat: non ſolius preſſionis habendam eſſe rationem, utrum in centro & ultra ipſius valor poſitivus maneat, an negativus fiat, an vero impoſſibilis; verum etiam valorum velocitatis ſimilem rationem haberi oportere. quod omiſſum ab aliis, eosdem in errorem induxit. His imponit finem ſecundo tractatui, & ad tertium progreditur, qui eſt de corpore, novis indeſinenter viribus verſus unum locum percito, & ſimul una vi iam ab initio generata in vacuo. Hunc in duas diſpeſcit ſectiones, in quarum altera de corpore, celeritate finita verſus unum locum proiecto, & novis ſemper viribus parallelis verſus alia ſollicitato; in altera de corpore ſimiliter proiecto, & novis indeſinenter, ſed verſus unum punctum, viribus impulſo, diſſeritur. quæ ſecunda ſectio eſt loco quarti tractatus, quem ab initio pollicitus erat Auctor. In eadem hac ſectione poſtrema vires centrales perſequitur, quarum eſt maximum in phyſicis & aſtronomicis momentum. Ad has explicandas duo proponit problemata primaria, quorum in altero ponitur dari curvam, in qua corpus incedit; & inde vis centralis, velocitas in ſingulis punctis, & tempus in ſingulis arcubus percurrendis, eliciuntur: in altero autem vis centralis, ex qua deinde alia eruuntur. Primum problema octo capita complectitur. In primo quasdam generales perſequitur proprietates motus corporis proiecti, circa centrum virium rotantis in aliqua curva; & Neutonianam æquabilem arearum deſcriptionem vindicat a quibusdam ſubtiliter concluſis Cl. *Caſtelli* rationibus, iis ipſis uſus circa calculum integralem obſervationibus, quibus ſimilem Euleri ſententiam iam antea, tomo primo Phyſices ſuæ, Auctor refutavit. Capite ſecundo huius ſectionis motum corporis conſiderat in peripheria circuli: tertio rationem virium centripetarum in qualibet curva exponit: quarto rationem virium invenire docet, data ſectione conica, in qua corpora vi centrali donata incedunt. Sequitur caput quintum, in quo de celeritate diſputat corporum in quibuslibet

cur-

Digitized by Google

curvis, & de temporibus, quæ in iis percurrendis impenduntur. Caput ſextum in definiendis, celeritate corporis in ſectionibus conicis revoluti, & temporibus impenſis, ſive vis ad centrum ipſarum, ſive ad focum, ſive ad quodlibet aliud punctum dirigatur. In capite octavo de motu corporis agitur, vi centripeta donati, in curvis altioris ordinis, quam ſectiones conicæ, & præſertim in ſpiralibus. Altius hic rem repetit Auctor, & primis quinque eiusdem articulis diſſerit de geneſi & natura ſpiralium in genere, earumque tum generales, tum particulares rectificationes atque quadraturas exhibet. Nam etſi *Varignonius* præclare verſatus ſit hac in re, tamen puri Geometræ perſona ſuſcepta, non ea protulit, quæ ſatisfacere poterant auctoris ſcopo, qui philoſophi etiam partes ſuſcipiens, ad ea, quæ de viribus centralibus circa propoſitam in anteceſſum ab Eulero quæſtionem dicta erant, opus habebat inveſtigatione rationum, cur quædam ſpirales hyperbolicæ, quamvis infinitos numero orbes circa centrum conficerent, tamen finitæ manerent? & cur aliæ infinitæ longitudinis ſpatium finitum complecterentur, aliæ vero infinitum? Ad perVidendum, quid fiat de corpore ubi ad centrum virium pervenit, docet Cl. Auctor, quibusdam in ſpiralibus corpus in centro manere, in aliis tranſilire centrum, & ſpiralem priori ſimilem, ſed in contrariam partem peragrare; in aliis denique regredi a centro per eandem, in qua centrum verſus deſcenderat. Inſuper aliam hoc loco proponit difficiliorem adhuc quæſtionem, cur ſcilicet in ſpirali hyperbolica primi gradus, & in quibusdam aliis, corpus prætergrediatur centrum, & in contrariam partem aſcendat? in rectilineo autem deſcenſu, & in ſpirali logiſtica, ab eodem reflectatur? cum in omnibus hiſce ſpiralibus vis & preſſio, ſaltim in infinite parva a centro diſtantia, eandem triplicatam inverſam diſtantiarum rationem ſequatur. Cætera monet, ideo quibusdam in hypotheſibus corpus recta deſcendens non prætergredi centrum, quod aut illius velocitas a vi centrifuga infinita, in quam abit centripeta, prorſus corrumpitur; aut etiam alia gignitur eamdem verſus, a qua venerat, plagam. Mirum ergo videri non debere, ſi velo-

velocitas infinities maior, quæ in deſcenſu per ſpirales generatur, idonea ſit ad centrum transmittendum, vel ſaltim ad extinguendam illam aliam velocitatem, quam vis centrifuga gignit. Quia vero in ſpirali logiſtica longitudo arcus logiſtici in infinite parva a centro diſtantia eſt infinitæ parvitatis, hinc elicitur ratio, cur in hac una ſpirali idem contingat, quod in rectilineo deſcenſu: ut ſcilicet valor velocitatis in contrarium migret, & tempus, facta y negante, diminuatur, & idcirco eandem verſus plagam corpus repellatur. Adverſus eam huius theoriæ partem, illam nempe, qua vult corpus omni velocitate ſpoliatum quieſcere, putat ſibi obverti poſſe, facta ordinata y negante, aut velocitatis aut temporis valorem erui imaginarium; & imaginariis quantitatibus aliquam realem & veram poteſtatem ſubiici, docuerunt *Nicolaus de Martino* & *Henricus Kühnius*, (in *Tom. III. Novor. Comment. Petropol.*) cuius vero rationes prorſus eædem ſunt, quibus iam ante eum Cl. Martinus ad eundem finem uſus erat. Quare ſententiam Kühnii hic breviter diluit & refutat; ubi etiam animadvertit, aliquando valorem alicuius quantitatis elici imaginarium, non quia ipſa quantitas talis ſit, ſed quia modo impoſſibili eruitur. Octavum huius problematis caput agit de ratione vis centralis ad abſolutam gravitatem, quæ eſt vis centralis nobis perſpecta. Ex eo, quod ubi corpus in circulo rotatum vi ad punctum extra poſitum tendente ad quoddam peripheriæ punctum pervenit, vis ex centripeta in centrifugam convertit, & poſtquam talis per determinatum quemdam arcum permanſerit, rurſus in centripetam abit: in articulo quarto huius problematis occaſionem arripit accuratius diſputandi de illo principio, quod in eo ſitum eſt: cum quantitates infinite magnæ aut parvæ fiunt, ab alio ad alium ſtatum transmittunt; & e contrario, antequam ab alio ſtatu ad alium migrent, aut infinitæ fiunt, ſi perpetuo creſcant, aut infinite parvæ, ſi minuantur. Iſtius principii rationem repetit a celebri continuitatis lege, quam ea confirmat ratione, quæ cogit atque efficit, ſaltum continuum non ſolum cum natura huius mundi pugnare, ſed etiam inter abſolute impoſſibi-

ſibilia numerari oportere; interruptum vero nullo pacto eſſe impoſſibilem iudicandum. Hoc loco etiam reſpondet illuſtri de *Maupertuis*, qui dictam legem impugnat. Ex his Auctor efficit, talem inter legem continuitatis, interque poſſibilitatem quantitatis infinite parvæ, atque idcirco etiam magnæ, neceſſitudinem intercedere, ut alterum ſine altero eſſe nequeat; & qui legem continuitatis ſumat, & nihilominus poſſibilitatem quantitatis infinite parvæ aut magnæ neget, ut Boſcovichius, eum dicere contradictoria. Articulo quinto inveſtigat A. rationem vis centralis ad gravitatem in motu corporum per ſpirales, ad quarum centrum vis centripeta tendit; traditaque formula generali pro omnibus ſive parabolicis, ſive hyperbolicis ſpiralibus, hanc rationem ſpeciatim definit in aliquibus, uti & velocitatem, qua corpus proiiciendum eſt, ut in data curva incedat. His ita diſputatis, ad inverſum virium centralium problema accedit, in quo data lege virium centralium invenire oportet traiectoriam, ſive curvam, in qua corpus incedit; ibique advertit, ſatis elici a poſteriori curvæ traiectoriæ naturam, ſi hæc tria dentur: primo lex virium centralium; ſecundo celeritas proiectionis; tertio angulus, quem directio velocitatis proiectionis cum diſtantia a centro virium facit. Et hunc locum quinque capitibus perſequitur, in quorum primo, in tres articulos diviſo, generales formulas tradit, ad inveſtigandam traiectoriam, data lege virium centralium, accommodatas. Hiſce formulis utitur in capite ſecundo in hypotheſi vis, quæ ſit in ratione diſtantiarum a centro, aut centripetæ aut centrifugæ. In capite tertio iiſdem utitur in hypotheſi virium, quæ ſint in ratione inverſa duplicata diſtantiarum a centro: deinde capite quarto, ex iiſdem formulis duas elicit ſpirales, logiſticam & hyperbolicam primam, quas in hypotheſi virium, quæ ſint in ratione triplicata inverſa diſtantiarum a centro, alteram in altero eventu initialis velocitatis corpus deſcribit. Tandem capite quinto, quod eſt huius partis primæ ultimum, inquirit in hypotheſes virium, quæ ſint in altiori, quam præcedentes, ratione. Qua in re ſolum algebraicas curvas perquirit *Eulerus*, & quidem methodo valde

H ope-

Digitized by Google

operoſa & difficili, & limitibus adeo anguſtis ſepta, ut aliquas tantum elicere potuerit curvas, ad quas eruendas operæ pretium non erat, tantum, tamque moleſtum laborem ſuſcipere. Ideo Auctor noſter multo facilioribus formulis, & easdem curvas algebraicas, & alias etiam, quæ umquam conſtrui poſſunt, invenit.

Sequitur pars huius Tomi ſecunda, in qua diſſeritur de legibus motus generalibus, ad actionem corporum inter ſe pertinentibus, ſive dum corpus aliud in aliud ſuam exſerere vim percipitur. Duas iſtius partis ſectiones conſtituit Auctor, quarum altera attractionem expendit corporum, eiusque primarias leges; altera examinandum ſuſcipit, quid uſu veniat, ubi corpus durum in aliud, aut quieſcens, aut motum incurrit; quam tamen, ne huius tomi moles nimium excreſceret, ad tertium reiicit. Octo capitibus attractionem, eiusque præcipuas leges, conſiderat. In primo & ſecundo indubie demonſtrat, omnia primitiva corpuſcula, alia viribus attrahentibus inſtructa eſſe, alia viribus repellentibus: cuius doctrinæ adminiculo planum facit, quod in negotio Neutonianæ attractionis maximam parit difficultatem, cur omnia ſidera ad hypotheſin Copernicanam, in ſuis quæque locis, paribus atque contrariis librata momentis, quieſcant. Cum etiam a defendenda Neutoniana attractione multi recentiores propterea deterriti fuerint, quod Neutoniani non unam, ſed multas attractionis leges, & præſertim aliam qua Planetæ ſe trahunt, aliam qua moleculæ terreſtres cohærent, in phyſicam induxere: hanc præiudicatam opinionem capite tertio tribus articulis evellit, oſtendens, unam Neutonianæ attractionis legem aptam eſſe omnibus naturæ phænomenis explicandis, & cohæſioni præſertim, qualem experimenta & obſervationes in hoc orbe obtinere demonſtrant; neque ullius eſſe momenti argumenta Caſtelli, quibus ſibi viſus eſt ſyſtema attractionis penitus evertiſſe. Conſtituta generali lege attractionis, capite quarto ad ſpeciales quasdam venit, & rurſus tribus articulis, primum de ſimplicioribus diſputat legibus corporum, præſertim primitivorum, ſolutis ſuper ea re Caſtelli obiectionibus; deinceps de perturbatione orbium ellipticorum, ob

diver-

Digitized by Google

diverſas vires attractrices. Sequitur caput quintum, quo de ſuperficierum ac corporum præſertim ſphæricorum viribus agit attractricibus, deque legibus, quæ pro attractione omnium corporum inferuntur. Qua in re Dom. *de Maupertuis* ſequitur, propterea, quod hic methodo analytica utitur ad leges pro attractione corporum inde eliciendas. Hic cum intuliſſet hanc ſingularem enuntiationem: ſi attractio, quam corpus experitur, dum tangit corpus a quo attrahitur, eſt multo fortior ea, qua in minimo intervallo afficitur, attractio particularum corporis attrahentis decreſcit in ratione plus quam duplicata diſtantiarum: Auctor noſter graviſſimam inde eruit obiectionem adverſus hanc ſui ſyſtematis partem, qua vult, moleculas, ex quibus omnia corpora coagmententur, viribus rationem duplicatam inverſam diſtantiarum tenentibus eſſe donatas, & ſimul hanc univerſalem attractionem in contactu fieri infinitam, & in repellentem abire. Ad hoc igitur refutandum, vires attractrices corporum, in ſingulis quibusque hypotheſibus, ſubtilius examinat, erutas formulas ad Ontologiæ principia revocat, quidve extra ſphæras attrahentes, & quid intra contingat, expendit, atque omnia omnes in partes ita verſat, ut tandem ſibi videatur & omnibus ſatisfacere obiectionibus, & Neutonianæ attractionis legem adverſus ipſos Neutoni aſſeclas, luculentiſſime comprobaſſe. Ut autem viam ſibi muniret ad rationem reddendam innumerabilium effectuum, qui ex una attractione aut expulſione oriuntur, capite ſexto expendit leges nondum a quoquam examinatas attractionum & repulſionum corpuſculorum, & corporum ipſorum; & ad magis ſuum ſyſtema confirmandum, capite ſeptimo, *Boſcovichii*, Profeſſoris Romani, ſyſtema ſub examen revocat, tum quod attinet ad attractionem & repulſionem, tum quod ad naturam elementorum, quæ, de Boſcovichii ſententia, ſe attrahunt atque repellunt. Quo loco ſimul & iis ſatisfacit, quæ *Benvenutus*, alter eiusdem Societatis Profeſſor, ſuis in hoc ſyſtema animadverſionibus Tomo I. prolatis obiecit; nec non obiter ad ea reſpondet, quæ idem Benvenutus, adverſus Leibnitianam virium æſtimationem ſcripſit. Tandem, octavo &

 ultimo

ultimo capite, Auctor alias adhuc ſolvit difficultates, contra iſtud attractionis ſyſtema propoſitas. Articulo primo novis argumentis docet, unam attractionis Neutonianæ legem omnibus naturæ phænomenis explicandis eſſe aptam; & dilutis Gerdilii & Clairaltii adverſus eandem dubiis, occaſionem arripit excurrendi in eum locum, qui de tubis capillaribus tractat; ad Nolletum aliosque refutandos, qui putant, in negotio attractionis rem e voto ſuccedere, cum coeleſtium ratio ab ea repetitur, ubi vero a coeleſtibus ſpatiis ad tellurem attractio traducatur, eam eſſe parum idoneam & accommodatam mutuis terreſtrium corporum acceſſibus explicandis. quod ipſum ex obſervationibus circa tubos capillares perſpicuum facit. Hæc ſunt potiora huius Tomi momenta, e quibus, quanta eidem inſit rerum varietas, quilibet facile poteſt iudicare: quantum vero acumen, quantusve calculi analytici egregius uſus inſit, ii pervidebunt, quibus introſpicere hoc opus curatius vacat.

L' HISTOIRE NATURELLE ECLAIRCIE DANS UNE de ſes parties principales, l'Oryctologie, &c.

i. e.

HISTORIAE NATURALIS PARS UNA EX PRINcipibus, Oryctologia, illuſtrata; novaque foſſilium ordinandorum methodus latina & gallica, nec non doctrinae huius bibliotheca critica.

Pariſiis 1755. Alph. 3. Tab. æn. 26. 4. mai.

Auctor libri, Dom. Dezallier d'Argenville, *conchyliologia* ſimili ſub titulo edita, & *enumerationis foſſilium, quae in omnibus Galliae provinciis reperiuntur, tentamine 1751.* edito, clarus, præſens opus Societati regiæ anglicæ, ut conchyliologiam Academiæ Montispeſſulanæ, inſcripſit. Splendorem, quem typographi cura libro dedit, tabulæ æneæ augent, fautorum variorum impenſis, ut olim illæ quæ ad teſtas pertinebant, ſcalptæ. Liberalitatem nomina tabulis ſubiecta celebrant, & index præfationi additus. Bi-

Bibliotheca præcipuos oryctologos, iudiciis adiectis, recenſet. Recentiores tamen non omnes nominantur: forte quod multitudo illorum auctorem terruit. Igitur excuſatione utitur, illos in patrimonio publico eſſe. De *Baiero* Noribergenſi repetitur, quod Conchyliologia iam pronuntiaverat, dubitari, an figuræ eius omnes rerum exſiſtentium ſint: quod adſertum, nullo argumento fulcitum, iure offendit Baieri filium, V. doctiſſ. qui nuper petrefactorum picturas, Oryctologiæ Noricæ patris ſui ſupplementum, edidit. Germanus certe, viri boni fidem, adeo temere ſubleſtam reddere non eſſet auſus. Ceterum, de foſſilium ſcrutatoribus pauca ſibi ignorata hic reperiat Germanus earum rerum paulo ſtudioſior; & ne quæret quidem, ſi hiſtoriæ litterariæ in recentiori Gallia ſtatum noverit.

Venimus ad novam illam foſſilium ordinationem, quam, niſi integram deſcribamus, explicare omnino non poſſumus. Eſt autem hæc, ipſius auctoris verbis tradita:

FOSSILIA TERRAE PROPRIA — Pag. 39.

Claſſ. 1. Terræ
- Articulus 1. *Terrae*
- 2. *Boli*

Claſſ. 2. Lapides — 41.
- Genus 1. *Duriſſimi*
  - Species 1. Criſtalloides
    - Art. 1. pellucidi
    - 2. ſemipellucidi
  - Species 2. Opaci
    - Art. 1. polituræ idonei
    - 2. grumum craſſum ſ. naturam pinguem habentes, polituræque minus idonei.
  - Species 3. Silices
    - Art. 1. cryſtalliſati
    - 2. pellucidi
    - 3. opaci

Digitized by Google

Species 1. politur æ idonei
2. pol. minus idon.
Art. 4. communes
Species 1. qui invicem defricati ignem emittunt.
2. qui defricati ignem non eiiciunt.

Pag. 56.
Genus 2. *Teneri*
Species 1. meatus laxiores grumumque craſſum habentes, ſectioni faciles
2. meatibus anguſtioribus grumoque ſubtiliori præditi, ſectioni difficiliores
Genus 3. *Squammoſi*
Species 1. pellucidi
2. opaci
Genus 4. *Sabuloſi, poroſi, ſpongioſi.*
Claſſ. 3. Sales, Sulphura, metalla, & mineralia.
Gen. 1. *Sales*
2. *Sulphura*
3. *Metalla & Mineralia*
Metalla
Semimetalla
Lapides martis
Lapides pyritoſi
Lapides quarzoſi
Lapides ſpathoſi
Lapides montibus ignivomis proiecti.

FOSSILIA TERRIS ALIENA

Claſſ. 1. Animalium partes

Art.

Digitized by Google

Art. 1. Veræ partes animalium
Art. 2. Partes anim. lapidibus impreſſæ

Claſſ. 2. Vegetabilium partes
Art. 1. Veræ partes vegetabilium.
Art. 2. Part. veg. lapid. impreſſæ.

Claſſ. 3. Lapides poroſi a mari producti, qui, in terræ viſcera diluvianis aquis adducti, terræ alieni ſunt.

Claſſ. 4. Lapides animalibus & vegetabilibus alieni, in iisque quotidie naſcentes.

Anguſtiſſimis ſubdiviſionibus, quarum titulos exſcripſimus, ſubiicitur velut individuorum, ad illas pertinentium, catalogus; plane ac ſi is collectionis alicuius harum rerum eſſet tabula. Gallica interpretatio e latere adiecta eſt. Terminos methodi ſuæ auctor nec hic, nec ullibi in decurſu operis, ſollicite definivit. Iam de ordinatione hac dicere quædam liceat. Et integram *novam* eſſe nemo credet, qui quinque illos foſſilium ordines diu cognitos recordabitur; quorum priores duos, terras & lapides, exiguis diſcriminibus diſtinctos, & in ſe mutuo abeuntes, nova hæc methodus ſollicite dirimit; ſales, ſulphura, metalla, mineralia, res adeo diverſas, tot diſcriminibus varias, in unam claſſem coniicit. Sed hoc leve eſt, ſi poſſint foſſilia hac methodo apte ſatis collocari. Id vero ne in lapidibus quidem ſuccedere, circa quos præcipua diligentia verſatum eſſe noſtrum apparet, argumentis, & ipſa velut eius confeſſione, docebimus. Bolos a terris in opere ipſo p. 129. ita diſtinguit, ut terras unctuoſas, argilloſas, graves, metallicas, glabras, facile pulveriſabiles dicat; argillam autem ad terras anguſtiori ſenſu acceptas refert, ut non intelligatur, cur hanc cum marga, humo, &c. coniungat, & bolo diverſum adeo locum adſignet. Igitur inter prima, quæ methodi huius capi poſſunt experimenta, hoc eſt, quod *Lemnia* terra, & *Strigonienſis*, inter terras enumerantur, & inter bolos repetuntur. Imo inter terras ipſi eſt *Sigillata*, & huic quidem non ſubordinat Lemniam atque Strigonienſem, aliasque etiam ſigillatas, ſed æque ac glaream, & figlinam, & ſabulum, ad latus ponit. Denique, in catalogo terrarum condendo quam ſollicite

cite verſatus fuerit, hoc docet, quod *Iaponicam* etiam ibi nominet, gallice, ne quis dubitet: *du Iapon; ou Cachou.* mirum, quod in hoc catalogo terra merita, & foliata tartari non reperiantur. Lapidum vero duritiem in gradus diſpertiri decebat, neque duriſſimis ſtatim teneros ſubiicere, &, qui duritie differunt ut adamas & alabaſtrum, eos communi duriſſimorum nomine continere. Notum autem, hos gradus limam, cultrum, & talia, præbere iis, qui in lapidibus ordinandis inter nos verſati ſunt. Cryſtalloides lapides pellucidis & ſemipellucidis ſimul acceptis ſynonimos eſſe, ex reliquis noſtri claſſibus patet: igitur hunc locum gemmæ inprimis occupant; qua autem nota, a pellucidis & opacis lapidibus ſilices diſcriminet, quos ipſos in pellucidos & opacos dividit, non dixit; neque cur communes ſilices alium articulum conſtituant, quaſi horum aliqui poſſent nec pellucidi nec opaci eſſe, aut quaſi commune eſſe, vel rarum, inter notas a naturæ hiſtorico tradendas locum habeat. Teneros lapides *tendres & calcaires* appellat, quaſi teneri lapides omnes calcarii ſint, aut quaſi liceret hic calcarios appellare, cum prioris generis diſcrimen nullum ab habitu in igne ſtatuerat. Sed ad exempla eius deveniamus; hæc enim, quæ vis methodi ſit, optime oſtendent. Achates, ut ſpecimen demus, hos habet: orientalis; dictus Onix; dictus *Camahu,* dictus Nicolus, niger, albidus, germanicus: igitur nigrum achatem aut albidum ſi quis reperiat, Argenvillio auctore pronuntiabit, hos quidem nec orientales eſſe, nec germanicos. Similiter Turcheſiæ ipſi ſunt Perſica, Turcica, Occitanienſis, albida; quaſi trium priorum nulla poſſit albida eſſe: ut taceamus, vulgatam gemmariorum diviſionem in Turcheſiam veteris & novæ rupis *(de la vieille & de la nouvelle roche),* quæ, ut *Reaumurius* oſtendit, ad perfectionem gemmæ redit, eodem iure hic debuiſſe adduci. In *duriſſimorum* lapidum vero Speciei Secundæ art. 2. cui lapis ſaponaria, (ita vocat noſter,) & Steatites eſſent quæſiti? hi ſcilicet iaſpidi & achati cavernoſo vicini. Silices criſtalliſati ſunt: flavidus, albidus, plenus, cavus, orientalis, ex Monte Libano, (alius hic ſcilicet ab orientali,) ex locis dictis Breuil Pont,

Pont, Villebon, Nogent le Rotrou, quos ſilices, ſi recte noſtrum intelligimus, intelligimus autem ut alios naturæ hiſtoricos, nec planos, nec cavos, nec flavidos, nec albidos eſſe oportet. Inter ſilicum art. 4. ſpec. 2. ipſi eſt lapis molaris, (hincne ſilex?) deinde pyriformis, ficoides, cidonium malum referens, & plures alii a figuris, quas ludens natura ipſis tribuit, denominati; quaſi eadem non posſit lapidem ſcintillas edentem in ficum aut pyrum efformare. Deinde vulgatum eſt, chalybe ignem ex ſilice elici: hoc novum, idem *ſilicibus invicem defricatis (frottés l' un contre l' autre)* fieri. Lignis id contingit, non lapidibus. Tenerorum lapidum ſecunda ſpecies Pag. 57.
cotem aquariam et oleariam habet, quarum nulla certe calcaria eſt, ipſæque ſolo ferri acuendi uſui convenientes; ceterum inſigniter differunt: quis enim intelligat, eodem ſenſu *meatus anguſtiores grumumque ſubtiliorem* de utraque cote dici, niſi qui neutram vidit. Noſter autem cum hoc ſibi ſumſerat, poterat aquariam cotem hic nominare, & molarem lapidem inter ſilices. In ultimo lapidum genere hos aliquis forte 59.
quæſiverit. Fruſtra: alia omnia hic reperiet. En qui lapides ſabuloſi ſint: Dactylites, Caſtanites, Cyanites, Scelites, Artolithos ſeu Similagates Cancriformis, Andrapodites, pes humanus ſaxeus, rel. Folia tria videas lapidum figuras varias 64.
exhibentium nominibus plena. Aliqui, ut ſaponarius, ebur foſſile, variolites, ſtalactites, belemnites, entrochus, cet. poroſi certe aut ſpongioſi ſunt; poros enim profecto lapides omnes habent, ut poſſint ad hoc genus quicunque libet referri. Ut verbo omnia dicamus, luſit noſter in lapidibus ordinandis, non phyſici oculo illos contemplatus eſt, nedum chymico rigore examinavit. Inſunt præterea catalogo huic vitia quædam, ad naturæ quidem cognitionem non pertinentia, a naturæ tamen hiſtorico, quoniam is ſcriptoris boni leges obſervare debet, non committenda. Ex his leviſſimum forte Gallo videbitur, generum permutatio; Boli omnes, cum cotibus, & aliis quibusdam feminis, in mares mutatæ: gravius autem eſt, quod natalia loca lapidum ita nominat, ut agnoſci vix poſſint: graviſſimum, quod hæc nomina, ac ſi lapidum ipſorum

 eſſent,

Digitized by Google

Pag. 59. eſſent, edit. Prioris ſpecimina ſint: Ardeſia dicta de Panpen-
heim; — de Goslart; marmor ex monte Pinifero, gallice
50. redditum *du mont pinifero;* marmor dictum *pierre de Stolpe*
49. in Pomerania; Piſcis ex agro Onoldino, gall. *un poiſſon d'*
79. *Onoldino.* Alterius culpæ exempla hæc cape, pauca ex innume-
50. ris: Marmor *Diegeigen* & *Hurtignag* ex loco Bareith; Lapis
57. dictus *Gothie* in Suecia — *Neriche* in eodem regno ſaxum di-
58. ctum *Roslagen* in Suecia. Andeſia dicta *Mansfled — Glaris.*

65. Venimus ad tertiam claſſem. Non quæremus quid ſit *ſal principium* primum generis ſui; ſed ſal *gemmeus mineralis foſſilis*, & *ſal dictus muria foſſilis*, quomodo differant, non videmus: nam ſi muriam ſolutum ſalem vocat, non foſſilis ille eſt, ſed hauſtilis. Subiiciuntur ſal plantarum & animalium, item Nitri, Tartari, Abſynthii, dictus *Policrete*, (quaſi non diceretur Polychreſtus,) Ferez Ebſon, Saignette Alembrot, quæ nemo inter ſales hic quæſiverit, qui non innumeros alios ſales, ubi his locus fuit, deſideret. Sal alcali hic etiam comparet, gallico Synonymo, *ou ſoude*, adiecto; id vero ſoudæ - alcali in fixum & volatile diſpeſcitur.

67. Sed nulla pars oryctologiæ in hac quidem methodo minor eſt illa, quam metalla conſtituunt: nomina illorum hic legas, mercurii non omiſſo; tam amice novæ huic methodo cum antiquis convenit: minerarum partitiones nullas, quas tamen hic ſuſpiceris; non enim metalla plerumque effodiuntur, ſed
68. mineræ. Et ne credas noluiſſe de mineris agere, ſemimetallorum mineræ nominantur, ita quidem, ut exſpectari ab hoc novæ foſſilium methodi conditore poterat. Igitur ibi Saphera comparet, & cinnabaris nativus ac factitius: nam & tu cinnabaris

— — — — — *iam quae*
Femina nuper eras, puer es. —

Sciſcitari autem liceat, quale ſemimetallum præbeat cinnabaris, quando mercurius metallum eſt? Tam apte omnia in nova hac methodo cohærent!

Sequuntur ſemimetalla lapides martis: cur a ferro ſeparati, nemo noſtrorum, qui Davi ſumus, explicat; nam aliorum metallo-

rum

rum lapides nulli nominantur. Videamus tamen qui ſint hi lapides martiales, aut ferruginoſi, quam explicationem gallica interpretatio adiicit. En illorum ſpecimina: Magnes; Oetites (*pierre d'aigle*, ne dubites *aetitem* eſſe;) Enhydros, ætitis ſpecies; Lydius Plin. Crucifer; Geodes, Enorchis, diphis Pag. 69.
vel diphris (*repreſentant les deux natures du male & de la femelle);* Ceraunia Brontia; Lapis novaculorum, (cum ante ferri uſum adhibitum pronuntiat); Lucifer Bononienſis —; Oſtracites, Lapis dictus *aichen, Pierre ou croiſſent les aichen,* (igitur Mons Pinifer erit Mons dictus Pinus); Ruſma, (quaſi depilatorium hoc aut lapis eſſet, aut martiale?) Sarcophagus, Chryſopraſius, Iolithes Saxoniæ, Chryſoberyllus, Steatites, & adhuc alii, inter quos ubi aliquamdiu quæſiveris, hæmatitem tamen, & ſchiſtum etiam invenias, & ſideritem, (qui omnino, niſi erravit qui nomen impoſuit, ferrum continet,) & molybditen, plumbo ſi noſtro credimus fetum, (cum alii molybdænam metallo ſterilem pronuntient,) & calcitem, cupro prægnantem. Hi lapides omnes, quo pacto martiales ſint, divinent quibus volupe eſt; niſi forte ita ferrum continent, ut illud ubique in globo noſtro reperiri dicitur, tunc autem & ſanguinem, & plantarum cineres, hic nominari oportebat. Se- 70.
quuntur Pyritoſi lapides, inter quos *Henkelius* procul dubio ſi viveret adhuc ſuſpiceret Pyritem Lachtmundi, avem apodam exhibentem, & pyritem leonem atque mammarium, quorum ille leonis ſpeciem, hic tres mammas exhibet. Quar- 71.
zoſi & ſpathoſi lapides cur hic demum compareant, rurſus nemo intelligit, non magis quam ordinem quo enumerantur. Quarzum albidum, rubrum, opacum, in cote, ex Sumatra, cavernoſum, Miſniæ, in medio duarum onychis corneolæ venarum. Quis unquam lapidis ſpeciem ita in inferiores diſpertitus eſt? Inter Proiecta montium ignivomorum primi ſunt lapides dicti *fluores*, quo nomine cum plura la- 71.
pidum genera veniant, explicare decebat, quid hic intelligatur. Nominantur etiam *Laves* (inter latina nomina) pumicei, ſcoriæ. Pumicem vero a Veſuvio proiici iure dubitatur; ſcorias autem nemo lapidem appellaverit, cui non & vitrum lapis ſit.

Digitized by Google

Copioſus eſt index petrefactorum, & inter ea ſecundo loco Sceleton humanum, a Kirchero *refertum.* Sed nos hæ divitiæ non morabuntur; monemus tamen, quod & ex adductis iam colligere licet, ea, quæ ſub anguſtiſſimis ſubdiviſionibus continentur, ita enumerari, ac ſi enumeratio hæc eſſet individuorum, in oryctophylacio quodam adſervatorum, catalogus. Id dom. d'Argenville crederemus, niſi illud ſceleton a Kirchero *refertum*, & nonnulla alia nos impedirent. Quidquid ſit, in nova methodo non decebat anguſtiſſimarum ſubdiviſionum exempla adeo confuſe, mox a loco, mox ab aliis qualitatibus denominare, ſed infimarum harum ſpecierum differentias certas ſtatuere, & quibus in locis ſingulæ reperiantur, ubi id innotuerit indicare: ita Linnæus, Wallerius, alii antiquiores noſtro methodici ſe geſſerunt, exemplum inde a longo tempore præbentibus botanicis, quorum conatus ſi perpendiſſet noſter, aut aliam methodum elaboraſſet, aut, quod verius eſt, methodo condendæ imparem prorſus ſe agnoviſſet. Certe enim, ſi phyſica cognitione non deſtituitur, induſtria & patientia, rerum naturalium characteres accuratius examinandi, non pollet, ſed foſſilia ſub titulis illis, ſub quibus ipſi traduntur, in loculos ſuos reponit, & plane ut quidam inter Germanos & Batavos curioſi ſemieruditi, ludibundus, quæ oculos inprimis forma ſingulari feriunt, non quæ naturæ ſcrutatorem docent, ſectatur, præſtantiſſimæ cognitionis foſſilium partis, metallurgiæ, tantum non imperitus, cui ſpathum & quarzum mineralia ſunt, quia ſcilicet e montibus effodiuntur, nec ubique in campis iacent. Nam eo ſenſu, quod metalla & alia corpora interdum contineant, non ſpathum & quarzum ſolum mineralia ſunt, ſed & multi præter hos lapides; quos ſi non noverat, rogare Germanum quemdam metallifoſſorem debebat, ut ſibi illos monſtraret, antequam novam foſſilium methodum orbi erudito offerret. Non ita magnus Reaumurius, ſenex tribus hominum ætatibus dignus, qui accuratius ſe foſſilia examinaſſe, & meliore ordine digeſſiſſe, commentariis editis oſtendit.

Pag. 95. Proximum eſt lexicon terminorum technicorum, ab auctore adhibitorum, quod prodeſſe poteſt iis, qui terminos gallicos

licos de re gemmaria & fuſoria intelligere cupiunt. Reperimus etiam ibi germanas voces aliquot metallurgicas, interdum corruptas, raro exacte ſatis explicatas. *Blende* dicitur Pag. 97.
eſſe minerale ſterile, in plumbi fodinis reperiundum: aut ſecundum alios minera mortua, regulariter talcoſa, plumbi colore; difficulter igne liqueſcens; *ſterile nitidum.* Audivit ſcilicet noſter, *pſeudogalenam galenae* eſſe ſimilem, & hanc plumbi mineram pro plumbo ipſo accepit. neque in ſolis plumbi fodinis illa reperitur. Quod ignoravit non ſterilem penitus eſſe, id vitium præ aliis gravioribus, ut lux minor præ maiore, evaneſcit. Galenæ voce hic non uſus eſt, & tamen voci *Galene* unice addit v. *Blende,* quaſi *Blende* eſſet *galena.* Non melius explicatur *Glette,* per impuritatem materiarum, dum 103.
purificatur metallum, ex capella defluentium: dici autem debebat lithargyrum eſſe plumbum, phlogiſto ablato, in vitrum redactum.

Hæc, de quibus diximus, primam operis partem conſtituunt. Secunda tres claſſes foſſilium, terræ naturalium, uberius explicat, præmiſſis diſſertationibus de lapidibus, & de mineralibus. Hæc igitur pars cum commentarius veluti ſit in indicem præcedentem, facile de illa iudicium ferri poterit. Operoſe ſatis noſter foſſilium nomina & proprietates, ex pluribus auctoribus congeſſit, non magno ſelectu, non meliore ordine, quam a methodo eius poterat exſpectari; nullibi fere propriis obſervationibus, quæ anteceſſorum tradita examinarent, vel augerent, additis. Solent eruditi Germani, Gallis elegantioribus *compilatores* audire, illamque accuſationem nuper Dom. de *Buffon* renovavit, in volumine primo hiſtoriæ naturalis; in quo opere index gazophylacii regii, qui pars princeps eſſe debebat, ſub immani copia eorum, quæ D. de Buffon compilavit, deliteſcit. Ceterum, ſi hic non omni culpa carent Germani, hanc certe compilandi artem diuturno uſu conſequuti ſunt, ut ſeligere norint & diiudicare, quæ ad rem ſuam faciant: Gallis autem, huic negotio minus adſuetis, ſæpe eruditionis oſtentatio infeliciter cedit. Ita noſter, cum de terris 121.
agit, Becheri tres terras, hoc eſt tria principia chymica, etiam

Digitized by Google

commemorat, & *caput mortuum*, quod terram aliqui appellant. Terras vero, Theophraſto teſte, ab exhalationibus colorem ſuum conſequi, narrat; odorem malum & ſuffocativum, a ſemimetallis admixtis eſſe, ac odore hoc divitias mineræ indicari, & ſimilia: quibus hic, ubi de terris agitur, locus non eſt, niſi articulum tractationis ſuæ peculiarem de terris metallicis facere voluit, quod tamen non fecit, quin potius collectanea ſua de terris ita edidit, ac ſi terras diluvio quodam permix-
Pag. 123. tas enumeraret. Porcellanæ faciendæ utiles terras inprimis eſſe ait Margas teneras & albas; Sinenſibus *Petunzè* & *Kaolin* adhiberi. *Petunzè* lapidem eſſe comminutum in pulverem album, ſubtilem, tactu levem; *Kaolin* minus durum eſſe, & in aqua facile diſſolvi. Hæc ille: iam qui de terris porcellanæ idoneis plura dicere neſcit, eum penitus tacere oportebat; hoc enim non eſt tantum nihil dicere, ſed, quod peius eſt, nihil dicendo ſpeciem, quaſi dicatur aliquid, præbere: poterat autem, quæ terræ huic negotio conveniant, & Sinenſium illæ quomodo differant, ex cive ſuo Reaumurio diſcere.
143. In diſſertatione de lapidibus, reiectis viribus quas ſuperſtitio illis tribuit, quaſdam tamen ineſſe illis fatetur, quarum hæc ſunto exempla: Oſtracites mammarum inflammationi medetur; iudaicus calculum diſſolvit; belemnites vulneribus egregie convenit; aſtroites vermes pellit; hæmatites hæmorrhagias ſiſtit;
149. morochtus lac provocat, cet. Subiicit diſſertationem in academia (forte Montispeſſulana) lectam, qua probatur, dendrites luſus naturæ eſſe. Quomodo autem generentur, in quod inquirere operæ pretium fuerat, de hoc penitus tacet. Lapides ipſos, methodi ſuæ filum ſequutus, enumerat figuris ele-
150. gantibus additis. Igitur primo de duriſſimis agens, Tab. 2. fig. 1. adamantis matricem exhibet. Lapidem ait eſſe fuſcum, valde durum, ſilicibus quibusdam concoloribus, ſed grumi lapidis grumo ſubtiliori intermixtum: ibi *(an in his ſilicibus? obſcurum eſt)* adamantes ſcintillare, quorum unus pyramidis truncatæ quadrangulæ forma ex matricis extremo eminet. Ex regno Golconda eſt hæc matrix rariſſima procul dubio, cum ſimilis nullibi recenſeatur. Similiter deſcribuntur

&

& depinguntur matrices *Saphiri* alſaticæ, *Granati*, *Carneoli*, *Rubini*, *Smaragdi*, *Hyacinthi*, *Amethyſti* orientalis, *Topaſii* Schneckenſteinenſis. Matrices gemmarum nullibi depictas monet noſter; quod licet verum eſſe poſſit, (*Kundmannus* rarior. nat. & art. Tab. XII. fig. 6. matricem adamantis ſiſtit, ibid. p. 194. deſcriptam): nobis tamen vix operæ pretium facere imagines tales videntur, ut minerarum plerarumque. Hyacinthi certe & amethyſti matrices, ut depictæ hic ſiſtuntur, nulla re a *Quarzi* quas vocamus *Druſis* diſtinguas. Poſt- Pag. 157. hæc de adamantum figuris, quæ arte ipſis dantur, & hiſtoria adamantum celebrium, varia grata lectu A. adducit. Galliæ regis duo præſtantiſſimi ſunt, *le Regent*, & *le Sancy*. Poſterioris pondus eſt granor. 226. figura oblonga, roſam duplicem efformans, perſpicuitas & puritas perfecta. Gallicus ad Turcas legatus, Dom. de *Harlay* Bar. de Sancy comparavit libris gallicis 600000. æſtimatur vero longe pluris. Priorem Dux Aurelianenſis, cum Ludovico XV. minorenni Gallias regeret, emit. Pondus eius eſt gran. 547. aut caratorum 137. minus grano; emtus eſt librarum millionibus duabus & millibus quingentis, interno autem valore millionibus quinque æquiparatur. Pulcherrimus adamas omnium qui exſiſtunt creditur; figuræ eſt fere quadratæ, angulis rotundatis, latus quadrati eſt linearum $14\frac{1}{2}$, altitudo lapidis linear. 9. Figuram ipſi ars dedit polyhedram, facie ſuperiore plana *(taillé en brillant)*. Diebus ſolemnioribus, regis aut reginæ coronam exornat.

Cryſtallos ex pyrenæis & alpibus, druſas germanicam & 164. anglicam, tab. 3. exhibet, & fruſtum rarius cryſtalli, intra cuius ſoliditatem lineæ varie ſe decuſſant, ac ſi cum fluida erat adhuc lapidis materies, ſtraminis particulæ intraſſent. Sequentes tabulæ Achates varios picturatos, Dendritos, cet. oſtendunt. Adamantes quomodo poliantur, deinde breviter docet.

Intelligent lectores noſtri, cur tabulas fere ſolas nominemus: cum enim liber ipſe nihil fere proprium habeat auctori, etſi bona multa congeſſerit, illa tamen excerpendi hic locus non eſt. Sexta igitur tabula ſilices varios exhibet, picturis aut fi- 208. gura rerum variarum ſimilitudines illis oſtendentes, qui imaginandi

Digitized by Google

ginandi facultatem habent, ad hoc negotium neceſſariam. Unus rotundi quidpiam ſuper baſi ampliore monſtrans, caput eſt humeris impoſitum; alius avis capiti cum roſtro ſimilis dici utcunque poteſt, & de hoc Auctor notat, eum cruſta lapidea albida veſtitum, intus vero eiusdem cum aliis ſilicibus naturæ eſſe. Id autem vulgare ſilicibus eſt; ut pateat, parum ſollicite noſtrum eos examinaſſe. Orientalis quibusdam, a pictura, quam in eo imaginantur, curioſis *puer in faſciis* appellatur, (quidni *puella?*) in alio oculos curioſorum nates infan-
Pag. 229. tis nudatæ paſcunt, cet. Septimæ tabulæ prima figura, *priapoliten Saxoniae cum appenſis teſtibus* depingit, qui noſtro *pulcherrimum foſſilium quae ſpectari poſſunt* appellatur; quam egregie in illo omnia originali, cuius ideam curioſis excitat, reſpondeant, prolixe auctor deſcribit. Subiacet illi Ruſcinenſis, Comitatus (*Rouſſillon*), ſine teſtibus & glande, imperforatus, brevior aliquanto, craſſitie neutiquam comparandus; ut aliquos eruditorum noſtrorum, de patriæ gloria in omnibus promovenda ſollicitos, non dubitemus Saxonicum de Gallico
233. triumphantem cum voluptate ſpectaturos. Octavæ tabulæ
237. lapides, caſeos, pileos, panes, cet. ſiſtunt: in nona cornu Ammonis dimidium, pedis diametro, diaphragmatibus quæ concamerationes efficiunt eminentibus, criſtalliſatis, reliqua antecellit. Sequuntur tabulæ lapidum picturatorum, inter
138. quos eſt Tab. 10. Florentinus, caveam oſtendens, per quam velut e longinquo montoſa regio trans flumen quoddam conſpicitur, in ripa vero citeriori tres homines, velut colloquentes, veſtiti, pileati, unus baculo inſtructus. Teſtatur Auctor, artem hic nihil feciſſe.

Cur transſilianſus quæ de ſalibus, ſulphuribus, metallis habet, cauſſam iam diximus. Illa ipſa, quam in compilandis auctoribus variis poſuit Auctor, opera, non niſi doctrinarum harum iam perito prodeſt, qui falſa aut minus accurate tradita dignoſcere noverit. Nos vero, ne nimis iniqui in Auctorem videamur, nolumus excerpere, quæ perpetua epicriſi comitari neceſſe foret. Progredimur ergo ad petrefacta, quæ principem vere operis huius partem conſtituunt. Horum ele-

Digitized by Google

elégantia quædam ſpecimina depinguntur. Tab. 14. echinos Pag. 322.
duos (*ourſins de mer*) repræſentat, iuxta ſe petrefactos, radiis ſparſim ſubiacentibus, alterius cavo rotundo adhuc hiſpido. Exemplar ornat collectionem Ducis de *Sully*. Petra corallio 324.
albo tecta Tab. 15. exhibetur. Corallium hoc valde ramoſum; rami quidam rubri ex petra emergunt; alborum ramorum extrema & interiora ſeptem locis rubeſcunt, cortex vero albus manſit, & ruber color ibi non adeo vividus eſt, ut in reliquis ramis. Hinc colligit noſter, corallium per varios gradus eum ruborem, quo nobis placet, conſequi, imo forte corallia in fundo maris alba eſſe, & poſt rubeſcere: quam coniecturam & hoc argumento firmat, quod album corallium interdum, etſi rarius, extrahitur.

Prætermittere non poſſumus calvariam Tab. 17. depictam. 330.
Altero a Rhemenſi urbe lapide reperta eſt, in montibus pagi *Sacy*, pedibus 15 ſub terra; iam a Dom. *Ionet*, M. D. Rhemenſi, poſſidetur. Magnitudine monſtroſam, tamen intus & extus minimas impreſſiones, quæ in calvariis obſervantur, retinuiſſe, noſter adſerit. Oſſium cranii ſubſtantiam ſpongioſam inprimis valde eſſe dilatatam, ut aliquibus in locis digitos duos craſſa ſit; etſi in locis oppoſitis craſſitiem naturalem habeat. Cranium, etſi petrefactum, intus tamen non niſi diametrum ſuam habere, mandibulam inferiorem in oſſa duo eſſe diviſam, quibus in totum unicum coniunctis, apophyſes coronoideæ digitis tredecim diſtent, digito dimidio infra angulum apophyſium mandibulam integram latam eſſe digitos quinque cum ſemiſſe. Oſſa narium materia lapidifica repleta, ut fere indicia illorum perierint, quod orbitis oculorum etiam accidit, item auribus. Cranii, capitiſque integri ſuperficiem, cutem (*une peau*) glabram & flavam eſſe, ſuccum lapidificum dentes non penetraſſe, quorum plurimi adhuc alveolis ſuis inſideant omnino integri. Qui calvariam effodit, cranium in oſſe parietali ſiniſtro læſiſſe, ſed particulam avulſam iuxta adſervari. Calvariam in tres partes eſſe ſeparatam; ſuperiorem usque ad mandibulas unicam eſſe, mandibulas cum dentibus & illorum alveolis reliquas duas efficere. Pondus omnium ſimul

Digitized by Google

Pag. 331. libras XII. æquare. Phyſicus quidam peculiari ſcripto docuit, calvariam eſſe hominis violentam mortem perpeſſi, cuius caput cum calens adhuc eſſet defoſſum, principia vitæ in eo reſidua fermentationem in limo circumiacente excitaſſe, & hanc eſſe petrefacti originem. Magis autem receptam ſententiam noſter adſerit, exoſtoſi in vivo homine calvariam ita creviſſe, deinde petrefactam. Hæc de calvaria illa ſcripſit Auctor: picturam cum addere non poſſimus, id ſaltim lectores monemus, ſi, poſtquam relata perpenderint, dubii adhuc hæreant, ſitne hæc vera calvaria petrefacta, imaginem hoc dubium non exemturam. Integram illa calvariam partibus iunctis repræſentat, ruditer omnino parti ſceleti humani, a qua nominatur, ſimilem; neutiquam vero tam accurate ac lapis a *Leſſero* Lithotheol. §. 304. ex *Büchneri* Miſc. med. phyſ. math. 1729. deſcriptus; & hunc tamen lapidem nemo Germanorum pro calvaria petrefacta habuit. Rhemenſis imago, unicum dentem in quavis maxilla monſtrat, cum deſcriptio de pluribus loquatur. Sed hæc deſcriptio ita comparata eſſe videtur, ut accuratiorem, partium etiam ſeparatarum picturis, internam quoque corporis huius faciem exhibentibus, optare fas ſit iis, quibus lapidem ipſum contemplari non datur. Noſtro enim vel ſecum ipſi ſatis convenire non videtur, quando minimas impreſſiones calvariarum (les moindres impreſſions) hic conſervatas eſſe narrat, oculorum autem orbitas, & nares, tantum non abolitas; quæ de auribus dicit parum etiam intelligimus, neque enim in ſceleto ſolent apparere. Mandibulam in menti loco diviſam, ut ſolet apud iuniores, figura ſiſtit: noſter vero, ubi partes lapidis enumerat, de *mandibulis* loquitur: igitur, ſi ſuperior a cranio avulſa eſt, quatuor lapidis partes ſunt non tres, niſi de inferiori mandibula plurali numero loquutus eſt. Tacemus dimenſiones lapidis plus quam giganteas, exoſtoſi, qualem experientia docuit, certe non explicandas.

343. Petrefacta, quorum analoga nondum innotuerunt, ad quindecim ſpecies refert, quarum ecce nomina: Gryphites, Terebratula, Cornua Ammonis, Raſtellum, planorbis, belemnites,

tes,

Digitized by Google

tes, Hamellus, Alveolus, Infundibulum, Entrochus, Pholas, Lituus, Orthoceras, Cauda cancri, Hiſterapetra alata, vel Oſtreopectinata, coniuncta ſiſtit Tab. 19. Inſignia vero operis ornamenta ſunt, corporum, quæ olim plantæ marinæ habita ſunt, iam polyporum ædificia creduntur, petrefacta, Madreporæ, & lapides ſtellati. Occaſione teſſerarum Badenſium narrat auctor, petrificatis etiam factitiis credulos falli, cum variæ partes, quæ coniunctæ raritatis ſpeciem habent, conglutinantur. Fraudem detegi, merces aquæ calidæ imponendo, Pag. 373.
quæ gluten diſſolvat. Simili modo artem detegi, qua Batavorum induſtria, teſtis colores naturalibus ſplendidiores impresſit.

Ultimo loco de lapidibus animalium & vegetabilium agit, 374.
quos non adeo commode *alienos* his corporibus, & tamen in iis *quotidie* creſcentes, appellat. Adiicit ſimilitudinis cauſſa lapides bezoardicos, minerales, & pilorum conglomerationes. Hæc omnia lapidum nomine complecti, & in libro oryctologiæ illuſtrandæ deſtinato tractare, vix methodicum eſt; quin potius ad illud, quod Germanis obiici diximus, compilandi ſtudium, proxime accedit: nam & oſſa piſcium quorundam, quæ abuſus lapides vocavit, ut lucii, percæ, huc refert, ne quidem monito quod oſſa ſint. In capite Carpionis os lapideum reperi dicit; mirum, quod huc non etiam oſſa petroſa calvariæ humanæ retulit.

Hinc, quantum Dom. d' Argenville oryctologiam hoc opere illuſtraverit, intelligitur, Ad figuratorum lapidum hiſtoriam, tum eorum, qui corpora olim organica continent, tum in quibus natura luſit, aut imaginatio potius ſpectatorum ludit, fere omnia quæ protulit pertinent; neque hanc hiſtoriam tam auxit, quam potius ex variis ſcriptoribus collegit, quorumdam tamen ſpeciminum non contemnendorum imaginibus ornavit, etſi poſt tot tantorum virorum hac in re conatus, vix cuiquam aliud quid præter ſpicilegium ſuperſit. Reliqua vero foſſilium doctrina, nobiliores profecto & utiliores partes continens, pæne nihil libro huic debet, qui documento eſſe poteſt, quantum adhuc in re minerali & metallica infra Germanos conſiſtant Gallorum ſaltim bene multi. Germanum

Digitized by Google

enim, ſi noſtro tempore talia de metallis ſcripſiſſet, vel metallifoſſorum pueri, qui quarzos & ſpathos contuſos a galena ſeparant, exſibilaſſent. Neque hæc ignorare, viro, cuius in aliis magna eſſe poteſt eruditio, contumelioſum eſt: ſed de ignoratis ſcribere, illorumque ordinandorum novam methodum comminiſci, hoc veniam non habet.

Adiicitur libro enumerationis foſſilium Galliæ, de qua ſub initium diximus, gallica verſio; quod ſane opuſculum nos quidem reliquo operi, uſus, & veræ quam continet doctrinæ, eiusque primum iam orbi innoteſcentis, non ex libris compilatæ, cauſſa, multum anteponimus. Videtur plures reperiiſſe noſter, qui tabularum ſcalpendarum impenſas ſpoponderunt, quam tabulas habuit foſſilium picturis replendas. Igitur eorum liberalitate uſus eſt ad edendas imagines avium, nondum depictarum Tab. 25, & piſcium a *Plumierio* in America pictorum, ſed ut credit nondum editorum, Tab. 26. Horum animalium nomina adiiciemus, ut quærere imagines
Pag. 533. posſint, qui volent. Sunt autem aves: 1) *Avis pugnax* vel *Ochropus*, a pedibus flavis dicta; quam Dom. de Iuſſieu ſervat. 2) Fulicæ (*Rasle*) ſpecies *Cochouan* vel *Marouette* dicta, quæ ſub finem Septembris in Normandia moratur. 3) Halcyon litoris Africani, *Martin Pecheur* dictus. 4) Lari vel Gaviæ albæ ſpecies, gall. *Mouette* vel *Goulant*, eiusdem litoris.
534. Piſces his nominibus *Plumier* inſignivit: 1) *Seſerinus*, ſ. *aper aureus* maculatus & faſciatus. 2) *Lyra*. 3) *Turdus* totus coeruleus & aureus, pinnis & cauda fulcinatis. 4) *Bellona* maculata, cauda trapezia.

Des Deutſchen Reichs Münz-Archiv, ꝛc.

i. e.

ARCHIVI MONETALIS IMPERII ROM. GERMAnici, PARS III. Auctore IOHANNE CHRISTOPHORO HIRSCH.

Norib. 1757. Alphab. 5. plagg. 8½. in fol.

Per-

Pertinet hæc pars potiſſimum ad initia Seculi XVII. cuius tam triſtis in re monetaria memoria eſt, propter fraudes æruſcationum. Vergunt ad eandem calamitatem, per belli iniuriam, etiam noſtra hæc tempora, quibus quotidie fieri videmus, ut valor argenti non a Principibus, ſed a plebe & Iudæis uſurariis, definiatur. Fiet ita, ut Vallenſis, qui duorum florenorum eſt, quemadmodum tempore belli tricennalis, duodecim florenis redimatur. Ideo Ill. Auctor in Præfatione Meditationes amantis patriam amici, ut credi vult extranei, exhibet, quibus obex poni poſſit malo ingruenti. Summa eius conſilii hæc eſt: „Danda eſt opera iis, qui rei publicæ præſunt, ut valor pecuniæ eorum cum valore pecuniæ gentium vicinarum, quarum commercio carere non poſſunt, in primis earum, quibus bilancem parata pecunia ſolvere coguntur, quam fieri posſit accuratiſſime conveniat.“ Hanc regulam ſecutus Cardinalis Richelius A. 1640. adoptato valore monetæ Hiſpanicæ, omnes confuſiones abolevit; idque conſilium pro omnium ſuorum palmario ſemper habuit. Floruerunt hinc ſub Colberto deinde vehementer in Gallia omnes artes manuariæ: quumque idem conſilium Rex hodiernus 1726. arriperet, nulla poſthac mutatione opus fuit, immo moneta Gallica hodiedum, non in Europa tantum omni, verum etiam in Oriente, imo Aſia & Africa, liberum curſum habet. In Germania Ordinationes monetales factæ ſunt potisſimum tres: una 1524, altera 1551, & poſtrema 1559. Sed non potuerunt in uſum deduci, quia 1) in iis nec attentio facta eſt ad uſualia pretia auri & argenti; nec 2) conſideratus valor monetæ in regionibus vicinis; nec 3) ſufficiens inter aurum & argentum proportio obſervata fuit, quæ hodie in Gallia eſt ut unum ad quindecim. Secuti ſunt potius Conſiliarii eius ævi infelix illud principium, minus pretium auro & argento in Germania ſtatuendum eſſe, quam illud ſit in vicinis regionibus: quod falſo ſibi perſuaderent, ita fore, ut ſua ſponte horum metallorum abundantia maior fieret, excitata ſic induſtria incolarum ad ea ſcrutanda. Ex Ordinatione autem A. 1559. ortus eſt valor numi Imperialis, vel Colonienſis, ſic dictus propter Marcam Colonienſem, ad

quam computus fieri debebat, isque ſatis conſtanter perduravit ad annum usque 1600. Et ita dimidium ſeculi XVI, tempus omnium præſtantiſſimum continet in re Germaniæ monetaria. Creverunt deinde ad A. usque 1621. fraudes monetariæ in immenſum. Tandem A. 1667. in Monaſterio ad Magdeburgum, Zinna, inter Electorem Saxonicum, Brandenburgicum, & domum Luneburgenſem convenit, ut marca argenti in $10\frac{1}{2}$. imperiales extenderetur; unde nomen ortum, *der Zinniſche Fuſs.* Hic valor Zinnenſis eodem anno ab Imperatore Leopoldo confirmatus, & Ratisbonæ in univerſum per Concluſum Imperii approbatus fuit. Verum, quum neque hic valor teneri poſſet, iidem Principes hic Lipſiæ 1690. novam iniere rationem, ſcilicet, ut ex Marca argenti cuderentur 12. Imperiales. Inde hic monetæ modus dicitur *der Leipziger Fuſs.* Vid. *Schmidius* de mutatione monetæ 1729. Hæc quoque Lipſienſis ratio paullo poſt, tanquam norma in toto Imperio, univerſaliter approbata fuit. Sed & hunc iam reiicit Celeb. Auctor, & amplius ferendum eſſe negat, propter mutatas temporum rationes. Damnat is proinde Placitum illud Imperii, quo valor Lipſienſis A. 1736. denuo tanquam univerſalis receptus fuit; quod eventu caruit promiſſum patronorum eius, qui pretia auri & argenti, & omnium ſimul mercium, ita imminutum iri affirmabant. Sed hic defectus aliunde originem habet, quum ſpes promiſſi per bella paullo poſt inſecuta intercepta ſit. Commendat igitur Dn. Auctor Germanis eandem conſilii rationem, quam Richelius ſecutus eſt; & ut ille apud Gallos rationem Hiſpanicam adoptavit, ſic a Germanis adoptari vult hodiernam Gallicam, abolito omni valore alio. Nihil eſt, quod conſilio huic, mere idealiter conſiderato, iure meritoque obverti poſſit; ſed in applicatione tot ac tantas prævidemus difficultates, ut de exitu eius vehementer dubitemus. Gallia uni Regi paret, & iuſſibus eius abſolute parere cogitur. Longe alia ratio eſt Imperii Romano-Germanici. Hoc inter tot Status ſcinditur, quorum ſinguli ſua habent conſilia, quæ unice ſequuntur; &, dum cum vicinorum detrimento pro-

Digitized by Google

proventus ſuos augere ſatagunt, ut de cardine omnium negotiorum humanorum, pecunia, conſentiant, adigi tam facile non poterunt. Sequuntur duæ tabulæ reſolutionum, quarum prior ad groſſos & florenos, poſterior ad florenos aureos pertinet. Ordinationes monetales ipſæ, quæ hoc Tomo exhibentur, ſunt numero 146. & inter eas ultimum locum occupat decretum monetale Civitatis Noribergæ, datum A. 1610.

DE' BAGNI DI PISA POSTI A PIE DEL MONTE di San Giuliano, &c.

i. e.

DE BALNEIS PISANIS AD RADICES MONTIS S. Iuliani, Tractatus, Auctore IANO PLANCO, ſeu IOANNE BIANCHI, Arimini Medico Primario.

Florentiæ 1757. typis Paperinianorum, plagg. 7. in 8.

Quamvis de hiſce Balneis Piſanis luculentiſſimum Tractatum in 4to maiori, & paginis plus quadringentis, ediderit Florentiæ anno 1750. Vir Clariſſimus, *Antonius Cocchius Mugellanus:* tamen & nuper admodum *Ianus Plancus,* qui anno 1754. magno ſuæ ſalutis, ut ait, commodo, ad hæc balnea ſe contulit, pulcrum libellum de iisdem balneis conſcripſit, & Florentiæ anno proxime præterito LVII. edidit, ad id operæ & ſtudii adductus rogatu amicorum multorum, & magnatum quorumdam, qui videre geſtiebant paucis verbis ſummam virtutum medicarum, quæ ineſſet balneis iſtis Piſanis, & quidem confirmata omnia experimentis, quæ Plancus ipſe, per aliquot ſeptimanas, dum ibi loci moraretur, ſollicite & frequenter inſtituerat. Hunc igitur libellum, ut eſſet lectu iucundior commodiorque, in quinque capita Auctor doctiſſimus tribuit. *Primo* agit de ſitu horum balneorum, quem inter Arnum & Serchiam, amnes, quaſi in inſula, amoeniſſimum commodisſimumque prædicat. *Altero* capite antiquitatem eorum ab ipſis Etruſcis, Græcis, Romanis repetit, quibus populis ipſa Piſana Reſpublica originem atque incrementa debeat.

debeat. Probat deinceps rationibus non contemnendis, balnea iſta apud has gentes magno in pretio fuiſſe, in maiore tamen apud homines ſequiorum ſeculorum, præſertim tempore Mechthildis, Etruriæ dominæ, & temporibus Piſanæ Reipublicæ, eiusque tyrannorum, ut Friderici Montisferetrii, Petri Gambacurtæ, & Iacobi Appiani, qui hæc loca ſalutifera & inſtaurarint, & ipſi frequentaverint. Mirum igitur, ait noſter, non debere cuiquam videri, quod ab eo inde tempore, hæc balnea doctisſimis ſcriptis Medicorum fere omnium, qui de balneis commentati ſint, laudata fuerint, atque communi unanimique ſuffragio commendata. *Tertium* caput exponit recentisſimam & ſplendidam reſtaurationem factam, iubente Franciſco I. Auguſtisſimo Romanorum Imperatore, & Magno Duce Etruriæ, ope quidem Emanuelis Comitis de Richecourt, principis conſiliorum in Etruria. Caput *quartum* recenſet proprietates peculiares aquarum iſtarum ſalubrium: in his calorem inſitum cuiusvis balnei, & contenta mineralia, quæ per evaporationem, atque alia experimenta bene multa, Auctor diligentisſimus comperit. *Quintum* caput, & quæ ei ſubnectitur *Appendix*, morbos loquitur, quibus occurri his balneis poteſt; ſimul & regulas tradit, obſervatu neceſſarias omnibus iis, qui ad hæc balnea accedunt. Præterea Auctor noſter clarisſimus, non tantum aquas calidas balneorum ad trutinam revocavit, ſed & aquam frigidam, quæ illa temperat, quæque ad communes uſus eſt iis, qui eo accedunt. Ita etiam ſub examen vocavit aquam ſaluberrimam Fontis Piſæ, qui *de Aſciano* vulgo nuncupatur, eamque reperi tenuisſimam, & ad elementarem aquam proxime accedentem; quo argumento adductus, eam præ ceteris aquis communibus laudat. Experimenta quoque inſtituit ſuper Acidulis, aliis aquis Aſciani nuper repertis, quæ frigidisſimæ ſunt, & vere acidæ, cum odore ſulphureo; quæque adeo novo balneo, non longe ab hoc montis S. Iuliani, occaſionem dederunt. Quo fit, ut, qui deſcripta loca adeunt, iis non tantum balneorum calidorum copia ſit, ſed & frigidorum, quæ, tamquam veri nominis acidulæ, potioni, & aliis uſibus, adhiberi tuto poterunt.

runt. Tandem etiam errores nonnullos & lapſus emendat circa calorem, & qualitates alias ſenſibiles atque inſenſibiles horum Balneorum, qui in Librum Cl. Cocchii irrepſerunt. Singularis plane ille eſt, ubi alumen pag. 387. venenis annumerat. Ex his omnibus patet, librum hunc Planci noſtri, qui etiam commendationem brevitatis habet, merito, & cum voluptate lecturos, quotquot naturalis hiſtoriæ amantes ſunt, & verum pretium doctorum virorum lucubrationibus ſtatuere didicerunt.

ANNALES POLONIAE AB ANNO MDCXLVIII. usque ad annum 1660. Auctore LAURENTIO IOANNE RUDAWSKI, Equite Polono. Notas & Hiſtoriam in compendio usque ad annum 1668. adiecit, & praefatus eſt, LAURENTIUS MIZLERUS, in Regis Poloniarum Aula Conſiliarius & Medicus.

Varſaviæ & Lipſiæ 1755. Alphab. 4. plag. 2. in Duern.

Sereniſſimo & Potentiſſimo Regi noſtro, Auguſto III. inſcribitur hoc Opus, cuius virtutes copioſa oratione deprædicat Editor. In præfatione obſervat, Rudawskium ſingulari erga veritatem amore præditum fuiſſe, ideoque inter principes illis temporibus hiſtoriarum ſcriptores reponendum eſſe. His autem non obſtantibus, nævis, (quod ſtatim adiicitur,) non carere. In philoſophia enim, matheſi, & ſaniori phyſica non fuit ſatis doctus, & hanc ob cauſam varia ſuperſtitioſe dixiſſe, miracula & prodigia venditaſſe. Et quamvis hiſtoricus nullarum partium eſſe debeat, Auſtriacis tamen iuſto plus favere videri Rudawskium. Ad Latinitatem eius quod attinet, neque malam eam, neque optimam eſſe; tamen multa vocabula barbara, exceptis iis, quibus officia publica deſignantur, ab Editore deleta, iisque latiniora ſubſtituta ſunt. Index quoque adiectus eſt copioſus; quod plerumque deſideratur in Polonorum libris hiſtoricis, qui fere ad unum omnes indicibus carent. Præfationem excipit catalogus litterarum in

Digitized by Google

Polonia amatorum, eorumque, qui edendis Rudavskii annalibus ſubſcripſerunt, ordine alphabetico.

In Hiſtoria ipſa Encomium Stephani Báthori, & quædam de Sigismundi III. infelicitate, Vladislai felicitate & triumphis ſunt. Sequitur p. 4. deſcriptio Boryſthenis fluvii, & accolarum eius Caſacorum, quorum motus 1648. coeperunt. Cæſus tum ad aquas flavas a Coſacis Polonorum exercitus. Pugna ad Conſtantinow ambigua: paullo poſt Pilavicenſis clades, & miſera Poloniæ facies. Eligitur & coronatur Ioannes Caſimirus in regem Poloniæ, & paullo poſt ſponſalia contrahit cum Ludovica Maria de Gonzaga, Ducis Mantuæ Caroli filia, quæ in Gallia nata atque educata, & fratri prius Vladislao uxor adiuncta fuerat; ex qua tamen, biennio matrimonii elapſo, nullos reliquerat liberos. Novum tum inter Polonos & Coſacos inſtauratur bellum, donec pax inter eos conficeret anno 1649. Deſcribuntur dein centuriata Poloniæ comitia pag. 52. cui deſcriptioni in annotatione 36. in gratiam exterorum adiicitur numerus nuntiorum, una cum locis, ubi comitiola inſtituuntur. Quid in Polonia ſint Capitaneatus vel Staroſtiæ, poſtea exponitur, & de Caroli II. Angliæ regis legatione agitur, qua legatus eius Ioannes Craft, poſt patris Caroli I. ſupplicium, opem a Polonis petit. Decimatio bonorum Scotis & Anglis in regno & provinciis adiacentibus indicta, afflicto principi ſubſidio fuit. Novum bellum cum Coſacis aperit librum tertium, & finit. Proximus eſt ex odiis uxoris ortus caſus Radzicievii, Vicecancellarii Regni, qui infamia notatur, & Polonia excedere cogitur. Ineunte anno 1653. initium fuit belli Walachici, infauſto plane Polonis, luctuoſo Coſacis, quod deſcribitur L. IV. c. 10. & ſeqq. Statio cometæ, qui 20. Decembris 1652. in coelo comparuit, una cum Perſeo, Tauro, & Orione, nitide aeri inciſa, ſiſtitur ad pag. 122. Non mirum eſt, differre de eo Rudawskii & Editoris iudicia, quum ille rem ex opinione, cui placere in primis ſtudet, vulgi, hic ex placitis Philoſophorum æſtimet. Quod & de reliquis prodigiis, ſuperſtitioſe a Rudawskio relatis, dicendum eſt. Liber V. ad belli Moſcovitici & Suecici

initia

Digitized by Google

initia & progreſſus pertinet. Poloniæ magna pars, regis ſui deſertores, ad Succiæ regem transierant. Ianuſſius Radivilus Lituaniam Succis addixerat. Aſſentiebatur Boruſſiæ Dux, Suecorum, quam Poloniæ, amantior. Radzieievius cum Succis redux, patriæ perniciem minabatur. Rex Polonus Varſavia Cracoviam, & inde Glogoviam in Sileſia ſitam, ſecedere cogitur. Inter hæc Vilna capitur & diripitur a Moſcho, p. 179. Sed dum ad regium montem toto Ianuario menſe 1656. ſubſiſtit Succiæ Rex, Poloni per eius abſentiam liberiores facti, ab obſequio eius deficiunt, & Confoederationem ineunt. Redit in Poloniam Ioannes Caſimirus, accedit partibus eius Princeps Tartarorum, cum 100000. militum; prima victoria de Succiæ rege a Czarnecio reportatur. Ferunt, cæſa tunc eſſe Succorum millia duo, lecti exercitus; primusque Czarnecius, poſſe debellari Suecos, illa die docuit, cum eo usque invictos fama vulgaverat. Czeſtochovienſe coenobium, in quo imago b. Virginis (ut fama fert) a S. Luca Evangeliſta depicta, magna cum Polonorum devotione colitur, evertere voluerat Carolus Guſtavus, omnique armorum genere, globis maioribus & ignibus artificialibus die noctuque petierat, ac quatuor ſeptimanarum obſidione preſſerat: quod magnum huic regi odium acciverat. Adiungendis igitur ex oppoſito ſibi eo fortius civium ſuorum animis, Ioannes Caſimirus Leopoli 1. die Aprilis 1656. b. Mariæ, intra Miſſæ ſacrificium a *Nuntio* Apoſtolico celebratum, ſe devovet. Voti formula præſto eſt p. 241. Haud ita multo poſt Varſavia & Petricovia Polonis ſe dedunt; ſed Elector Brandenburgicus deinceps Regi Succorum iungitur, & 12000. militum ſuorum copias eius auget. Premuntur interea Gedanenſes a Sueco, quorum litteræ reſponſoriæ ad Carolum Guſtavum, & Areſchotum, Epiſcopum tum Caminenſem, datæ, graves, cordatæ, & legi omnino dignæ ſunt, L. VII. c. 2. Prælium tridui, inter Carolum & Caſimirum ad Varſaviam commiſſum, ex quo hic inferior diſceſſit, deſcribitur p. 269. Capitur tum a Gedanenſibus Koenigsmarckius belli dux; qui, quamdiu per bellum liceret, nobilem in Germania prædonem egerat.

rat. Caſimirus Gedanum ingreditur, ibique magna cum ſolemnitate excipitur, proloquente Vincentio Fabricio, Syndico Gedanenſi, viro erudito & eloquente. Naſcitur interea rumor de Rakocio Poloniam ingrediente, qui promovit cogitationes pacis cum Moſchis, quæ coaluit Vilnæ 1656. die 3. Novembris. Hæc dum geruntur Rakocius Poloniam ingreditur, & Cracoviam capit: dein Sueco coniungitur. Tandem Poloni pacem cum eo componunt. Rex Ioannes Caſimirus paullo poſt Varſavia Brombergam pergit, ibique cum Electore Brandenburgico pacem init. Summa eius hæc fuit. I. Elector Brandenburgicus pleno iure ducalem poſſideret Borusſiam, durante linea maſcula deſcendente Brandenburgica. II. Ratione ſumtuum in bellum Polonicum expenſorum, Polonus Rex, cum Republica, Electori Brandenburgico, Prusſiæ Duci, tractum Bytovienſem & Lauenburgenſem iure feudi asſignat. III. Ducenta aureorum millia numerare promittit Rex Polonus Electori Brandenburgico, quæ dum ſolvantur, Elbingam cum eiusdem territorio interim Electori asſignat, & quæ ſunt reliqua. Proponuntur deinde Polonorum contra Auſtriacos querelæ, & Reginæ contra eosdem invectiva. Sed huius domus ope calamitatibus demum eripitur Polonia, dum Regina tractat Olivæ de Pace cum Commiſſariis Suecicis, quibus tractatibus durantibus Stockholmiæ moritur Carolus Guſtavus, Rex Sueciæ: unde pax hæc conſit cum Suecicis legatis. Inſtrumentum eius legitur p. 463. ſeqq. eaque Rex Caſimirus inter cetera renuntiat Regno & Titulis Regni Sueciæ, in litteris ad Regem Sueciæ, propter quos præcipue cum Carolo Guſtavo ortum erat bellum. Mediator Pacis fuit Ludovicus XIV. Rex Galliarum, per Legatum ſuum, Antonium de Lumbres. Sequuntur p. 489. additamenta Dni Laurentii Mizleri. Præmittuntur Tabulæ publicæ, inter quas eminent a Rudavskio omiſſæ Tabulæ foederis perpetui, inter Ioannem Caſimirum & Fridericum Wilhelmum 1657. die 19. Septembris Velaviæ initi, p. 494. cum Ratificatione Polonica, p. 504. & Aſſecuratio Elbingæ, p. 509. Delineatur deinde breviter Hiſtoria Ioannis Caſimiri ab anno 1660. usque ad annum

Digitized by Google

annum 1668. quo ſe regno abdicavit. Hæc perlegentibus, ſequentia, pro inſtituto noſtro, notabilia viſa ſunt. A. 1662. in integrum & in regiam gratiam reſtituitur Radzieievius, A. 1667. in legatione ad Moſchos fatis functus. A. 1658. primi cuduntur tynfones, ad quos cudendos indigenatu donatus eſt primus cuſor Tympſe. Inſcriptio tres litteras I. C. R. expreſſas exhibuit, ſignificantes nomen Ioannis Caſimiri Regis, ſed quas quidam ſiniſtre interpretabantur, *initium calamitatis regni.* A. 1664. Daniel Vichowski, Rusſiæ Palatinus, qui apud Regem in ſuſpicionem venerat excitati novi cum Coſacis tumultus, Carſuni coram conſilio bellico accuſatur, damnatur, ac more militari, licet regni Senator eſſet, globo plumbeo traiicitur. A. 1665. Comitia extra ordinem indicuntur. Paullo ante Regno eiectus erat Lubomirskius, ſuccesſionis, reginæ conſilio, in Principem Condeum deferendæ primarius adverſarius. Dolebant id multi, in primis Palatinatus Cracovienſis, cuius Nuntius his ad Regem verbis finivit: *aut nos de libro libertatis dele, aut ignoſce.* Eodem anno moritur Stephanus Czarnecki, magnus, & in ſuperioribus Polonorum bellis clarisſimus heros, a patre Stanislao progenitus, cum undecim fratribus & una ſorore. A. 1667. accidit mors Reginæ Ludovicæ Mariæ, Polonis inviſæ, ob nimium erga Galliam amorem. A. 1668. Ioannes Caſimirus, regni pertæſus, eo ſe abdicat, & fit Abbas S. Germani in Gallia. Fata eius plane ſingularia iunctim recenſentur p. 516.

LITURGIA MOZARABICA. TRACTATUS HIſtorico - chronologicus de liturgia antiqua Hiſpanica, Gothica, Iſidoriana, Mozarabica, Toletana, Mixta. Quam ex Hiſpaniae conciliis, Romanorum pontificum geſtis, regum Hiſpanorum diplomatibus, aliisque ad praeſens inſtitutum repertis documentis, collegit, digeſſit, & illuſtravit, IOANNES PINIUS, Societatis Ieſu Theologus.

Romæ, typis Hieronymi Maynardi, in platea agonali ad vicum Cuccaniæ, Alphab. 1. plag. 10. fol. mai.

Rev. Auctor, iter, pro actis ſanctorum, in quibus continuandis una cum *Guil. Cupero*, eiusdem famulitii ſocio, occupabatur, a. 1721. in Hiſpaniam ſuſceperat, ut, quæ ad inſtitutum facerent, ſtudioſe colligeret. Toleti igitur cum eſſet, nonnulla invenit, quæ ad rem liturgicam ſpectabant, in ſubſidium adhibitis illis, quæ in variis Hiſpaniæ conciliis, Romanorum pontificum vitis, aliisque monumentis offendebantur: acceſſerunt diverſa documenta, quæ ipſi, ex Hiſpanis reduci, ex Hiſpania pariter atque Belgio fuere ſubmiſſa. His inſtructus opibus, argumentum hoc plenius & copioſius tractare potuit, indeque commentatio hæc, prolegomenorum inſtar, Tom. VI. menſis Iulii actorum ſanctorum, (in quo res geſtæ S. *Iacobi* maioris, ad quem Hiſpani rerum ſacrarum initia & ſtatus eccleſiaſtici conſtitutionem referunt, habentur,) præmittendorum, eſt enata. Totum hoc opuſculum XI. abſolvitur capitibus. Cap. I. in primam liturgiæ Hiſpanicæ originem inquiritur, atque hæc tria expendenda proponuntur: (1) a quo primum Hiſpani liturgiam acceperint ſæc. I. Chriſtianiſmi? (2) qualis illa tempeſtate & ſequenti fuerit? (3) an IV. primis ſæculis aliqua litteris exarata, & in unum volumen congeſta exſtiterit? Ad *Primum* quod attinet, illius originem ad Petrum refert, a quo illam vel proxime ſint nacti, vel ab iis didicerint, qui primum a Petro edocti erant; in qua tamen partes etiam ſuas habuerint Paullus itemque Iacobus. De *altero* ita iudicat, quæ liturgia obtinuerit IV. primis ſæculis, quibus verbis fuerit concepta, quibus ritibus ſacra coena fuerit adminiſtrata, definiri non poſſe. Profert eum in finem, quæ *Iuſtinus* martyr, *Irenaeus*, *Tertullianus*, *Epiphanius*, de chriſtianorum cultu publico, ſpeciatim de ſacra coena perſcripta reliquerunt; ex quibus nonniſi generalia quædam cognoſcuntur. Nec, *tertio*, formulam aliquam ſacrorum peragendorum primis quatuor ſæculis conſignatam exſtitiſſe, diſertis teſtimoniis *Tertulliani*, *Cypriani*, *Baſilii*, itemque *Innocentii* I. rite evincit. Cauſſam inde petit,

Digitized by Google

petit, quoniam veriti ſint, ne, ſi ſacrorum ordo perſcriptus in omnium notitiam perveniret, illis venerationis multum decederet. Sed ſæc. IV. pace eccleſiæ reddita, non opus habuiſſe amplius myſteria religionis ſuæ occultare: quæ autem circa ſacræ coenæ adminiſtrationem obſervanda erant, non ita commode memoria, absque periculo mutationis alicuius, teneri potuiſſe animadvertit. Quidquid igitur, quæ ipſius eſt ingenuitas, de liturgiis *Petri, Matthaei, Iacobi* & *Marci* dicitur, tanquam incertum reiicit; ſpeciatim *Honorati a S. Maria*, Carmelitæ, argumenta pro liturgia S. *Iacobi* ſub incudem revocat, & quidquid *Flavius Lucius Dexter, Iulianus*, & *Luitprandus*, de illa comminiſcuntur, explodit. Cap. II. repræſentat *ſtatum veteris liturgiae Hiſpanicae* ſæc. V. & VI. Gothis ſæc. V. impetum in Hiſpaniam facientibus, in eademque ſedes fixas conſtituentibus, duplex liturgia obtinuiſſe videtur: altera, quam ipſi, Arianiſmo addicti, ſecum attulerunt; altera, quam illi retinuerunt, qui in priſca fide immoti ex Hiſpanis perſtiterunt, quo nomine Tarraconenſibus hæc debetur laus, quod cuſtodes legum & canonum fuerint. Quid autem in diverſis Hiſpaniæ conciliis ſæc. VI. circa res & perſonas ſacras, harumque officia, ſit ſtatutum, deinceps docetur. Sæc. VI. liturgiæ Romanæ, primis chriſtianiſmi temporibus in Hiſpaniam invectæ, plurima ex liturgia orientali ſunt immixta: *Martinus* quippe *Dumienſis*, præſul Braccarenſis, *Ioannes Biclarenſis*, item *Leander*, Hiſpalenſis epiſcopus, Conſtantinopoli vitam aliquamdiu egerunt, indeque aliqua, quæ ſacrorum rationem reſpiciebant, retulerunt. Unde in conciliis, Toletano pariterque Narbonenſi, a. 589. celebratis, regnante Recaredo, qui, miſſa Arianorum impietate, catholicis ſe adiunxerat, ſancitum fuit, ut in officio miſſæ quædam ad morem eccleſiæ Conſtantinopolitanæ peragerentur. Cap. III. exhibet ea, quæ circa res liturgicas ſæc. VII. ſunt acta, nimirum, quid in concilio Toletano IV. circa diverſa officia fuerit definitum, ut conformitas ſacrorum in provinciis Gothorum, per Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem, obtineret. Concilio præfuit *Iſidorus*, a quo etiam canones in illo promulgati fere ſunt profecti, quem proinde nonnulli

Digitized by Google

nulli dicunt ex concilii ſententia liturgiam confeciſſe; alii a *Leandro* fratre adiutum fuiſſe adfirmant; alii tantum quædam adieciſſe, inque meliorem ordinem redegiſſe, quæ eſt ſententia purpurati *Bonae*, arbitrantur, cui etiam opinioni ſubſcribit eruditiſſimus *Pinius*. Id ita ſe habere, ex Iſidori ſcriptis luculenter oſtendit, addens, quid circa rem liturgicam in diverſis Hiſpaniæ conciliis ſæc. VII. fuerit determinatum. In concinnandis autem rebus liturgicis ſtudium operamque ſuam poſuerunt *Conantius*, epiſcopus Palentinus, *Eugenius* iunior, antiſtes Toletanus, *Ildephonſus* denique archiepiſcopus Toletanus. Liturgia iſta dicitur *Gothica*, quoniam Gothis in Hiſpania regnantibus, inde a concilio Toletano IV. vigere coepit; *Iſidoriana*, quia eidem adornandæ operam ſuam accommodavit *Iſidorus*. Sed quæritur, num vetus liturgia Gallica ſit antiquior antiqua Hiſpana? *Mabillonius* de liturg. Gall. L. I. c. IV. militat pro Gallis, argumento potiſſimum inde ducto, quod Galli longe ante Iſidori tempora habuerint ritum ſuum. Contrarium demonſtrat doctiſſimus *Pinius*, habuiſſe Hiſpanos canones in conciliis ante Toletanum IV. atque adeo ante Iſidorum ſancitos de officiis ſacris, dici proinde minime poſſe, liturgiam Gallicanam vetuſtiorem eſſe antiqua Hiſpana, nec Hiſpanos celebrandorum ſacrorum rationem a Gallis accepiſſe. Cap. IV. commentatur de *Hiſpanorum liturgia ſub Saracenis* ſæc. VIII. Saracenos ſæculo hoc in Hiſpaniam impreſſionem feciſſe, Gothos ad incitas redegiſſe, regnumque totum incendiis ac cæde foedaſſe, ſacra & profana proculcaſſe, perhibet; quod, iudice *Ioſ. Perezio*, a. 712. contigiſſe fidei propius eſſe arbitratur. Inde ex Hiſpanis alii in Aſturiam, & regiones montanas ſeceſſerunt, ibidemque ſacra ſua ſecundum ritum antiquum obiverunt; alii vectigali ſoluto a Mauris libertatem profitendi religionem ſuam obtinuere. Iſti, quoniam quod ad veſtitum, linguam, leges civiles, ſe Mauris Arabibus accommodarunt, dicti ſunt *Mozarabes*, & liturgia, quam ſectabantur, adpellata eſt *Mozarabica*. De huius adpellationis ratione A. varias profert opiniones, illam probans, quam viri doctiſſimi, *Iac. Golius*, *Eduard. Pocockius*, (non

Poco-

Digitized by Google

Potochius) Abrah. Echellenſis, *Io. Henr. Hottingerus*, *Sam. Bochartus* (non *Bocart*), alii, in medium produxerunt, nempe: *Arabes nativos* adpellatos fuiſſe *Arabes Arabicos*, qui vero illis acceſſerint *Arabes Arabizantes*, vel *Muſtarabes*, unde Hiſpani fecerint *Mozarabes*. Eadem liturgia nominata eſt *Toletana*, vel quia in concilio Toletano IV. magnam nacta eſt auctoritatem, vel quia Maurorum indultu in urbe Toletana maxime viguit. *Mixta* autem dicta, quia cum tempore alia itemque alia eidem ſunt adiuncta. Ex ipſa illa *Elipandus* Urghelitanus, & *Felix* Toletanus, errorem ſuum ſtabilire ſunt adniſi: ſed illos ſummam iniuriam conditoribus officii illius feciſſe, & codices liturgicos corrupiſſe, a non uno eſt oſtenſum. Cap. V. monumenta quædam circa ritum Mozarabicum ſæc. IX. & X. ad poſteros transmiſſa, expromit. Ne terra incolis ſuis deſtitueretur, & ut eſſent qui agros colerent, commercia tractarent, & tributa ſolverent, Chriſtianos non exegerunt Mauri, ſed illis, etſi impoſito gravi tributo, religionem ſuam profitendi libertatem conceſſerunt, templa ipſis reliquerunt, ſacerdotibus honos ſuus eſt habitus, potiſſimum in urbe Cordubenſi, quam imperii ſui ſedem elegerant; quod per totum ſæc. IX. obtinuit. Sæc. X. toto officio Mozarabico ſua conſtitit integritas, quæ etiam a legato pontificio agnita fuit; ſed ſæc. XI. varias ſubiit viciſſitudines. Quæritur, num qua mutatio illi obtigerit, ſpeciatim in Arragonia? MS. Toletanum Romam ad examinandum eſt transmiſſum, & ubi probum eſt repertum, publica pontificis auctoritate firmatum fuit. Ritus etiam Mozarabicus in concilio Mantuano, a. 1064. habito, examini eſt ſubiectus; & cum in illo dogmatibus eccleſiæ adverſum nihil deprehenderetur, ut illo impoſterum uterentur, eſt ſancitum. In Arragonia vero inde ab a. 1071. ritus Romanus eſt introductus. Idem in regnis Caſtellæ & Legionis, aliisque Hiſpanicis provinciis tentavit *Gregorius* VII, cauſſatus, cum fidei doctrinam primitus ab eccleſia Romana accepiſſent, iuſtum eſſe, ut & rituum conformitatem cum illa ſectarentur. Quod ut effectui daret, ſollicitavit *Alphonſum* VI. regem, qui a coniuge *Conſtantia*, e Gallia oriunda, ſuſ-

M que

que deque habitis, uti ferunt, miraculis, quæ circa officium Mozarabicum contigiſſe dicebantur, incitatus, Romanum in publicum uſum adhiberi voluit, ægre id ferentibus clero, milite, & civibus; ita tamen, ut Toleti in ſex ſacris ædibus cultus divinus ex Mozarabum inſtituto perageretur. Cap. VII. explanantur *privilegia*, Mozarabibus indulta ſæc. XII. XIII. XIV. XV. Contra Eugenius voluit, ut Mozarabes parerent Archiepiſcopo Toletano, & ſe ritui Romano accommodarent. Diverſi reges Hiſpaniæ, Mozarabes inſignibus ornaverunt privilegiis, hoc ipſo favorem ſuum illis declarantes. Cap. VIII. officium Mozarabicum ineunte ſæc. XVI. mirifice illuſtrat. Cum res Mozarabum valde imminutæ eſſent, ne ſacrorum ritus iuxta illorum inſtitutum prorſus collaberentur, *Franciſcus Ximenius*, eccleſiæ Romanæ purpuratus, archiepiſcopus Toletanus, liturgiam Mozarabicam reſtaurandam curavit, ſacra ſecundum illam procuranda voluit, ac collegium peculiare tredecim ſacerdotum, lautis reditibus inſtructum, inſtituit, quibus id negotii dedit, ut ſtatis temporibus ſacra ſecundum ordinem Mozarabum in templis Toletanis, ipſis adſignatis, fierent. Privilegium *Ximenii* datum a. 1508. d. 1. Oct. exhibetur. Declaratio eiusdem duplici diplomate *Iulii* II. pontificis eſt confirmata, quorum alterum datum Romæ 1508. 12. Kal. Octobr. alterum ibidem a. 1512. Kal. Febr. quod utrumque fideliter deſcriptum in hoc ſuo tractatu legi voluit Auctor. Alibi etiam locorum in Hiſpania, v. c. *Salmanticae* & *Valliſoleti*, donationes in gratiam cultus Mozarabici ſunt factæ, quas ipſas, ut & illas Ximenii, reges Hiſpaniæ in præſens usque tempus ſua auctoritate ratas habuerunt. Adiicit notitiam regum, reginarum, virorum illuſtrium & eccleſiaſticorum primæ dignitatis, qui ſacra Mozarabica in ſacello Ximenii ſua præſentia cohoneſtarunt, vel ſibi ſacra ſecundum ritum iſtum in palatiis ſuis celebrari curarunt, itemque paſtorum ac beneficiatorum Mozarabum, virtute ac litteris eminentium, qui ſacris iſtis ſunt functi. Cap. IX. *officii Mozarabici ac ſingularum eius partium notitia* datur. Indicantur cantica, ſingulis canonicis horis deſtinata, notato paſſim diſcrimine, quo ordo

Moza-

Digitized by Google

Mozarabicus a Romano diſcedit. Inde deſignat miſſas dominicarum quadrageſimæ, feriarum quadrageſimæ, vigiliarum totius anni ac pro defunctis. Pro fundatore ſacelli ac reſtauratore ritus, Ximenio, quotidie, exceptis diebus dominicis & feſtis, preces, dum miſſa canitur, pro animæ ipſius refrigerio funduntur. Specimina quædam hymnorum, diebus feſtis ſanctorum decantatorum, proferuntur, mendoſa illa admodum, fatente Auctore, præterea barbara maxime, frigida & ieiuna. Officia & miſſæ diebus ſolemnioribus & feſtis fieri ſolitæ iuxta ritum Mozarabicum legenda dantur, diſcrepantes in quibusdam a ritu Romano. Fragmentum antiqui calendarii, quod ad menſem Ianuarium & Februarium, cum lectore A. communicat. Prænotatis quibusdam de antiquis calendariis, *Bucheriano*, *Carthaginienſi*, *Frontoniano*, *Acheriano*, *Marteniano*, & poſitis quibusdam antiquitatis characteribus, non dubitat adſeverare, faſtos hos deberi ſi non ſæculi V. exeuntis, ſaltim ineuntis ſæc. VI. temporibus. Subiungit A. adnotationes, quibus dies feſti ſacri, in illo occurrentes, illuſtrantur. Sequitur integrum calendarium Mozarabicum hodiernum, quale illud in miſſali Mozarabico invenit, mendis multis deturpatum, quas tollere tamen noluit. Ex miſſali hoc repetuntur preces & cerimoniæ, quibus ſe ſacerdos ante miſſam præparavit, itemque adminiſtravit, ſubiunctis obſervationibus, quibus aliqua, quæ in liturgia habentur, perſpicua redduntur. Preces denique atque totum officium, quod in die feſto S. *Iacobi* celebratum eſt, ſiſtuntur. Cap. X. complectitur *varias circa miſſale Ximenii Archiep. Toletani editum, ritumque Mozarabicum cum Gallicano collatum, obſervationes*. Quod in liturgia Mozarabica multa ſunt, quæ conveniunt cum miſſali Gallicano, illius rei rationem repetit A. ab inſtituto *Alphonſi* VI. regis, qui ſuaſu coniugis Gallicanæ *Conſtantiae*, opitulante *Gregorio* VII. ritus Gallicanos introduci voluit, & re ipſa in æde primaria Toletana introduxit. Inde autem cum *Bruno* minus recte colligi poſſe docet, librum ritualem Gallorum eſſe exemplar Hiſpanici, & liturgiam Hiſpanicam ad illius imitationem eſſe expreſſam; quod prolixe, &, uti nobis videtur, ordine & accurate diſputat. Cap. XI. ſuppeditat *notitiam* MSS.

Mozarabicorum, quae Toleti adſervantur. Totam hanc recenſionem cod. MSS. totius ritualis Mozarabici, quod VIII. partibus antiquo charactere Gothico exaratum eſt, A. dat ex accurata deſcriptione *Petri Canini Velaſci*, inquiſitionis Toletanæ commiſſarii, & eccleſiæ parochialis S. Sebaſtiani Mozarabum in dicta urbe rectoris, qui in illis delineandis ſummam diligentiam & adcurationem adhibuit; ſimulque ectypon aliquod orationis, deſumtæ ex miſſa S. Martini, epiſcopi Turonenſis, adiicit. Habentur iſti in bibliotheca capitulari eccleſiæ Toletanæ, Hiſpaniarum primariæ. Breviarium Mozarabicum, nutu cardinalis Ximenii, ſtudio *Alphonſi Ortim*, canonici Toletani, Toleti a. 1502. typis eſt deſcriptum, ex quo præfatio ad Cardinalem, itemque pars aliqua illius deſcribitur. Quæ in ſeqq. A. perſequitur, ſpectant ad auctoritatem officii iſtius, & eiusdem uſum, quo ſic, qui ſacris apud Mozarabes funguntur, munia ſua exſequantur. Tum quædam notantur, in quibus officium Mozarabicum a latino abit. Differit porro de horis tum maioribus, tum minoribus officii huius, quæ preces, quique hymni & lectiones per totum annum, ſpeciatim feſtivitatibus, ſint fuſæ, decantati & recitatæ, notata paſſim diſcrepentia ab officio Romano. Adhæc enarrat ea, quæ officio huic ſunt priva & peculiaria, quæque in Romano aliter ſe habent. Differit de ſanctis, quorum olim mentio fiebat in ſacris Mozarabum, quique poſtea ſint additi; de proprietatibus item quibusdam, quæ ſanctis aliquibus & feſtis nonnullis diebus ſunt privæ. Nominantur poſtremo dies feſti ſanctorum, quibus proprium datur ſacrum & officium. Coronidis loco A. addit *indicem orationarii eccleſiaſticorum officiorum Gothico-Hiſpani.* Charta eſt ſatis nitida: ſtilus, qui ſic ſatis rebus convenit: mendæ aliquando inſigniores, etiam in numeris, occurrunt, aliquando integræ lineæ repetuntur, uti p. 110. col. 1. n. 548.

THESAURI RERUM SVEVICARUM VOLUMEN III. de Suevia extinctis Ducibus libertati reſtituta, cura & ſtudio IO. REINHARDI WEGELINI.

Lindaviæ 1757. Alphab. 3. plagg. 16. in Duern.

Quum

Quum non diſplicuerit inſtitutum Ampl. Editoris rerum hiſtoricarum eruditis arbitris, iam Tomum tertium rerum Suevicarum comparere iubet. Continentur eo:

I. De Sereniſſimæ domus Auſtriacæ principatu in Suevia obſervatio hiſtorica *Lud. Barth. Hertenſtein*, I. V. L. Ulma-Suevi. Ex ſupplementis ad nova Acta Erud. T. I. ſect. 3. p. 135.

II. De Auguſtæ gentis Auſtriacæ ducatu & principatu in Suevia, liber ſingularis *Io. Chriſtoph. Pesleri*, I. V. L. Lipſiæ 1739.

III. De Sereniſſ. domus Auſtriacæ advocatia provinciali ſuperioris atque inferioris Sueviæ, diſquiſitio hiſtorica *Lud. Barth. Hertenſteinii*, Reip. Ulmanæ Conſiliarii. Ex novis Actis Eruditis. de A. 1739. menſ. Dec. p. 680.

IV. De Iudicio provinciali Cæſareo-Suevico *Gabrielis Schweder*.

V. De Sueviæ tribunali S. R. I. Auſtriaco, *dem Kayſerlichen Landgericht* in Quadrurbe, *Io. Petr. de Ludewig*.

VI. Ioannis Schilteri *rechtliches Bedencken von dem Kayſerl. Landgericht in Schwaben.*

VII. De iudicio Rotwilenſi, *Erici Mauritii.*

VIII. De iudicio Curiæ imperialis Rotwilenſi, *vom Kayſerl. Hofgericht zu Rotweil,* Henrici Balth. Blum de Kempis.

IX. De ætate iuris illius antiqui Germanici, quod vulgó vocatur Speculum Suevicum, deque ſignificatu vocabuli Semper *leute*, quod in eo uſurpatur, *Philippi Iacobi Lambacher*.

X. De Commento Speculi Suevici, nec non iuris Suevici, quod in illo haberi creditur, *Io. Gottl. Gonne.*

XI. *Unterſuchung des Worts* Uuiphait, *im Schwäbiſchen Landrechte, oder ob die Weiber der Sachſen ſich von den Schwaben beſchlafen laſſen, und dadurch ihre Erbſchaft verlohren, von* Iohann Gottlieb Krauſen.

XII. De Curiis ſuperioribus in Germania, in ſpecie *dem Oberhoff zu Wimpfen, in Schwaben,* Chriſt. Frid. Harprecht.

XIII. De foedere Suevico, vulgo *von der Geſellſchafft des St. Georgen-Schildts,* Georgii Iacobi Mellin.

XIV. Sciagraphia liberæ venationis Germanicæ, vulgo *die freye Pürſt-Gerechtigkeit,* Steph. Chriſtoph. Harprecht.

Digitized by Google

XV. De Luitgardis, uxoris Conradi Magni, Marchionis Miſnenſis, origine Suevica, eiusque fundatione monaſterii Elching. *Chriſtiani Schoettgenii.*

XVI. De Comitibus Calwenſibus, *Martini Cruſii.*

XVII. De Comitum Sueviæ Palatinorum Tubingenſium familia, *Io. Frid. Helfferichii.*

XVIII. De Conradino, ultimo Sueviæ duce, *Andr. Adam. Hochſtetter.*

XIX. De Prærogativis Wurtembergici ducatus, *Io. Petr. de Ludewig.*

XX. Hiſtoria & ius unionis territorii Würtembergici, *Godofredi Danielis Hofmanni.*

XXI. De Vexillo Imperii primario, vulgo *Reichs-Sturm-Fahne*, Io. Chriſtoph. Weinland.

XXII. De Dynaſtia Iuſtingenſi, *Io. Frid. Helfferich.*

XXIII. *Gründliche Anzeige, daſs die dem Erzhauſs Oeſterreich auf das Herzogthum Würtemberg zugeſtandene Anwartſchafft erloſchen ſey.*

XXIV. *Beweiſs, daſs das weibliche Geſchlecht des Erzhauſes Oeſterreich auf Würtemberg kein Anwartſchaffts-Recht zu ſuchen habe.*

XXV. Nobilis immediatus ſemper exul in terris Ducatus Wurtembergici, *Io. Frid. Eiſenbach.*

XXVI. De rebus Badenſibus, *Sam. Conr. Schurzfleiſchii.*

XXVII. De Marchionum Badenſium iuribus atque prærogativis præcipuis, *Frid. Sontagii.*

XXVIII. De iure domus Durlacenſis in Allodia controverſa ultimi Dynaſtæ Hohen-Geroltſeck, ſine maſcula prole defuncti, *Ierem. Everar. Linckii.*

Quarto & ultimo Tomo in lucem prodibunt Diſſertationes ſelectæ, nonnullarum ex primariis Civitatum Imperialium in Suevia Hiſtoriam & antiquitates reſpicientes. His accedent non ſolum reliqua bibliothecæ Suevicæ ſupplementa, ſed Notitia quoque Diſſertationum ſelectarum, de aliis & complurium Provinciarum ac Statuum Imperii rebus præcipuis, antiquitates non minus, quam ius publicum & Hiſtoriam illuſtrantium, in claſſes ſuas ordinata, & inſigni cura congeſta.

Man-

Digitized by Google

Mantiſſæ loco dabitur libellus, in Bibliotheca Scriptorum rerum Suevicarum Sect. II. p. 13. fuſius deſcriptus, ex rariſſima editione de anno 1486. qui ſub Titulo: thomæ Lyreri Ranckwilenſis Chronicon Sueviæ, omnino notus eſt, ſed inter libros fere deperditos connumeratur.

Finem conſtituet repertorium univerſale, ſeu index rerum & verborum pleniſſimus, ordine alphabetico adornatus.

THESAURUS IURIS PROVINCIALIS ET STAtutarii illuſtrati Germaniae, Auctore B. C. H. N. S. S. P. E. TOMUS I.

Gieſſæ 1756. impenſis Auctoris, Alph. 6. plagg. 13. in 4.

Conſtitutum eſt Collectori huius Theſauri, qui adhuc incognitus eſſe cupit, omnia iura provincialia & urbana, nondum impreſſas annotationes & commentationes, Receſſus, Ordinationes, Edicta, Deciſa, Diſſertationes academicas, & ſimilia, quæ in primis ad Civitates Imperii liberas pertinent, iunctim exhibere. Tomo I. continentur ſequentia:

I. *Michaelis Richey* P. P. Hiſtoria Statutorum Hamburgenſium; de quo in Præf. p. 14. Dn. Collector monet, perperam ab eo dici, Receſſus Hamburgenſes annorum 1410. 1458. 1483. 1529. 1548. 1562. 1570. 1579. 1582. & 1595. nondum plene typis excuſos eſſe, quum iam plene legantur apud Lunigium in Archivo Imperii, quem a Dn. Richey per iniuriam non inſpectum eſſe ſuſpicatur.

II. *Eiusdem* Idioticon Hamburgenſe, ex editione anni 1755. Omiſſa autem eſt in hac editione noſtra præfatio & appendix quadruplex, quia ad finem Dni Collectoris facere non videbantur. *Henr. Fried. Ziegleri* Idioticon Ditmarſicum, & *Strotmanni* Idioticon Oſnabrugenſe, ſuo loco & tempore exhibebuntur.

III. *Iacobi Schuback* Diſſert. Epiſtolar. de origine Statutorum Hamburg. non Suſatenſi.

IV. *Matth. Dieterici Schaffhauſen,* Parallelismus Iuris Hamburg. cum legibus aliorum populorum.

V. *Chriſtiani Philippi Kriegeri* introductio in praxin fori Hamburgenſis ex MSCto, quæ adhuc pro omnium optima habita fuit.

VI. *Ham-*

Digitized by Google

VI. *Hamburger Stadt-Buch, oder Recht vom Jahr* 1292. *oder vielmehr* 1497. ex MSCto. Solet id ICtis Hamburgenſibus appellari Statutum vetus, & diſtinguendum eſt a Statuto antiquo, quod Dn. de Weſtphal in Monumentis ineditis iam edidit. Occurrit eius exemplum in Bibliotheca Gothana, de quo per litteras cum Dn. Collectore egit V. Ampl. Godefridus Chriſtianus Freyesleben, Secretarius Intimus & Bibliothecarius dictæ Bibliothecæ, cuius relatio ad verbum inſeritur in Præfatione Tomi huius primi p. 25. ſeqq. Codex hic ipſe dein iuſſu Sereniſſ. Ducis Gothani cum Dn. Editore communicatus eſt. Exempla, quorum notitiam nanciſci Dn. Collectori contigit, quamvis annum præferant 1292. non diſcrepant a Statuto A. 1497. unde Dn. Collector excitat iuris Hamburgenſis peritos, ut decernant, an 1292. reapſe Statutum aliquod Hamburgenſe editum ſit.

VII. *Ioachimi Claen*, Conſulis olim Hamburgenſis, Annotat. ad Statuta, ex MSCto.

VIII. *Ulrici Winckelii*, Conſulis olim Hamburgenſis, Emendationes & Annotationes ad Statuta de Anno 1603. ex MSCto.

IX. *Nicolai von der Fecht*, Senatoris olim Hamburgenſis, Annotationes ad librum Statutorum, ex MSCto.

X. *Alberti Schreiningii*, Syndici Hamburgenſis, Annotat. ad Statutum Hamburg. in quibus Caſus memorabiles, qui Hamburgi ad normam Statuti deciſi fuerunt. Fuit hic Schreiningius, ſæpius quam tricies Hamburgenſium Deputatus ad Cæſarem, Regem Galliæ, Regem Daniæ, Electorem Saxoniæ, Ducem Cellæ, & alios Principes, non temere ſolitus comparere in Curia, antequam Sacris vacaſſet in Eccleſia. Sequuntur duæ Appendices, quarum prior CIV. ſententias & Decreta Hamburgenſia ſiſtit; poſterior primam Collectionem Ordinationum & Senatusconſultorum Hamburgenſium exhibet, & in duas partes diſpeſcitur, quarum altera Ordinationem Aſſecurationum & Havariæ Civitatis Hamburgenſis de Anno 1731. continet; altera vero uſitatas Hamburgi formulas iuramentorum complectitur, inter quas notabilis p. 1125. eſt formula, qua Iudæi Hamburgi iurant. His accedunt Ordinatio Cambialis Hamburgenſis, reviſa & emendata anno 1711. cum adiunctis Articulis Senatus & Civium de die 10. Nov. 1729; ordinatio de Cambiis Minorum; ordinatio pertinens ad Copulationes clandeſtinas; transactio inter Capitulum Hamburgenſe & Civitatem Hamburgum de anno 1561. ex vero authentico; transactio inter idem Capitulum & Senatum Civitatis Hamburgenſis de anno 1692. & aliæ his ſimiles Sanctiones. Tria priora huius Tomi Opuſcula, Hiſtoria nimirum Statutorum Hamburgenſium Cel. Richei, eiusdem Idioticum Hamburgenſe, & Conſultiſſ. Schubacki Diſſertatio de origine Statutorum Hamburgenſium, ut iam dudum omnibus notum eſt, ingenii & eruditionis laude commendantur. Inſequentes autem Tractatus, trituræ apud Hamburgenſes forenſi operam navantibus apprime utiles eſſe poterunt.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLVIII.

Pars I.

LE DROIT PUBLIC DE FRANCE &c.

i. e.

IUS PUBLICUM FRANCOGALLIAE MONUMENTIS antiquitatis illuſtratum: quo opere de origine & natura iurisdictionis, de patrimonio regum & optimatum, legislatione regia, maieſtate, iurisdictione ſuprema, regio iure propter ſacerdotiorum vacantium reditus, eccleſiarum immunitate, beneficiis, ſive feudis, villicationis, venationis, & gruriae iuribus, nobilitate & ſervitute, emancipationibus, praediis vectigalibus, quae optimatum dominio ſubſunt, agris & ſylvis communibus, civitatibus regiis & dominicis, herediis liberis ſive optimo iure poſſeſſis, de ingenio conſuetudinum regni antiquarum & hodiernarum, earumque cum iure aut Francico aut Romano convenientia, deque cauſſis contrariorum &c. diſſeritur, Auctore BOUQUETO, Curiae ſupremae Advocato

TOMUS I.

Lutetiæ Pariſiorum 1756. Deſaint & Saillant librarii, privilegio regis, vendunt. in 4to.

Etſi a Francis ſcriptoribus ea iurisprudentiæ pars, quæ de ordinatione regni illius, regia poteſtate, auctoritate

 prin-

principum, omnique civitatis indole ac natura præcipit, adeo non fuit negle&ta, ut copia etiam & doctrina librorum cum aliis populis certare poſſint: ipſa tamen iuris publici appellatio non vulgaris, & titulus iſte raro inſcriptus eſt, cum ſumma reipublicæ eius tum ratione ſtatus, & regni deſcriptione in provincias, tum iurisdictionis forma, & beneficiorum maxime continetur, inſtitutis. Relictis illis, hæc quidem inprimis tractabit Bolquetus. Ille enim, quod ab initio regni aut ſcriptum, aut more invaluit publice ius illud, uti ab hiſtoriarum ſcriptoribus traditum eſt, & publicis paſſim monumentis, aut, quæ pro inſtrumento ſunt, litteris conſtat, ita plenius enarrare inſtituit. Fecit ſane operæ pretium, qui Pithoeorum, Duareni, Alteſerræ, Bignoni, Gothofredorum, Quercetani, Valeſii, Hotomanni, Chopini, Girardi Hallandini, Bollanivillerii, Monteſcuſii, & tot aliorum veſtigiis ſummorum virorum inſiſteret; & magnum incrementum Bolqueto nomini dedit, quod Puteanorum dudum & Balucii gloriam indagatione antiquitatis æquavit. In hoc noſtro ingenium acutum & elegans, magnitudinem doctrinæ huic ſeculo fere diſſimilem, ad hæc ſubtile iudicium, & diligentiam indefeſſam & laudamus libenter, & exemplum popularibus in illuſtri conſpicuum loco proponimus. Ne vero de viri doctrina & dignitate operis ſtatuiſſe præpoſtere videamur, nolumus in ea re nobis credi, ſed enumeratione partium brevi, & quantum fieri poterit, concinna accurataque fidem dictis conciliabimus.

Igitur omne opus, argumento præfationis, deſcripſit in partes decem. Initio dominiorum & poteſtatum (Seigneuries & Iuſtices) naturam primævam, & imminutionem mutatis legibus factam, iuraque ab iis profecta, quæſivit. Contigerunt vero mutationes reipublicæ tres. I. Agri poſt domitos Gallos diviſi. II. Regia bona privatis donata, dato iure proprietatis poteſtatisque iuris dicundi, ſalva tantum ſuprema eminentia & cognitione. III. Beneficia inſtituta, ſeu lex feudorum, ubivis poſtea regionum impoſita. Lex illa antiqua agraria primo, quod indicamus, volumine explicatur, ubi iura herediorum (alleux) cum commendationibus maxime, ac

rei

reipublicæ miniſterio, contrariis iuribus, comparata, definiuntur. Quod ſi naturalius videatur, agere de ſummo iure & legislatione regia, principio omnis publici iuris coepiſſe; præterquam quod id cognitum omnibus perſpectumque habetur, quantumvis grandes plerorumque errores in ea re deprehenderit noſter; quis quæſo eius momenta intelligat, niſi ipſam heredii indolem iurisdictionisque præceperit? Itaque de poteſtate legum ferendarum, miſſis dominicis ordinatis, iudicandis provocationibus, & ſumma rerum omnium, quæ penes principem eſt, ſecundo libro exponet. Tertio perget ad agros & heredia utriusque cleri, quorum ipſi proprietas obtigit liberalitate regum. Quotus enim quisque ignorat, quantum immunitatis, privilegiorum, iuris, poteſtatisque, vulgus chriſtianæ reipublicæ tribuat? Super patrocinio eccleſiis præſtito, ſuper iis, qui ſub earum tutela eſſe intelliguntur, atque innumeris iſtis decimationum formis, eruditi in varias ſententias eunt. Hæc omnia diſcutiet noſter. Deinde beneficiorum in iura & obſcuras origines libro quarto inquiſiturus, complurium prudentum æque ac hiſtoricorum allucinationes, antiquitatis & æqualium litterarum fide, explodet. Quæ res, inquit, duas inprimis habet cautiones: alteram quidem, ne eiusdem naturæ feuda cum commendationibus iudicentur, nullius unquam boni donationem complexis: alteram, ut a civilibus beneficiis diſtincta intelligas, cenſu annuo oneratis, & ad heredes non transmittendis; tametſi ab his conſuetudinibus hodierna beneficiorum forma effiſta eſt ac compoſita. Quam cum ſic poſtea adamaverint, ut aquæ etiam & vinariæ guttæ & infima domus officia, miniſteriaque ſacrorum more beneficii tenerentur: multa noſter paralipomena ſuper iis formis ſperare iubet. Verum enim inprimis lectoribus gratum faciet, ubi villicationem, venationem, gruriam, ſequentibus tribus libris exponet. Villicationem procerum curiæ & publicani, utrique ſui iuris eſſe, contendunt: eiusque ergo lis pendet. Copioſus eſt celeberrimus Bolquetus enarrandis vocabulis, quibus diverſa portoria & vectigalia exprimuntur: primus etiam villicationis verbum, pro quo ſequior

ætas viaturam dixit, in libris obſervavit antiquis. Venationis eadem apud Gallos fata, quæ apud nos fere aut inferiores Saxones: longa diſputatio inſtituta. A privatorum partibus ſtat Bolquetus; res tamen ſi litigioſa ſit inter ſuos, non dixit, ſed perſonalem beneficiariorum prærogativam haberi. Gruriam pariter, atque villicationem, ab ſuperiori iuris dicundi poteſtate ſeiungi, habet nefas. Deinceps ſervorum, cum in dominio eſſent, miſeriam, ſimul ſtatum ingenuorum ob oculos ponet libro octavo. Nono tandem ac decimo de manumiſſionibus diſſeret, cenſus inde dominicos, communitates regias, dominicas civitates, libera heredia repetiturus. Elegans exemplum tertiæ eſt, quam ſcilicet frugum partem colonus proprietario ſolvit, ob eam rem tertiarius appellatus. Multum aberraverat Cangius, cenſum illum de tertia parte agrorum Aboriginibus relictorum interpretatus. Ad hæc ſingula momenta antiquitatis promtum & verſatile eſt Bolqueti ingenium. Illa penſa, hic labor. Ipſe, ne quid usquam ſine auctore ſcriptum invenias, ad calcem cuiusque voluminis litterarum argumenta ſubiunget, quas aliquot nondum publicatas daturos ſperat viros rarioris ſcientiæ, & indubiæ probitatis. His decem partibus abſolutis, gloſſarium, tanquam armamentarium, inſtruet, bellam profecto coronidem belliſſimo ædificio impoſiturus.

En! diſtributionem magnifici operis, cuius perfectionem & celeberrimo architecto, & univerſo orbi litterato precamur. His ita præmiſſis, incipit Tomus primus de agro Francis victoribus diviſo. Male Loſæus ſub primis regibus omnes agros aut regum fuiſſe, aut regio beneficio arbitratus privatorum eſt: Fruſtra accepta a rege prædia ſub onere annui cenſus in recognitionem dominii Boſius ſtatuit: Vanus denique Cantorius Faber cum reliquis, qui omnia regii iuris fuiſſe, & nullum ab initio regni prædium ſeniore domino caruiſſe perſuaſi ſunt. Primores de uſurpatione iurium maieſtatis contra ius & fas accuſati propterea, quod veteres iureconſultos copia litterarum deſtituit, quæ hodierni iuris principia: nihil regiorum bonorum alienari debere: quodlibet prædium aut ſim-

Digitized by Google

ſimpliciter aut interventu alterius proficiſci ex opibus regum: quæ, inquit, has definitiones iuris antiqui non eſſe manifeſtarent. Cum vero inter omnes conſtet, iurisdictionem in patrimonio eſſe, & fundi dominium publicam poteſtatem inferre, habes profecto communes patrimoniorum origines iurisdictionisque. (Quod quidem inter noſtros Heineccius aliique viderunt.) Bolquetus rei initia refert ad diviſos agros, nec regem quicquam, niſi ſorte acceptum, titulo putat dominii tenuiſſe, nec comites, quæ ſortiti ſunt, ea poſſediſſe cum ullo onere. Supremi agnitio tribunalis, & arma pro ſalute reipublicæ capiendi neceſſitas, e civitatis natura intelliguntur, & civium ſunt ante, quam prædiorum. Omnis autem agraria cauſſa tres habet poſitiones: 1. Diviſio agrorum poſt victoriam extra dubium poſita. 2. Ex Agris, qui Francis ſorte obtigerunt, nihil rediit olim ad fiſcum. 3. Eorum e contrario dominium penes ſingulos fuit, cum omni iure, proprietate, imperio. His totidem partibus conſtat prima hæc diſputatio. Litteris quidem de diviſione agrorum publice conficiendis, non opus fuit, nec inutilis facile ſcriptura tuliſſet ætatem. Nihilo minus ipſa res non inanibus nititur coniecturis, ſed Germanorum, quibus Franci originem debent, Burgundionum, & Viſigothorum, qui aliquam Galliæ partem occupaverunt, exemplo, ſtatus etiam inter Francum Gallumque veterem debellatum diſcrimine, fit veri ſimilis. Gallum vero, qui armis dimicaverat, Romanum appellaverunt; cæteris, ut videtur, qui ſponte admiſerant peregrinos accolas, Francico iure gaviſis. Quæ cum ita ſint, cumque ipſos Francos res quasdam bello occupatas partitos eſſe relatum legamus, ab his paucis exemplis colligitur facti conſtantia, quam novi agrorum tituli nominatim confirmant. Illuſtre inprimis exemplum habet *Gregorius Turon.* L. 2. cap. 28. Sanctum Remigium Clodovæus rex, ex vaſis ſuæ eccleſiæ demiſſis precibus urceum repetentem, Sueſſiones ſequi ſe iubet, ubi prædæ partitio fieret, & urceum præcipiendum rogaret rex ſuos. Quo facto, annuentibus reliquis, unus invidus, bipennem immittit, & magna vociferatione: nihil, Rex, hinc accipies, inquit, niſi

Digitized by Google

quæ tibi ſors vera largitur. Omiſit Bolquetus hominis necem, novum, niſi fallimur, argumentum æqualitatis, rege non dicti calumniam puniente, ſed fictis eum criminibus opprimente. Itaque regis prædia, fiſci; civium, allodia aut terræ ſalicæ appellata. Salicas terras allodii ſpeciem, & ab omni cenſu immunes fuiſſe iam obſervavit Eccardus. Libera vero heredia (pudet enim allodia Franca latine dicere) fiſcique, aut prædia regis ſub Merovingis Carolingisque, hodiernum non habuerunt ſignificatum. Hæc usque ad Philippum pulcrum uſucapi, alienari, dividi potuerunt: nec tum, niſi dominii regii ergo, facta eſt prohibitio. Poſtea quoque, quam ab Hugonis Capeti ætate non amplius placuit regnum diviſum: excluſi ab eo filii filiæque paternas nihilo minus poſſeſſiones partiti ſunt, & ſuam quisque partem propriam acceperunt. Quemadmodum vero regibus fuit bonorum ſuorum plena proprietas: ita ſortis quisque beneficium ſine onere poſſederunt, & eodem optimo iure privati. Domini fuerunt omnino, & proprietate gaviſi ſunt omnibus numeris abſoluta. Cuius rei duas rationes Bolquetus affert, ſecunda tertiaque, in qua deſinit diſputatio, parte tractatas. Prima eſt, quod Franci, quicquid poſſederunt ſortis, non ſuperioris beneficio poſſederunt (allodialement). Secunda: quod plena fuit cuiusvis in prædiis ſuis poteſtas, omne ius ac dominatio (toute Iuſtice & toute ſeigneurie).

Secundam diſſertationis partem conſtituunt capita quinque propoſiti ſui: quibus totidem argumenta profert vir clariſſimus, nihil ex antiquis prædiis ad principem rediiſſe. Quod quidem ex eorum origine & natura perſpecta, ex indole fiſci aut agri regii, tributis propter munera, & defenſionem reipublicæ, perceptione cenſus aut tributorum, denique ex donis annuis, intelligitur. Heredium, (cuius ſpecies eſt terra ſalica, ſalii quippe militis, atque adeo regis portio,) a voce Germanica Loos videtur ipſi alodii nomen traxiſſe. Sunt præter laudatum Carnagium Germani etiam bene multi, qui Bolqueto conſentiant. Eaque ſane opinio altera Dominici probabilior eſt, qui voculis noſtris *ohn leiden* vim magis,

quam

quam originem verbi interpretatur. Utram eligas, æqua eſt immunitatis ſignificatio, quam cæterorum quoque confirmant coniecturæ. Naturaliter fundi liberi erant, Deoque ſoli ſubiecti ex veteri formula, poſſeſſi a dominis optimo maximo iure gentium & armorum. Hodierna igitur herediorum, quæ libera nunc vocantur, conditio iis ſeculis obtinere coepit, quibus omnia beneficii nexu adſtringi, priſca libertate Francorum penitus expirante, niſi principes prædiis contuliſſent, quam beneficiarii poſſeſſores exuerant ſua ſponte. Neque a Francis regibus deſcriptiones factæ, more Romanorum Imperatorum. Hos enim exercitus alere magno ſumtu, tertiam quandoque exigere, nullum indictionibus & ſuperindictionibus finem facere, oportuit, nihil agri prædatos præterea labante imperio. Illi contra mitius agere, & regni magnificentiam præferre ſine moleſtia poterant, cum maximam agri partem & ſors & dignitas & victoria aſſignaſſet. Crederes omnes Gallias in patrimonio Regum fuiſſe; adeo larga ſunt beneficia, quibus omnes ſibi ordines devinxerunt. Arridet inprimis priſcorum regum frugalitas & rei agrariæ cura, in Caroli magni, Ludovici pii, aliorumque exemplis conſpicua. Laudavit ſingulas leges noſter, & excitatione verborum a quolibet civilis prudentiæ ſtudioſo gratiam meruit. Digniſſimus memoratu eſt Ludovicus pius, prudenti rerum domeſticarum ordinatione annonas militares, foderum vocatas, non paſſus ulterius ſolvi. Antea vero, Chilperico regnante, cum una amphora vini per aripennem deſcriberetur, concitato populo tabulis concrematis, ea res regio ſcribæ fatalis fuiſſet, niſi eum epiſcopus liberaſſet. Ipſa Fredegunda, natorum mortem, inauditi eius criminis poenam credidit. Quis igitur tertiam Noricorum de ſaltuum fructu regi pendendam: quis quartam aut dimidiam partem, alibi Aurelianenſi, alibi aliis, redeuntem, veſtigia iuris regii vectigaliumque herediorum interpretetur? cum nihil hoc, niſi gruriam, ſupremam iuris in ſaltibus dicundi poteſtatem, præ ſe ferat. In bellicis autem expeditionibus, & propter defenſionem reipublicæ, omnes & capere arma, & ſumtus conferre coacti ſunt. Cum quando ſubterfugiendæ militiæ cauſſa non-

nulli

nulli poſſeſſiones ſuas eccleſiis darent, & ſub cenſu utendas reciperent, fraudem illam Pipinus coercuit, & nova lege inutilem fecit. Si quis bruniam aut bipennem poſſeſſor duodecim iugerum ſeu manſarum in exercitu non habebat, & beneficium, & bipennis ademta. Quamprimum publicato bello omnes indicto loco convenire, & beneficiarios primos, deinde cæteros poſſeſſores quoscunque, militatum abire oportuit. In eos qui ſubterfugerant, ex veteri conſuetudine, poena 60. ſolidorum ſtatuta, quos niſi ſolverent, nexi fuerunt, dum ſervitio meruiſſent. Nec ætas excuſationem præbuit, nec paupertas, ſine exemtione peculiari. Qui vero ob tenuitatem fortunæ, (quando eam bonis quidem, quam annis malumus æſtimare, cum liberi infantes non denotent loco laudato, ut plane retractare poſſit vir celeberrimus, quod dubitantius emendavit,) arma ipſi capere nequiverunt, ut re ſaltem communi neceſſitati ſuccurrerent, comes curavit. Prævíſum etiam comitibus, ut militatum vocati lanceam, ſcutum, & arcum cum duabus cordis & duodecim ſagittis; baculum nemo; omnes veſtimenta & utenſilia, triumque menſium commeatum haberent. Menſes illi a limitum transgreſſione fluxere, & a Ligere ad Rhenum ituris hoc flumen; trans Rhenum & per Saxoniam deſtinantibus, Libius Limes: in citeriori autem littore Ligeris, vergentibus in Hiſpaniam montes Pyrenæi limites iudicati. De aere militari tralatitium eſt, Heribanni illud, & Heribannatoris nomine collectorem veniſſe. Cuius hanc rationem præſcripſit Carolus magnus, ut qui auro, argento, aere, pecude, veſtimentis, & omnibus rebus mobilibus ſex libras æſtimaretur, tres; qui tres tantum libras, triginta ſolidos; qui duas, ſolidos decem; qui vero unam, non niſi quinque ſolveret belli cauſſa: agri quidem mancipiaque nequaquam deſcriberentur. Extra ordinem Carolus Calvus prædiorum & hominum cenſum habuit, extrema belli Norici calamitate coactus. Primus anno 880. certam & perpetuam legem tulit Carolus Craſſus, conſtitutionem illam de expeditione Romana, quam inter imperii tabulas Lunigius exhibuit. Spatium anni & ſex hebdomadum, præparandæ expeditioni indultum: tributa modo manſarum

ſarum ſeu iugerum æſtimata: Buringi etiam, ſeu urbici homines, tributarii facti. De manſionariis conſtat. Abſarium gloſſatores ſoli inculti, Bolquetus arvi quieſcentis dominum, verſacti repaſtinatique (recte quidem, ſed neſcimus an contra eos?) intelligit, argumento epiſtolæ publicæ, uſuque germanicæ dialecti. Hæc enim verborum *Abſaz* vel *Abſez* ſignificatio paſſim obtinet. Bunaiarium audiviſſe coniicit, qui nihil ſoli haberet præter aream domus ſuæ, manſis certe bunnuarias complexis 12. Difficilis coniectura videtur: ſed neminem ab oneribus belli immunem fuiſſe perinde ſemper apparet. De Eccleſiis dubium reſtat, apparente legum diverſitate. Illuſtris vero Bolquetus, quod libro ſecundo altius indagabit, hic quoque non inanibus argumentis aſſeruit, leges ſine exceptione locutas, unumquemque bonum ad arma vocatum, ſacerdotes etiam agris beatos concurriſſe ſaltem per homines ac beneficiarios; nec ſi quis forte exemptus fuerit, niſi privilegio regis exemptum, eaque perſonis privilegia data, ut perſonarum omnes immunitates, cum morte principis expiraſſe. Rem ipſam ſub Clodovæo confeſſi patres concilii Aurelianenſis: Libertatis indultæ exemplum Gregorius Turon. in Childeberto laudavit; Chilpericum contra ne pauperibus quidem pepercisse: comitemque Biturigum, cum b. Martini familia imperitiam belli crebro pervicaciæ ſuæ præverteret, miſiſſe qui eam multarent, legimus. Carolus Magnus totidem verbis tulit, ut Epiſcopus vel Abbas duos tantum de enſatis & laicis hominibus ſuis domi dimitteret, cæteri militatum abirent. Ubi vero anno 769. & 803. ſacerdotes ab exercitu repulit, eo ipſo contrariam priſtini moris conſuetudinem indicavit. Iſta lex Caroli Magni cognominis Calvi tulit ætatem. Ab huius vero tempore præſules præeſſe militibus: Venilo Senenſis auxilio ducere: Hinc marus de rebus bellicis conſuli: ſenis aut imbecilli epiſcopi loco beneficiarius mitti: Abbates epiſcopis annua dona, equum unum, & ſcutum cum lancea, iisdemque in expeditionem euntibus duo vehicula ſive carra, unum farinæ, alterum vini debere, verveces decem. In belli Norici hiſtoria clari, Goſſenus Pariſienſis, Anſegiſus

O Tri-

Tricaſſinus antiſtes, atque Ebolus Mauortius Abbas. Quidam in Hugonis Roberti F. exercitu Franciæ Burgundiæque pontifices. Idem iuris ſub initia regum tertiæ ſtirpis, nec auditi Aurelianenſis & Altiſſiodorenſis ab Innocentio III. P. R. publicatis eorum regalibus, quod nollent ſine rege in exercitum ducere. Riſum movet, quod Præſulem ab Angliæ rege captum tunica iſta non agnoverit filium ſuum Romanus, regique redimendum reddiderit martis potius militem, quam Chriſti. Inde acutiſſimus Bolquetus vafritiem interpretatur arma quorumdam, utriusque militiæ formam mentita. Multa deinceps exempla conceſſæ immunitatis attulit, legesque liberantes eccleſiam præter unum agri modum ſeu manſum poſſidentem. Notitia de monaſteriis, quæ regi militiam, dona, vel ſolas orationes debent, apud Baluzium eſt. Vocabulis: heribannum, hoſtis, varda, paratæ, inferendæ, manſionaticum, ſub prima & altera regum familia uſurpatis, initio tertiæ ſtirpis nova nomina ſubſtituta Halbani, Gardiæ, Procurationis, hoſpitii, Feodri: idem præſtationum ius fuit. Quod poſtquam ſerie exemplorum continuata ad Carolum VI. deduxit, quinto loco ad eas luitiones ventum, quæ cenſus & tributorum nomine celebratæ ſunt. Fuerunt autem hi reditus non niſi eorum bonorum, quæ regibus forte cecidiſſe vidimus ſupra. Igitur ingenuitas perſonarum, & titulus dominii herediorum inaffectæ immunitatis argumenta fuerunt. Nullus cenſus alia, quam dominica poteſtate impoſitus: nihil in eo maieſtatis exercitum. Rem omnem Marculfi formulæ, & plurimæ leges Monteſcuſio excitatæ loquuntur. Modus agri, (vox enim manſæ non a manendo, cum domicilia ſervulorum cellæ audirent, ſed a germanico *mas* profecta) id eſt, agelli, ſeu aripennes, duodecim ſervo colono dati, qui opere ruſtico faciendo victum quæreret, & cenſum quaſi pretium lucri domino telluris dependeret. Hinc terræ tributariæ in capitulis Caroli M. Contra, iisdem legibus cautum, ut nemo aliud ab heredii poſſeſſore exigeret, niſi ut pro patria defendenda militaret. Verum enim, quantumvis etiam clara habeantur loca, ſunt tamen alia multa ambigua, quæ dubiam interpretationem admittunt, & in

Digitized by Google

in utramque fluctuant partem. Igitur, quo fieri minus potuit, ne magno temporis intervallo alia ſubinde imperii forma alias leges, alios mores poſtularet, eo accuratius temporum nota, & cauſſa ſolutionis, temporaria, an perpetua? perſonæque ſtatus quis fuerit? obſervandum eſt: Plurima ad villicationem, aut alia huiuscemodi ſpectant. Nec ingenioſus Duboſius contrariam explicationem edicti Piſcenſis dediſſet, niſi Francorum venditionis in ſervitutem oblitus. Actum enim de iis, qui ſeſe vendiderant, nec, niſi ſub cenſus lege, redemerant libertatem. Capitul. Caroli Calvi an. 864. c. 34. rem omnem extra dubium ponit, nec canon concilii Aurelianenſis Duboſianæ cauſſæ patrocinatur, ubi pro obligationibus oblationes ſcribendæ ſunt, immunitates autem a militiis, non a cenſu, intelligendæ. Neque cenſus commendatorum argumento eſt, tributa publici iuris fuiſſe, cum beneficii uſus precarius haberetur, & liberum, regi ne quisquam, an alii domino ſe ſuaque vellet commendare. Profecto ſi cenſus ordinarius & perpetuus herediorum ſolutus fuiſſet, qui dona annua potuiſſent offerri, aut quo ea modo poſtulari a regibus non iniquis? Antiquiſſima xeniorum & exeniorum vocabula: antiquitus natura, foderi; uſus loquendi civilior poſtea, quaſi munus non eſſet, ſalutis, ſalutationum & eulogiarum nomen impoſuit. Priſcæ conſuetudinis monumentum eſt platea fodri Pariſienſis, & ipſa epiſtolarum forma apud Marculſum non ſine ſalutibus & eulogiis abſoluta. Exigendæ quidem ſalutis ius ſalutaticum audiiſſe Cangius docet. Calendis Maii reges in campo Martio ſalutati, isque mos adeo conſtans fuit, ut ignavi etiam principes, & eiectis illis Pipinus, oblata ſollemniter munera ibi accepiſſe legantur. A Pipino Saxones ad hunc morem adſtricti: Ludovico pio Vormatiæ Aureliæque, Lothario Compendii, Piſcibus Carolo Calvo, dona in conventibus publicis data, quorum quidem, ſi victum, potum, atque equos excipias, adminiſtras reginas, & ſub ipſis theſaurarios novimus. Nulla hic hominum religioſorum immunitas, niſi privilegio forte: quo ſine nec ulla excuſatio paupertatis. Immo generali immunitatis vocabulo neque annua dona, neque ſervi eccleſiæ aut

Digitized by Google

beneficiarii comprehenſi. Quæ omnia ſingulatim diſcuſſit vir celeberrimus, ut plena tam herediorum quam perſonarum libertas a tributis ordinariis adpareret lectori.

Eam vero in anteceſſum & quaſi per tranſennam probaſſe, ut ſatis habuerit, tantum abeſt, ut potius tertiam & ampliſſimam diſputationis partem prædiis honoratis (ſeigneuries) dicaverit, & illi iurisdictionis exemplo, quam allodialem & patrimonialem barbari nuncupaverunt; poteſtatem dicas, & ius ſuæ rei. Summa viri clariſſimi diligentia, tamenetſi diffiteri non poſſumus, veritatem ab aliis iam inventam videri. Niſi enim omnino fallimur, Heineccio lucem præferente popularibus noſtris, pauci fere ſunt in Germania, qui cum celeberrimo Bolqueto non faciant, ea que res in Maſcoviorum, Eiſenhardorum, Gebauerorum aliorum que virorum clariſſimorum ſcriptis ut certa atque explorata proponitur. Strubenii inprimis, Burii Bilderbequii & ſimiles libros de venatione & diverſis iurisdictionis generibus publicatos, cum propter eas cauſſas lis pendet, miramur a viro celeberrimo ignorari. De mero quidem imperio, ſeu æmulo maieſtatis iure, quod ſuperioritatis territorialis *(ſouveraineté & reſſort)* vocabulo plurimum venit, ut cæteros taceamus iureconſultos Germaniæ, qui ius apud nos ſtabilitum, vel iuris publici ordine, vel ſcriptis peculiaribus tractaverunt, *Leibnitii* certe liber pleniſſimus bonæ frugis, plurimæque in eo propter Galliæ ſtatum obſervationes habentur. Rem omnem ad exemplum antiquæ Galliæ legibus Germanicis conſtitutam eſſe, illuſtris quondam *Treuerus* commentario ſingulari monſtravit, fallimurque nos quidem, niſi univerſa de territoriis clauſis & non clauſis diſputatio peregrinitatem vocis *reſſorti* ſapit. Nihilo minus Bolqueti tractatio novis & eruditiſſimis animadverſionibus præſtat, & iuris etiam germanici ſtudioſos, qui ſapiunt, delectabit. Cavendum vero eſt, ne eosdem priſcæ ætatis mores ac noſtræ iisdem verbis deſignari credamus. Iudex hodie eſt, qui ſententiam fert inter partes. Illo quidem antiquo tempore Seneſchalli, Ballivi, Præpoſiti, Viatores iudices appellati, tametſi eorum nemo verſabatur in litibus dirimendis. Quanto magis autem iudicis apud Francos acceptio ad

ſtilum

Digitized by Google

ſtilum codicis Theodoſiani appropinquavit, tanto minus excuſationis habent iureconſulti, atque hiſtoriarum ſcriptores, 'qui ex hodiernis moribus ævi medii diſciplinam æſtimaverunt. Hic fons errorum & ſcaturigo, quos evitaturus Bolquetus, primo quidem de Leudibus, Fidelibus, Senioribus & Vaſallis, diverſoque eorum ſtatu tractavit: deinde ex vaſſis Duces, Comites, Graviones, Vicarios, Centenariosque probavit, iudicum nomine reipublicæ partem & miniſterium tenuiſſe: tertio loco & quarto hanc illam iurisdictionem non beneficii titulo habitam, nec iudici ex beneficiis victum quæſtum: quinto tandem numeroque ſexto propoſitum eſt, quod beneficia & patrimonia interſuerit, ex illis quidem aliquo fructu ad dominum redeunte, non ita ex his, ubi paterfamilias idem iuris, atque in patrimonio ſuo rex, habuit, absque ullo detrimento aut imminutione dignitatis auguſtæ. Itaque quod ſcribunt Cæſar & Tacitus, ſolos Germanorum reges ex nobilitate, duces ex virtute ſumtos: uti quemque genere copiisque ampliſſimum, ita plurimos circum ſe ambactos clientesque habuiſſe: numero ac virtute comitatus eminere in pace decus, in bello præſidium viſum: Facti eius conſtantia in hiſtoriis regum primæ ſecundæque propaginis dilucide reperitur, cum agri regii amplitudo quamplurimis comitibus alendis ſuppeteret, quorum omnem familiam ea ætas Leudum nomine compellavit. Vox quidem omnino Germanica, nec moribus hodiernis inſueta. At vero verbi *compagnon* in litteris noſtris origo inveniri non poteſt: potius illud latinum plane exiſtimamus, quaſi dicas *comites pagi.* Magis arridet ipſius rei & ſtatus finitio, a Bolqueto allata. Leudes, ait, fuiſſe principis aut hominis opulenti comites in bello, perſonæ eius devotos, eiusdemque opibus altos. Fidelem regis hominem quemvis liberum: Seniorem autem, qui prædium quoddam beneficii lege conceſſerat, aliumve ſibi commendatum habebat, quem Vaſalli contrario nomine recte ait, diſtinctum eſſe. Vaſalli quidem, ut ſupra dictum eſt, ſive duces comitesve, graviones, vicarii ac centenarii, atque horum locum tenentes, iudicum elogio appellati, quamvis non, niſi publicæ rei miniſterio, in ſuo quisque tractu, defungerentur.

 Extant

Digitized by Google

Extant Clodovæi, aliorumque regum litteræ, epiſcopis, abbatibus, & illuſtribus viris, magnificis, Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Vicariis, Grafionibus, & omnibus curam ſanctæ Dei Eccleſiæ gerentibus datæ: in quibus etſi de adminiſtratione iuſtitiæ actum, Leudes tamen nequaquam commemorati. Neque in iudiciis publicis, (Plaids generaux) ubi omnes, qui iurisdictione gaudebant, convocabantur, hi unquam homines comparuerunt. Certe Clodovæus, cum iudicia Valencianis haberet, argumento litterarum ſuperſtitum, eorum non fecit mentionem: ipſi quoque Marculfo, qui fideles adeſſe iudiciis iubet, formula 25. omiſſi ſunt. Nullum igitur eorum officium fuit, niſi ut principem militantem comitarentur. Si quis vero ex Leudibus beneficium pro ſervitiis obtinuerat, depoſita Leudis conditione, aut Senior factus eſt, aut Vaſallus. At Leudes quidem domino ſuo ita ſeſe devoverant, ut fidem datam fallere, nefas atque infame ipſis hoſtibus haberetur, publiceque conſtitueretur, Guntheramni Leudes, qui ab initio fuiſſent, ſi poſtea ſe Clotario devoviſſent, e manſionibus aſſignatis pelli: & neminem alienos homines impune debere ſollicitare. Uti vero Leudi vocabulum nonnunquam pro compoſitione hominis venit, ſic ipſi Leudes in legibus & annalibus ſervos quoque aut ſubiectos principis ſeniorisque ſignificant. Qua cauſſa Bignonus exiſtimat, eamdem fuiſſe eorum conditionem, quam illam Baronum Franciæ ſub Capetingis, ac Leudes cum Fidelibus plane confundit. Lindenbrogius quemvis civem pro Leude habet. Nec multum abnuit Cantorius Faber, qui Leudum pro tributo a Gregorio Turonenſi aliisque auctoribus dictum, ſuſtinet, verbum ab allodio factum. Si vero conſtat de immunitate alodi, qui tum, quæſumus, iſto vocabulo hominis aut herediorum ſubiectio deſignetur? Mabillonius leudes interpretatur Litos: ſed procul dubio, Muratorium iuxta, Liti alii plane fuerunt a Leudibus, etſi hic quoque in eo fallitur, quod Leudes, Fideles ac Vaſallos confundit. Bolanivillerii ſententiam, Francis omnibus tribuentis id nomen, quod cum ſocialitatis & æqualitatis ſignificatu a Germanico Leuch (puta *Gleich*) repetit, & latino fidelis comparat, Leudesque ad principem minus quam ad regnum, ob male intellectam

Digitized by Google

ctam formulam: Regni fidelibus: referentis, ex popularibus noſtris animum nemo inducet. Longa hic errorum tabula, & magnus errantium numerus, quamvis iam a Raynaldo ſignificanter ſtatutum ſit: Leudes eſſe, qui agros non liberos aut immunes, ſed cenſu & tributo oneratos poſſideant, decipique, quibus illud vocabulum Vaſallum ſignificet, aut libertum. Inprimis notandus error eſt Monteſcuſii, propter viri famam & eruditionem, quæ incautis facile lectoribus imponere poſſit. Bona Leudibus ſervata, ait, beneficia, fiſci bona, honores, & fiſcos dici a multis ſcriptoribus diverſarum ætatum. Quam ob rem laudat Marculfi formulas 14. & 15. a Bignonio dudum aliter explicatas, cum donatarii fideles intelligendi, Arimania autem familia, unde Megnie; quibus ſane hominibus ſervorum ſeu colonorum ſpeciem ſignificari, multis ex inſtrumentis eſt manifeſtum. Quodſi vita S. Mauri, annalesque Metenſes, Leudes beneficiarios aut fiſcorum comitatuumque poſſeſſores commemorant, Leudes quidem illis bonis ornatos legimus, non eadem Leudibus bona propria aut deſtinata peculiariter. Neque hoc, ſi Cangio velis adſtipulari, Leudesque Arimannos exponere, qui ſub comitibus, iudicibus, aliisque regum miniſtris, in oppidis & caſtris militaverint, illud, inquam, quod Monteſcuſius ponit, prono inde alveo non ſequeretur. Immo vero Leudes a iudiciis plane remoti fuerunt, atque aliquos memorat Viſigothorum lex, nec ullo loco deſiderantur, Muratorio teſte, qui nullum a rege beneficium habuerunt. Hæc de Leudibus diſputata, cui generi ſubſunt Antruſtiones, hac una re differentes, quod non ſervierint, niſi in aula vel arce principis, quare & truſtem cum fidelitate iurarunt, & qui antruſtionem occiderat, triplicem eum ſolvere multam oportuit. Cuius pretii noſter non dignitatem perſonæ, quam aliqui inde æſtimare, & hæc nobilitatis cunabula gloriari inſtituerunt, ſed loci potius ſanctitatem in cauſſa fuiſſe, legum aliarum ſimilitudine, uſuque hodierno, monſtravit. Deinde de Fidelibus diligenter actum eſt. Qui cum non, uti Leudes, excellerent, ſed regi fidelis audiret quilibet civis, eo minus beneficiarii fuerunt aut iudices, ſed ad ſolam militiam, & arma

pro-

Digitized by Google

pro ſe laribusque ac penatibus ſuis capienda, obſtricti. Genus tamen fidelium animadvertas duplex. Alterum enim ex plenitudine maieſtatis, & regis atque hominum liberorum, qui ſubſunt, contrariis notionibus proficiſcitur: alterum refertur ad Seniorem ac patronum. Iucunda ſunt, quæ de illa fidelitatis ſpecie deſcriptionis exempla, & iurisiurandi, attulit noſter. Hoc quidem vel ipſi regi vel miſſo cuidam ex Leudibus præſtitum, unde Marculfus Leudenſemium vocat. Utramque formam Bulucius habet latinis, Bolquetus litteris ſuis reddidit. Sed neceſſe inprimis eſt, quæ ad fidem particularem ſeniori a Vaſſo præſtandam ſpectant, commemorare. Moris quidem apud omnes populos quovis tempore, ut infirmiores potentibus, locupletibus pauperes, commendarent ſe ſuaque. Maxime tamen apud Gallos & Germanos ab initio regni ea tenuit conſuetudo ſub primæ ſecundæque ſtirpis regibus adeo frequens, ut legis fere formam generalis indueret. Plerique ſibi feudorum origines illic deprehendere viſi ſunt, quantumvis horum diverſa natura. Egregium commendationis exemplum eſt, quod S. Germerium venerabundus præbuit Clodovæus, cum, capitis ſui capillo oblato, filium ſeſe ſpiritualem epiſcopi profiteretur. Cuius rei exempla compluria ſuggerunt Francorum hiſtoriæ, & formulam ſervavit Marculfus Lib. I. n. 13. a celeberrimo Bolqueto eruditiſſime illuſtratam. Ineſt feſtucæ memoria, cuius, & vocabuli leuſeuverpere, apud antiquos vim & intellexit noſter, & qui apud nos de iurisprudentia ſymbolica commentati ſunt, explicaverunt. Illius vero imaginariæ donationis, ut eam recte habet Bolquetus, hæc fuit cauſſa, uti liberi hominis patrimonium ſub regis peculiari tutela eſſet, & hunc ille iudicem haberet proximum, ceu ſeniorem. Proprietatem noſter negat reapſe imminutam, cum verba concepta pleniſſimam diſponendi de bonis ſuis libertatem mortis cauſſa contineant. In eo quidem Marculfi exemplo, quod primum & viceſimum eſt, & viri illuſtris patrocinium tractat, præter duo a Bolqueto notata fidei genera, regis etiam ius confirmandi has clientelas apparet. Actum enim de poteſtate per procurato-

rem

rem agendi, Bignonus ſine auctore ſtatuit, cum maximum ſit in ea re Romani Francicique iuris diſcrimen, & omnes hoc, præter eccleſiaſticos, uterentur. Pauca hic de procuratoribus diſputata, quæ ab Hoſmanni noſtri opinione, qui rem ex inſtituto tractavit, non diſcrepant. Atqui etiam in ea re pontifices ex iure Romano hauſiſſe, & derogaſſe ſenſim maiorum conſuetudinibus, cernas. Formulam omnem ſequentibus comparavit vir celeberrimus, & argumento triceſimæ inprimis ſecundæ Bignonum ſecum ipſo contendit. Cum enim chartularius, ſive in Eccleſia manumiſſus, iure concilii tertii Pariſienſis, & Ripuariæ legis, eandem eccleſiam patronam haberet, uti recte obſervavit Bignonus; cum porro, qui coram rege liberati fuerant, deneriales, regem ipſum patronum & protectorem nanciſcerentur; manumiſſi denique per epiſtolam ſic, ut nullum obſequium retineret manumiſſor, regis patrocinium expeterent aut eccleſiæ, & occiſorum poena patrono, ſi autem defenſor deeſſet, regi nihilo minus ſolveretur: qui, quæſumus, harum rerum interpres Bignonus aliam omnem cauſſam in formula ſuperiori inveniat, & quidni ſemper de commendato locutus eſſe præſumatur Marculfus propterea quoque, quod eius conſuetudinis frequentiſſima eſt mentio in capitularibus Imperatorum, eædemque ubivis poſitiones? Igitur neceſſitas interceſſit Seniorem & commendatum, nec mutuum illud vinculum rumpi potuit, niſi cauſſa legitima accedente, v. g. ſi patronus inſidias ſtruxerit vitæ clientis, aut baculo eum cædere, vel uxorem aut filiam maculare, ſeu hereditatem ei tollere, temerario auſu voluerit. (Videtur tamen iuris antiquioris, ut libere Senior mutaretur, quo caſu, ſi aliam ſedem elegiſſet cliens, priſtinæ poſſeſſionis dominium & poteſtas ad priorem Seniorem reverſa.) Denique, ut cauſſæ collectio fiat, ſtare in iudicio Senioris, domicilium habere in eius agro, eiusdemque ſigna ſequi in bello tam publico quam privato, tenebatur cliens: patronus autem hunc cum re ſua defendere, tueri, vindicare occiſum. Nec tamen hanc veram exiſtimamus donationis imaginariæ cauſſam, uti Bolquetus, quam potius effeciſſe credimus, ut, ſi clienti heres non eſſet, patronus in

P eius

Digitized by Google

eius bona ſuccederet. Ex quibus omnibus apparet, beneficio quidem, ut quis Vaſſus conſtitueretur, non opus fuiſſe apud Francos; & recte exiſtimare, qui vocem a Cambrico verbo Guvas, famulum ſignificante, derivent. At etiam cenſum ſpondebant, aut annuam præſtationem Vaſſi: cuius rei illuſtre exemplum habetur Ducis Britonum in Caroli Calvi hiſtoriis. Sangallenſis vero vaſallum epiſcopi memorat, non ignobilem civium ſuorum, valde ſtrenuum & induſtrium, cui tamen hic, ne unum quidem aliquando blandum ſermonem, nedum beneficii quid, impenderit. Sub regibus Capetingis innotuit vox *aveu*, propterea ſine dubio, quod penſitatio quædam locum habebat, in recognitionem contractus. Veriſimile autem non eſſe, hominem locupletem tot Vaſſos beneficiis ſuis ornaſſe, quot opes eius mirum in modum diminuiſſent, recte vidit Cantorius Faber, qui tamen idem quam maxime fallitur, ubi in hiſtoria Taſſilonis, Baiuvariorum Ducis, Pippino regi ſe commendantis, iusiurandum fidelitatis explicat, quod civis quiſpiam ad honores evectus præſtitiſſet. At vero ſi beneficiarii iuris veſtigium eſſet, non regi, ut factum, Baiuvarii, ſed Taſſiloni fidem iuraſſent; ſi nihil, niſi fidelitatis & ſubiectionis, Vaſſatici mentio apud Aimonium non foret. Neque tum ordo ſingularis Vaſſorum, cum quisque Seniorem quemvis eligeret: neque ſubiectionis formula, cum rex Hiſpanis in ſuam poteſtatem redactis comitem ſeniorem optare permitteret: neque militia voluntaria, quando Seniores multi nullo iure armorum gaudebant: neque iisdem de cauſſis pro breviario regni Vaſſaticum haberi poteſt, in quo nomina civium ſubiectorum fuerint conſignata. Nihil effectum, niſi ut Vaſſus cum re familiaque ſua a domino defenderetur. Quæ cum ita ſint, & qui hodierna beneficia ab illis temporibus repetunt, in errore eſſe deprehenduntur; & celeberrimi Monteſcuſii ſententia corruit, originem nobilitatis, & fictas ſe ſuaque commendandi in feudum prærogativas, ſuper eius ætatis hiſtoria comminiſcentis. Quod enim de dignitate fidelium ſtatuit, nihil eſt; cum omnes liberi fidelium nomine compellati ſunt. Feudi autem vocabulo plane abutitur, cum patrimonia

monia feudi naturam ob commendationis formulam induiſſe nemini perſuaſerit. Igitur nec ſolos ingenuos, pro diverſa temporum conditione, horum iurium participes factos, dicendum. Eſt enim hæc argumentorum inopia, ut eo modo univerſis ac ſingulis nobilitatem tribuas, ſi omnes fruiti illis fictis prærogativis ſint. Etiam coloni & ſervi beneficia habuerunt. Digniſſimum memoratu Pipini iudicium. Vaſſus quidam, relicta uxore, & poſterioris domini beneficio, ad heredes mortui Senioris reverſus, ſecundas nuptias celebraverat. Hæ iuſtæ ſunt iudicatæ, manifeſto indicio, Vaſſalaticum iura nobilitatis non tribuiſſe, cum nuptiæ ſubſiſterent cum colona. Ita recte rationes ſubduxit Bolquetus. Simul inde elucere videtur, fidem præcipue perſonis, non prædio obligatam fuiſſe, quando quis ſe ſuaque commendabat. Denique quod aiunt libero homini ius fuiſſe, adſtringendi fidem feudalem, antequam commendationes generali lege permitterentur; neque alia ratione quam feudi, poteſtatem Comitis aut cuiuscunque Senioris agnitam: illud plane alienum habet Bolquetus ab antiquis illis conſuetudinibus. Nec opus commendatione ulla, ſi beneficio contigiſſet prædium dominicis nunquam rationibus ſubducendum. Vindictæ quidem & iudiciorum celeritatem Vasſis, cum tutela perpetua, expectandam præſtitiſſe tantum proprietate, ut illa ſe voluntarii abdicarent Vaſalli, nobis non probabilius eſt, quam Bolqueto. Quotus enim quisque dominio cedat, ut maius commodum habeat ſuus heres, quando ipſe forte ſit interfectus? Aut quotus quisque tam ſtultus ſit, ut iuris citius perſequendi potentiam dominio emat ſuorum bonorum. Nec adeo neceſſaria patroni tutela ſub Carolingis, quibus ſane regnantibus maxime viguit lex vindicandi occiſi, donec certaminibus ſingularibus tantum non penitus exolevit. Quid vero? frequentisſima prohibitio capitularibus facta, ne beneficiorum indoles mutaretur, eaque patrimonii haberentur loco; cuius generis leges ad calcem operis videas. Beneficia vero cenſu etiam & annuis penſitationibus onerata, quæ ſane durior eſt conditio, quam ut optes præ meliore, nulla necesſitate urgente. Sed eheu!

 durius

durius iuſto Monteſcuſio viſum, donaſſe domino bona beneficiarium, dominum beneficii lege reddidiſſe, aut uſusfructus, eique a Vaſallo heredes nominatos. Rem ſane, ſi veram æſtimes, inextricabilem, cuius nec Oedipus cauſſam divinet. Hinc factum, ut nobilitatis origines quæreret Monteſcuſius, quæ tam inauditæ liberalitati præverti poſſent. Quid vero? ſi iſta omnia ficta ſimulataque fuerunt, uti multis antea argumentis evicimus? Una illa & vera omnis ſollemnitatis, omniumque formularum commendandi ratio, litteris publicis de anno 496. continetur, ubi commendationis factæ memoria eſt, ut ſub emunitate & mundiburdio Clodovæi & ſucceſſorum regum maneret cliens. Nullam autem, niſi regiæ gentis nobilitatem; ceterorum dignitatem inhæſiſſe perſonis, recte celeberrimus Bolquetus exiſtimat, & libro de Statu ingenuorum & ſervorum fuſius demonſtrabit. Sed nos hic calamum ponimus, reliquam libri docti & elegantis partem propediem recenſituri: fatemur enim, rarius e Gallia ad nos, libros, huic ſimiles, venire; quos igitur, ſi venerint, æquum eſt Lectoribus noſtris ita commendare, ut quaſi totos pervideant.

HYGIENE DOGMATICO-PRACTICA, RATIONEM conſervandae ſanitatis corporis humani, cum variis artis medicae ſupplementis, ita exponens, ut lectoribus quibusvis utiliter inſervire queat.

Francof. & Lipſiæ 1757. Alph. 2. plag. 11. in 4.

Liber hic, cui præfigere nomen ſuum non placuit Auctori, quamquam neque nova, neque recondita artis ſalutaris dogmata promittit, non tamen prorſus indignus a nobis iudicatus eſt, quem lectoribus noſtris notum faceremus. Auctor enim, qui in præfatione operis dicitur vir celeberrimus, non ſolum litteratis hominibus, qui valetudine ſecunda conſtanti frui, ſenectutemque adipiſci cupiunt, ſed ipſis quoque medicis iunioribus utilia & præcipua artis præcepta, ex probatiſſimis ſcriptoribus practicis, HIPPOCRATE ſcilicet,

GALE-

Digitized by Google

GALENO, CELSO, HOFMANNO, BOERHAAVIO &c. collecta, facili apertoque ſermone enarravit. Præmiſit Phyſiologiæ Epitomen, in qua ſexus diſcriminis rationem nullam habitam eſſe miramur. Poſtea de vita, ſanitate, morbo, & morte expoſuit. Deinde rerum non naturalium uſum rectum docuit, ita, ut ſingula earum genera, non curſim, ſed ſenſim, ſatis dilucide explicaret, omnium tamen luculentiſſime de variis potulentorum generibus, de vino, cereviſia, potu Theæ, Coffeæ, Succoladæ, nec non de uſu & abuſu herbæ Nicotianæ, utilia quæque undique congeſta traderet, & plerumque ipſiſſima Auctorum excitatorum loca exſcripta daret: ubi quidem optandum eſſet, ut ipſa hæc transſcripta loca, non libros ſolum univerſim, indicare Auctori placuiſſet. Nec perfunctorie de variis remediorum, conſilio prophylactico adhiberi ſolitorum, generibus, de ſanguinis miſſione, ſcarificationibus, fonticulis, veſicatoriis, applicandis hirudinibus, balneis, thermis, & aquis mineralibus tractavit, ſubinde etiam cautiones non ubivis obvias adiunxit. Pharmaca quoque prophylaxi idonea cum lectore communicavit, optima profecto & tutiſſima, ſi ab uno illo receſſeris, quod mercurium ſublimatum dulcem, & tartarum vitriolatum, continet. Non enim principia chemica ſolummodo diſſuadent præparatorum mercurialium connubium cum ſalinis, ſed experientia quoque ſatis ſuperque teſtatur, non abſque metu damni mercurialibus medicamentis iungi ſalina. Coronidis loco adiecta eſt doctrina de tuta ratione ſenectutem adipiſcendi, quam *Gereologiam* vocavit Auctor. Totum opus hominem egregie doctum, atque Artis medicæ ex fontibus ipſis peritum, prodit: ut adeo miremur, reticuiſſe Auctorem nomen ſuum, quod fere illorum eſt, qui, vel quæ ipſi non intelligunt ſcribunt; vel tenuitatis ſuæ conſcientia adducti, qui ſint, prudenter atque ultro celant. Ceterum, & hoc addimus, utiliter inſervire poſſe Librum hunc iis omnibus, qui in locis, ubi medicorum frequentia non eſt, vitam degunt, quo fere pertinent qui in monaſteriis, ab oppidis paulo remotioribus, pietatis exercitia profitentur.

Digitized by Google

APPARATUS AD NOVAM L. COELII FIRMIANI Lactantii Operum editionem, una cum Praefatione generali, & duabus Diſſertationibus praeviis in Specimen ceterarum.

Romæ 1751. apud Venantium Monaldinum, Bibliopolam in via curſus, plag. 13. 4 mai.

Specimen *Lactantii* offertur denuo edendi, unde ratio iudicari operæ præſtandæ debet. Auctor eſt, ut patet ex Dedicatione, Frater *Eduardus a S. Xaverio*, Provinciæ Romanæ Sacerdos Profeſſus, & S. Theologiæ Exlector. Duæ ſunt Diſſertationes, adiecta operis totius Præfatione. Poſt *Dedicationem* ad Congregationem Firmanam, ſequitur *Antelo-*
Pag. 1. *quium in futuram editionem.* Novellus editor demonſtrat primo, & quidem ex titulo libri, *Lactantii* opera *omnia*, una cum *omnium* notis, diligenter excerptis, opportune auctis, & moderate caſtigatis, uno Volumine comprehendi. Deinceps, ne quis dubitet, oſtendit, ſe eſſe *hominem*, ſed vix notum ſibi, quamvis quadraginta annis ſibi familiariter uſum. Quis crederet? Pergit ad cauſſas editionis. Præcipua eſt, quod *Lactantius* in deliciis ei fuit, ſuper quo ſpiſſam farraginem ac denſam notarum ſilvam, parum inter ſe cohærentem, conſtipavit. Addit aliam cauſſam: ut contra Heterodoxos multos inſurgere, & eorum depravationes ac fraudes
3. detegere poſſit. Hoc ut perficeret, confugiſſe ſcribit ad Codicis Bononienſis lectiones variantes, quas *Ioſephus Iſaeus*, *Thomaſius*que, non tamen inſpectas, laudaſſent. Nolite, lectores, credere, ac ſi ipſe Frater *Eduardus a S. Xaverio* Bononienſem hunc Codicem inſpexiſſet. Abſit hoc: nam ſic iter faciendum fuiſſet Carmelitæ diſcalceato. Sed potius *Monſacrati*, Lucenſis Abbas, Varias Lectiones huius Codicis editioni *Iſaeanae* adiecit; quam induſtriam Noſter auro gemmisque
5. habet cariorem, & credit bona fide cum matre Eccleſia. Uſum etiam ſe ait editionibus *Montefalconii*, *Allatii*, *Nic. Nourry*, & *Bunemanni*: item annotationibus anecdotis *Fulvii Urſini*, *Andr. Schotti*, *Angeli Rocchae*, *Antonii Raudenſis*; quas unde acce-

acceperit omnes, non indicavit. Sed cur hoc? Excuſat quoque ſe humillime, quod ſcriptoribus nonnunquam uſus eſt heterodoxis, a Romana ſuperſtitione alienis; & fidem dat ſuis, propterea nec pietati nec religioni timendum eſſe. Præterea, non criticis tantum vocabulorum obſervationibus fuit contentus, ſed, o enormem ſapientiam! in omnes ſcribendi materias, quas totus terrarum orbis ſuppeditat, involare, easque in diſſertationibus, paullo poſt adducendis, effundere, & tandem Summi Numinis ope, omnes voluit editores ſuperare. Hic tantus theſaurus, iam per quatuor inde annos prælo paratus, prodire tamen non potuit. Nam expectanda fuerat, Pag. 8.
ſuaſu Cardinalis *Paſſionei*, editio quædam Veneta *Franciſci Mariae Leonis* Veronenſis, in quatuor Tomos forma maiore diſtribuenda. At o fruſtranea erat expectatio, evaneſcente conſilio Veronenſis. Poſtea prodiit editio *Nicol. Lenglet du Freſnoy*, quæ ferebatur omnium optima. Cui vero quamvis nihil detractum cupit editori *Eduardus a S. Xaverio*, affirmat tamen, hanc ſuam editionem & cumulatiorem fore, & ad uſum expeditum longe magis accommodatam. Nam in iſta *Freſnoyana* non *omnes* Lectiones Variantes, non *omnes omnium* Notas, deprehendi; quæ in hac nova Editione adiiciendæ, & inſuper augendæ ſint caſtigationibus notarum *Servatii Gallaei*, & *Proteſtantium* omnium, (ut ait,) *Remonſtrantium*, ac *Reformatorum*. Hæc ſunt quæ in Præfatione pompoſius deduxit promiſſor *a S. Xaverio*.

Poſt generalem Præfationem, & antequam Prooemium 12-16.
exponatur ſpeciale, adducitur *Synopſis Diſſertationum*, ad novam *Lactantii* editionem præviarum. Prodire debent Diſſertationes omnino quadraginta. Harum titulos non deſcribemus, quum aliæ exponant argumenta non quidem aliena; aliæ autem vel abeſſe, vel certe non ita fuſe afferri debebant, quippe nimium de longinquo arceſſitæ. Referuntur huc, quæ *Diſſ. II.* de conſanguineis *Lactantii; Diſſ. VIII.* de prima origine Arianæ hæreſeos; *Diſſ. IX. & X.* de iisdem Arianis; *Diſſ. XXIV-XXVII.* de pnevmatologia, & evidentia phyſica, qua homo agnoſcit Deum eſſe; *Diſſ. XXX.*

de

de vera Chriſti eccleſia, eiusdemque veris & invariabilibus notis; *Diſſ. XXXII.* de martyrum multitudine, cultu, gloria, habentur. Nam, ſi hoc modo ad veterem ſcriptorem omnis Theologia, omnis philoſophia, polemica, hiſtoria, adiicitur, facile poſſunt magna Volumina ſcribi, & literarius orbis contagio immedicabili inundari. Sunt quidem aliæ Diſſertationes, quæ *Lactantii* nomen, patriam, ſtudia, libros, ſtilum, elogia librorum, nec non cenſuras, eruditionem varii generis, errores *Lactantii*, Codices MSS. & editiones illius, exhibent: hæc tamen omnia, ſi tam fuſe, tamque prolixe, ſi ſtilo editoris, & ingenio magis ad ſyſtema philoſophicum ſcribendum, quam ad edendum ſcriptorem veterem idoneo, afferuntur, fiunt putida & gratiam amittunt.

Pag. 17-20. Sequitur *Prooemium ſpeciale,* in quo ſuſcepti operis oſtenditur ratio, & eius neceſſitas philoſophice demonſtratur. Incipit a fortuna Priami cantare *a S. Xaverio.* Ait, intereſſe, de auctore libri cuiusdam notitiam habere, qua ſi quis careat, accidere ut Leam pro Rahele, nubem pro Iunone, (hem quale ingenium!) amplectatur. Provocat ad experientiam, & magno ſtrepitu evincit, ſcriptorum nomina celebriorum, vitam, patriam, libros noſſe, *laudabilem* (ſic ſcribit) *adinventionem haberi.* Hæc omnia fuſe, & more declamatorio perſequitur. Hæc applicat ad præſens inſtitutum, & concludit capitali ratiocinio: Ergo laudatione digniſſima res eſt, ſi de *Lactantii* nominibus, patria, ætate, quamplurimæ diſſertationes ſcribuntur, antequam Textus *Lactantii,* & ſuper eo Annotationes Caſtigationesque ſiſtuntur. Καλῶς καὶ σοφῶς! —

20-30. Iam ſe ordine excipiunt *Diſſertationes binae.* Harum *prior*
30-91. de *Lactantii* denominationibus, paragraphis 12: *poſterior* de eiusdem patria, parentibus, conſanguineis, paragraphis 46. exponit.

In *prima Diſſertatione;* quæ de nominibus agit *Lactantii,* narratur, in MSS. Codicibus *Lactantium* πολυώνυμον inveniri, nominarique *Marcum, Tullium, Arnobium;* item *Lycium, Caecilium, Lactentium, Lactanum, Fromianum, Lucanum.* Si nominati fuiſſent Codices a Fratre *a S. Xaverio,* iudicari forte

ſorte de eorum præſtantia potuiſſet. Ita vero errores librariorum rapi potuerunt in diverſitatem lectionis antiquæ. Poſt adductas Patrum paucorum auctoritates, pergit, recen- Pag. 21.
tiores in nominibus quidem *Lactantii* & *Firmiani*, ſed non in reliquis illius nominibus, convenire. Nam a *Baluzio* eum *L. Caecilium*, a *Nurrio* autem *L. Caelium* nominari, a *Pfaffio* nunquam *Lucium*, nec *Coelium* aut *Caecilium*, ſed unice *Firmianum Lactantium* appellatum fuiſſe. Novus editor, regula uſus, qua & numero pluribus & ætate antiquioribus ſtandum ſit, ſuum ſcriptorem LVCIVM COELIVM FIRMIA- 23.
NVM LACTANTIVM nominavit. Quamvis enim in vetuſtis Codicibus plerumque duo duntaxat habeantur cognomina, *Lactantii Firmiani;* tamen in fine eorum, prænomen *Lucius* & nomen *Coelius* ſæpe adiectum eſſe, quod etiam *Nurry* teſtetur *Diſſ. III. in Lactant. Cap. I. §. 2.* Quod autem in aliis Codicibus *Coelius*, in aliis *Caecilius* legatur, mirum non eſſe cogitanti id, quod *Walchius* & *Bunemannus ad Lactantium* docuerunt, nempe, hæc nomina duo facile inter ſe permutari. His præmiſſis inquirit Noſter in ſingulas denominationes. I.) Prænomen LVCII, ex *Feſto* obſervat, iis impoſitum fuiſſe, 25.
qui primo mane in lucem prodierant ex matris utero. Sed non raro etiam a proavis ad nepotes deſcendiſſe; Firmanis potiſſimum civibus, ac ſpeciatim *genti Coeliae* fuiſſe uſitatum, ut apud *Pighium* in *Annalibus Romanis* reperitur. II.) COELII nomen familiæ eſſe, cuius origo a *Coelio Vivenna*, *Romuli* contra Sabinos pugnantis ſocio, ducatur. Cognomina huius familiæ *Caldi, Rufi, Sabini, Viciniani, Lactantii* fuiſſe. III.) 26.
FIRMIANVS, ſive, ut *Sophronius* putat, *Firmilianus*, ut alii Codices *Firmanus*, cognomen eſſe a patria *Firmo*, ſeu potius *Firmio*, colonia Romanorum in agro Piceno, deductum. Ea occaſione diſſeritur de more Romanorum, imponendi cognomina ex gente aut provincia armis ſubacta; quæ tamen huc non pertinent. Denique IV.) num LACTANTIVS ſit agno- 28.
men aut cognomen ſecundum, exiſtimat non liquere. Plerique cognomen putant, *ex lacteo dicendi flumine* ei impoſitum. Sed negat Celeberr. *Walchius;* qui nullam inter *Lactantium*

& *eloquentiam lacteam* analogiam deprehendit, nomenque eſſe familiæ ſtatuit. Noſter *Eduardus a S. Xaverio* credit, neminem hoc cognomento donatum fuiſſe ante *Lactantium* hunc. Itaque contendit, *Lactantium* eſſe ſecundum cognomen *Firmiani*, non tantum ab eloquentia, quantum a dicendi facilitate petitum. Id in hunc modum evincit. Qui facile, ait, ſua ſenſa inſinuant in animos aliorum, *lactantium* inſtar *mulierum* ſive nutricum auditores ſuos alunt, qui inde ab iſtorum ore pendere dicuntur, tanquam parvuli a *lactantium* uberibus. Sed hæc non ſufficiunt ad analogiam accuratam.

Pag. 30-91. *Diſſertatio ſecunda* de *L. Coelii Firmiani Lactantii* patria, parentibus, & conſanguineis exponit. In hac Diſſertatione videmus Noſtrum vel hirundine loquentiorem. Fuit enim in eo, ut *Balutio*, *Ioh. Alberto Fabricio*, & Celeberrimo *Heumanno* contradiceret, negantibus, *Lactantium* a *Firmo*, agri Piceni in Italia oppido, nominari *Firmianum*; ſed eum fuiſſe Africanum, & Siccæ in Numidia primos ætatis annos tranſegiſſe. Inprimis autem adverſus *Heumannum* inſurrexit, data opera affirmantem id, quod S. Rever. *Walchius* negaverat propter ſtilum *Lactantii*, eum Afrum eſſe. Hæc quidem omnia quamvis duabus aut tribus abſolvi paginis, ac multa nihilominus utilia potuiſſent & bona afferri: eiusmodi tamen docta non placuit brevitas Proluſori noſtro, ſed ampliſſimam orſus diſceptationem, contendit operoſe, *Heumanni* opinionem *quatuor* inniti *fundamentis*, quæ in ſequentibus garrulitate non imitanda vult diruere. Res eo redit. *Lactantius* natio-
32. ne Afer *Heumanno* exiſtimatur: *primo*, quia in iuventute Siccæ in Numidia *Arnobium* audivit rhetorem Africanum; *ſecundo*, quia iisdem in ſcholis Africæ admodum adoleſcens *Sympoſium* ſcripſit; *tertio*, quia Hodoeporicon Africæ compoſuit hexametris verſibus; *quarto*, quia a *Firmo* dicendus *Firmanus*, non autem *Firmianus* fuiſſet. Igitur Argus noſter *a S. Xaverio* clamat, ſe *primum* diruere fundamentum *ſolo intuitu ſanae mentis*, nam patriam non eſſe ſtatim, ubi opera literarum ſtudiis detur. *Secundo* in fundamento magis hæret. Quid igitur? Neceſſe itaque erat, ut emendator *Lactantii*

Hiero-

Digitized by Google

Hieronymi torqueret locum *libr. de Scriptorib. Eccleſ. c. 79.* & ingenioſam rideret doctiſſimi *Heumanni* coniecturam, qui in *Prologo Sympoſii* legerat: Pag. 38.

Sic me Sicca docet, Sicca deliro magiſtra;

pro: *Sic me Sexte doces, ſic te deliro magiſtro.* Quin eo usque progreditur, ut ſibi ipſe contradicat, dum neſcire ſe ait, an cum *Lactantii* adoleſcentia componi poſſit *Arnobii* magiſterium; quamvis non uno in loco adduxerat *Hieronymum*, qui *Arnobium* ſcripſit Siccæ rhetoricam docuiſſe, *Lactantium*que inter diſcipulos eius recenſuit. *Tertium* aggreditur fundamentum Editor futurus. Non ſequi, *Lactantium* eſſe Africanum, quia *Hodoeporicon* ſcripſit *Africae* hexametris verſibus: fuiſſe enim multos Romanos, qui ante & poſt tempora *Lactantii* bella geſſiſſent contra Afros, quos inter etiam *Firmanos* militaſſe cives conſtet. Itaque περιέργως profert monumenta, numos, lapides, in quibus mentio fit Firmanorum; unde colligere audet, *Lactantii* proavos in Africa & Italia claruiſſe. Deinceps excurſu facto copioſiſſimo longiſſimoque, diſſerit de rebus alienis, quæ huc non pertinent: de denario *Caedicii;* de *Firmo,* a Poenis bello Punico primo capto; de fortitudine *Firmanorum* contra Afros, ſub *Catone* maiore; de palatio *Pompeii* M. in civitate Firmana, & Numis eius, Firmanorum in gratiam cuſis, cuiusmodi aliquem ex Theſauro *Morelliano* profert, eruditionem ſtupendam prodens. Fingit etiam Inſcriptiones, quas in Schedis ſervat ſuis. Nam pro L. VOLGATIO Q. F. ſine mora legit FIRMI. VOLGATIO. Q. F. Alias Inſcriptiones ex *Muratorio* depromit, quæ antiquam illam & primam veritatem, etiam *Firmo* homines natos eſſe, doceant; de quo ſingulari plane caſu, niſi *a S. Xaverio* confirmaſſet, dubitare omnes potuiſſent. Reliqua, quæ ſequuntur, ita confuſa ſunt, ita perplexa, ut nemo ſine angore in hoc labyrintho verſetur. Tandem denique de Picentibus quæ admiſcuit, e quibus *gentem Coeliam,* unde *Lactantius* ſit ortus, commemoravit, ea igitur, poſt tot anfractus, produnt quid Auctor velit. *M. Coelius,* ait, (*Cicerone* teſte in Oratione pro eodem,) fuit contubernalis *Q. Pompeii* in Africa: quemad-

35. & 40. 42-62. 52. 54. 62.

 modum

modum ergo *M. Coelius*, filius Romani civis, ſe in Africam
contulit cum *Pompeio*, ita contingere potuit eodem modo, ut
Lactantius in has terras traiiceret, ſive ut *Arnobium* audiret,
ſive ut perſequutionem *Diocletianam* declinaret. O pulchre
& ſapienter! o ſapientiam, dignam foliis quæ Sibyllæ inſcri-
Pag. 62-78. batur! Ultimo, *quartum* fundamentum ſummi *Fabricii* &
Heumanni, qui *Lactantium* a Firmo *Firmanum*, non autem
Firmianum contendunt appellandum fuiſſe, ſubruit. Provo-
cat ad Lexicographos, qui urbem, quæ olim Pici regia fuit
prope Firmanorum Caſtellum, *Firmium* & *Firmum*, item
Firmo Picenum vocant. *Voſſium*, qui *lib. 2. de Hiſtor. Latin.
cap. 7.* male ſcribi Φίρμιον pro Φίρμον dixerat, confutat ex
Ioh. Iac. Hofmanni Lexico Univerſ. voce *Firmium*. Ex *Gru-
teri*, *Mazochii*, *Fabretti*, *Maranconii* Inſcriptionibus profert,
65. viris ac feminis cognomentum hæſiſſe a patria *Firmio*; &
propterea acutiſſimo *Heumanno* obiicit incautum & impuden-
66. tem loquendi modum; *Walchium* ait longe ſaniora ſcribere
in *Diatribe de Lactantio cap. 2.* nec aliud *Heumanno* ſupereſſe
72. præter palinodiam. Romanos, pergit *a S. Xaverio*, vocat
noſtros, *Lactantius*, multis in locis, manſuetudinis & humani-
tatis gloriam iis vindicans. Orat & obteſtatur *Heumannum*,
63. quomodo id dici poſſit de Africanis? Denique pondus ſum-
mum addunt, & litem dirimunt, quæ ſequuntur. Scilicet
αὐτὸς ἔφα. Ille *αὐτὸς* eſt honoratiſſimus Patruus noſtri *a
S. Xaverio*, nobis quidem ignotus, & cuius pronuntiatum
nullo ſcriptore munitum eſt. Adducamus tamen. *Heic me-
miniſſe iuvat, me a Patruo meo, (quem, loco amiſſi in pueritia
Parentis, altorem, educatorem, praeceptoremque habuiſſe me,
D. O. M. gratias plurimas reddo, & heic grati animi cauſſa
laudo,) audiviſſe,* Lactantium *in Bythinia primum* Firmiani *no-
men a patria induiſſe, quum illuc ab Imperatore Diocletiano ad
oratorias literas docendas accitus fuit. Quemadmodum enim
Diocletiano placuit, ſibi nomen a patria ſua Dioclea ſumere:
ſic Lactantio a natali urbe cognomen indidit, ut Graecis morem
gerere videretur, quibus conſuetudo erat, apud ſe agentes appel-
lativo potius, quam proprio nomine, appellare.* Quis plura de-
ſideraverit argumenta?

Feſſi

Digitized by Google

Feſſi ſumus legendo, nec reſtat niſi pauca dici. In ſequentibus de *gente Coelia* agit, inter præcipuas Romanorum eminente. Inprimis de *C. Coelio Caldo* pertractat, Conſule Romano, cuius Numum appoſuit ex *Begero:* tum alios *Coelios* recenſet. Inde evincit, *Lactantii* parentes non ex ordine plebeio, (quod *Walchius* voluit,) originem ducere: neque enim ex paupertate *Lactantii* poſſe colligi infimam ſortem familiæ, ſed poſſe etiam vitæ probitatem cauſſam paupertatis fuiſſe. Frater *Lactantii Pentadius* vocatur, cui, eam poſcenti, *Epitomen* ſcripſerit *Inſtitutionum divinarum.* Et quamvis *Daviſius* credit, *fratris* nomen eo tempore Chriſtianorum commune fuiſſe, tamen *Lactantius*, nec *Donato*, nec *Demetriano*, quibus libellos dedicavit, *fratris* dediſſe titulum, quamvis & ipſos conſtet fuiſſe Chriſtianos, legitur. Collegit locos, ubi mentio fit *Pentadiorum.* Ethniciſne *Lactantius*, an prognatus fuerit parentibus Chriſtianis, idoneis teſtimoniis caret; nec *Auguſtinus* comprobare potuit.

Pag. 81. — 87. fin.

Sed expectabunt ſine dubio lectores *Specimen* aliquod *textus Lactantiani;* & iure expectabunt, ut iudicium ferant de ipſo opere. Sed ſciant omnes, adeſſe Specimen nullum. Eius loco Monitum tenacis bibliopolæ, de multitudine Exemplarium, adiectum eſt. Vultis ſententiam noſtram de hac editione futura? Dabimus. Parum creſcet eruditio: parum ſplendoris *Lactantius* capiet: nec veremur, ut iſta *Bunemanianam* noſtram loco, quem huc usque obtinuit, moveat. Impegit etiam editor futurus multa gravia in Orthographiam, præcipue quoad nomina propria. Scribit *rethor* pro *rhetor: Chratipus* pro *Cratippus.* Quis ille *Quinſtedſius* ſit *pag. 32.* ignoramus. *Chriſtian Ioger* in ſuo Lexico, eſt *Chriſtianus Gottlieb Ioecher*, Vir. cel. Doctor Theologus, & hiſtoriarum in hac noſtra Academia Profeſſor. *Raineſius* ſcriptum eſt, pro *Reineſius*, & ita porro. Sunt plures exteri, qui nomina Germanorum corrumpunt ex malitia, aut faſtu inepto: ſæpe etiam, ut plus aliis ſapere videantur, in latinum contorquent; quod plerumque, ut vix agnoſcas quem velint, efficit. Quæſumus, ſi quis Noſtratium, *Fratrem Eduardum a S. Xaverio*

 ſcribe-

Digitized by Google

ſcriberet *Fratrem Ebſardum a S. Pfafferio*, nomine Sanctus ille & innocens Frater moveret riſum inter Carmelitas diſcalceatos? Sed manum de Tabula.

TENTAMEN PHILOLOGICO ANTIQUARIUM, quo Nomina propria & Cognomina veterum Septentrionalium, monumentorum antiquorum, inprimis Islandicorum, ope, leviter illuſtrantur per IOHANNEM ERICI, Isl.

Havniæ 1753. apud Frid. Chriſt. Pelt, plag. 8. fol. 2. in 8.

Curioſus eſt valde, & expolitus pumice libellus hic, in quo Nomina propria, Cognominaque Septentrionalium veterum, præcipue ex libris, commentariis, onomaſticiſque illuſtrantur *Islandicis*. Deſcribitur in *Capita duo*. *Prius* de *nominibus propriis* virorum & mulierum; *poſterius* de *cognominibus* ſeptentrionalium veterum, exponunt pulchre. In *Capite priori* eo redit Clariſſimi Auctoris mens. Non eſt certum, nomina primorum ſeptentrionis incolarum originis Hebrææ eſſe; quia neſcitur, quibus venerint e terris in oras has. Sunt quidem nonnulla eorum, ſono Hebraico: ſed in omnibus occurrunt linguis voces, alterius linguæ vocibus ſono ſimiles: atque ſic, vel ex Græcia, ſeptentrio ſua nomina accepiſſet. Quum ſine dubio, ex variis gentibus ac ditionibus, variisque temporibus, Septentrio colonos tulerit, hinc & nominum cognoſcitur non una varietas. Qualia autem fuerint illa nomina, nemo dicet. Ante tempora *Odini*, in Septentrione *gigantes* vixiſſe & *nani, Finni* etiam, traduntur: atque hinc quædam nomina arceſſenda. Pleraque nomina propria ſeptentrionalium *ſignificativa* fuerunt: alia, naturæ quorundam; alia, habitui corporis & indoli convenerunt. Mutata ſunt poſtea, & novis aucta, maxime poſt *Odini* adventum Aſiatici, qui non ſolum ſtatui politico & religioni aliam impoſuit faciem, ſed novam etiam dialectum ſeptentrionales docuit. Cl. Auctor id agit in hoc Tentamine eleganti, ut ſaltem & *generales* nomina imponendi modos afferat, & nec

omnes.

Digitized by Google

omnes. Plura deſiderantes remittit ad viros doctisſimos, *Verelium* & *Olaum Wormium*, ex quorum Operibus pariter, nec non duobus ex Catalogis MSCtis nominum in Islandia uſitatorum, *Oddi Oddaei* & *Iohannis Olavii*, varia & ipſe hauſit.

Nomina propria varie diſtinguuntur. Ratione *ſexus;* ſic aut *maſculina*, aut *feminina:* ratione *originis;* ſic vel *domeſtica* ſunt, vel *peregrina*. Quæ autem *Odinus* introduxit, illa & ipſa ad *domeſtica* pertinent. Denique ratione *temporis* ac *modi*, quo fuere impoſita. Per *modum nomina imponendi* intelliguntur rationes, ad quas veteres ſeptentrionales in hoc negotio ſpectarunt. Hæ ſi curatius evolvuntur, deprehenditur, nomina propria, (boni ut ominis eſſent,) tam a veri Numinis, quam a deorum nominibus religioneque, deducta fuiſſe. Huius generis ſunt nomina a voce *ve*, *god*, *rögn* derivata, ut *Velauga*, *Godbrandr*, *Rögnvallàr*. Huc pertinent nomina a *ſole & igne;* ab *Odino*, eiusque tam proprio quam honorariis nominibus, deducta: nomina a *Thoro*, *Freyo*, a feminis Aſiaticis, ab *Alfis*, minorumque gentium deabus, ſumta. Exempla ſunt: *Solrun*, *Logi*, *Audon*, *Steindor*, *Freyſtein*, *Gerdr*, *Finnalfr*. Alia nomina a defunctis fuerunt ducta, ſpeciatim a capitibus familiæ, a cognatis, amicis, benefactoribus, & aliis magni nominis viris. Apud *Helvaderum*, in *Praefat. ad Onomatol. Etymolog. Thorſtenus* filium vocavit *Ingemundum*, ob avum maternum: credidit, filium felicem fore propter hoc nomen. Sic *Knutus* Daniæ rex, *Gormonis*, qui illum educaverat, filio a ſe prognato dedit nomen. Conf. *Olai Trigguini Vita ed. Isl. lib. I. p. 71.* Porro, alia nomina arcesſita ab animalibus, avibus, reptilibus fuere; cuius ratio in robore latet & forma animalium. Sic ab urſo, *Biörn;* a lupo *Ulfr;* ab aquila, accipitre, *Orn*, *Haukr* dicti. Quum enim animalia ſingula veteres crediderunt cuſtodiæ deorum ſpeciali demandata eſſe, boni & hæc ominis cauſſa hominibus impoſuerunt. Singulis diis ſuos equos tribuit *Edda Mythol.* 14. Hinc equorum in ſacrificiis uſus, & equi pro diis culti. Igitur & ab his, ſicuti a capris, bobus, corvis, ſerpentibus, nomi-

nomina provenerunt. Inter nomina propria, rebus ab inanimatis ducta, eminent quæ a bellis & armis, a gladio, haſta, lorica, galea, clypeo ſumuntur; ut *Styr*, *Band*, *Her*, *Brandr*, *Thorbrand*, *Herbrand*, *Hialmarr*, *Skiölldr*, *Randver*, & quis enumeret omnia? Cauſſa fuit denominationis, quod veteres ſeptentrionales, in armis educati, armis magnopere delectabantur, & gloriam collocabant in exercitio hoc. Iidem Boreales, in nominibus imponendis, ſæpe ad animi indolem, ſæpe ad habitum corporis reſpexerunt. Id ſi ſemper feciſſent, maior priſcis ex monumentis prodiret utilitas, mores antiqui & ingenium melius cognoſcerentur. Apud *Verelium* eſt qui *Skapnartungr* vocatur, quia victus rationem habebat accuratam: eſt quæ *Totra* dicta, quod veſtes non niſi uſu detritas induebat: eſt cui *Snotra* nomen, quod moribus lepida, veſtibus elegans eſſet. Talia imponebantur, non infantibus, ut quorum indoles parum perſpicitur, ſed his qui ad maturiorem ætatem pervenerant. A naſcendi quoque circumſtantiis, ab eventibus vel nativitate prioribus, vel illam ſequutis, a progenie recens nata, proſtant nomina, rarius quidem deſumta hinc, tamen non plane nulla: ſiquidem puer in agro expoſitus, vocabatur *Urdaköttus*, in locis nempe ſalebroſis inventus. Aliis nomina dabantur rebus a phyſicis, metallis, lapidibus, montibus, elementis, meteoris. Nomen *Malmfridr* a *Malmr*, metallum; nomen *Steingrimr* a *Stein*, lapis; *Gnupr* a promontorio; *Hardr* a duro, deductum eſt. Evenit etiam, ut ex alio aliove caſu nomen proprium *augmentum* ceperit, ſenſimque coaluerit in unum cum priſtino. Horum alia vel *ſolennia*, ut quæ Principis intulit auctoritas; vel *minus ſolennia* ſunt nomina, quæ ſermoni vulgi originem debuerunt. Quædam illorum vel *perſonalia* ſunt, uni homini propria, ut nomen *Queldulfi* & *Halogii*; vel ſunt eiusmodi, ut ob rationem magis generalem ſint introducta. Exemplum affertur *Rauni* regis, cum *Bergdiſa* filia *Bergfinni* concumbentis; unde *Biornus* & *Alfus* ſuſcepti: *Alfum Bergfinnus* maternus educavit avus, unde is *Finnalfus* dictus; *Biornus* matrem ſequutus, *Iötunbiörn* appellatus eſt. Hæc ſufficiant addu-

adduxiſſe de variis modis nomina imponendi. Quæcunque autem rationes de nominibus *virorum* adductæ ſunt, valent etiam de illis *mulierum*. Hi modi nomina imponendi, etiam ad exteros ſunt translati. Neque enim eſt dubium ullum, quin expeditiones *Cimbrorum*, *Gothorum*, *Normannorum*, qui maximam Europæ partem inundarunt, multa veterum ſeptentrionalium nomina, in *Germaniam*, *Pannoniam*, *Hiſpaniam*, *Britanniam*, *Galliam* & *Italiam*, invexerint, de quibus legi poterunt *Holbergius*, *Goldaſtus*, & *Morhoſius*. Præcipue vero inter omnia exterorum nomina, maxime *Germanica* antiqua cum *Danicis* conveniunt. Hanc ſimilitudinem *Odini* migratio promovit, quem, ut *Danicam*, ita & *Germanicam* mutaſſe linguam, *Islandorum* teſtantur antiquitates.

Progredimur ad *Caput poſterius*, quod de *cognominibus* veterum ſeptentrionalium agit. Cognominum non una origo eſt. Eorum aliqua gentium ſuaſit ſuperſtitio. Credebant ſeptentrionales, qui *duobus* eſſent nominibus, eos fore feliciores longævioresque, nec devoveri per deos poſſe. Sed ut natura eſt arte prior, ita & cognomina deſumebantur a rationibus naturalibus. Quibus enim vel vitia, naturæ pariter aut morum, vel virtutes inhærebant; quibus item aliquid inſolentius accidebat, ut vel contemtui eſſent aliis, vel admirationi: inde cognomenta ferebant, ſeu honorifica, ſeu contumelioſa, aut ludicra. Antiquitas cognominum ipſam *Odini* ætatem ſuperat: ac virorum qui cognomina tulerunt, extant multi apud *Eddam*, *Saxonem*, *Snorronem Sturlonidam*, *Arngrimum Ionam* in *Specimine Islandico*, & reliquos. Claſſis cognominum alia *vulgarium* eſt, qualia plurima ſunt: alia *ſolennium*, honoris cauſſa datorum. Solenne tulit cognomen *Thorleifus* Islandus, a *Suenone* Danorum rege, ob carmen famoſum de *Haquino* Norvegiæ Comite, cognominatus *Iarla-Skalld*, id eſt *Comitum Poeta*. De natura & indole cognominum apud boreales diſſentiunt *Olaus Wormius* & *Henr. Spelmannus*: quorum *hic*, omnes ſeptentrionales, putat, Hebræorum & Græcorum more, ſimplici appellatione uſos; *ille* vero, non ſolum familias vetuſtas, ſed & reges Septentrionis cognomini-

bus uſos fuiſſe. Litem ita dirimit Cl. Auctor, ut cognomina neget *hereditaria* extitiſſe. Id evincit cum ex ipſa natura cognominum, tum ex veterum teſtimoniis. Neque enim epitheta, ex ſingularibus cuidam moribus data, ad alios transferri potuerunt. Sic *Olaus* cognominabatur *Tretelje:* parentis autem eius *Ingialdi* cognomen *Illrade* erat. Sed ad alia pergamus. Quod nomen *patris* apud veteres ſuſtinuerit vicem cognominis, id notum eſt. Sed & matris nomen uſurpatum ſic fuit. *Thordus, Glumi* filius, a matre *Inguna* cognominatus eſt *Ingunarſon: Haquinus,* a matre *Synifa*, *Sunifarſon*: *Floko,* a *Valgerda* matre, *Valgerdarſon.* Cauſſam rei attulit *Siernhook,* in *Lib. de iure Sueon. p. 223.* hanc: *Partus,* ait, *iure veteri ventrem ſequitur. Hinc quidam ſe matris, non patris filios nominarunt, ut Ingeburgis, Eſthridis filius.* Ceterum, cognomina item a corporis defectibus aut venuſtate, nec non a moribus, tam connatis quam acquiſitis, depromta fuerunt. Tale cognomen eſt *Thorbiorgae*, nempe *Kolbrun*, quod comis ac ſuperciliis eſſet nigris: tale eſt *Koli* ob gibbum; *Kroppinbakr* ob dentem monſtroſum: tale eſt *Thorſteni,* qui ob tarditatem *Dromundus; Canuti*, qui *Lovardus* ob mores ſibi genus humanum devincientes, nominatus eſt. Alii aliis ab rebus tulerunt memorandis cognomina. *Helgius,* ob cæſum *Hundingum, Hundinsbani; Thorkillus*, quod ſpiritum trahebat ægre, *Kraſla* dictus eſt. Nonnulli a loco habitationis: quidam ab alio adiuncto, vel honeſto vel turpi. *Thorgeir,* quia panem butyro illitum optimam iudicabat eſcam, *Smiorkring* appellatus. Subinde adeo eſt mira cognominum apud ſeptentrionales ratio, ut omnia generales ad regulas reduci nequeant.

Betrachtungen über die Verbeſſerung des Juſtiz-Weſens in Deutſchen Landen ꝛc.

i. e.

MEDITATIONES DE EMENDANDO IURE STAtuque rei forenſis, ac tribunalium, in terris Germanicis.

Dresdæ & Lipſiæ, apud Frid. Hekelium, pl. 10. in 8.

Onus

Onus Aetna gravius videntur ſuſtinere omnes illi, Siſyphique ſaxum volvere, qui hoc exulceratiſſimo ſæculo meditantur Iuris reique forenſis emendationem. Iniuria nempe temporum, ſtudia partium, diverſiſſima & contraria ſibimet invicem, privata commoda, labyrinthi concertationum, brocardica, nec non cunctationes, & per luſtra quinimo ſæcula continuatæ protractiones litium, per Iuris ſic dicta beneficia ſeu remedia ſuſpenſiva, atque alia huius commatis ſexcenta, ſolent eludere deſtinata in iſtiusmodi emendatione ſalubriter. Dantur tamen ſubinde Reges & Principes, qui Viros eruditos candidosque, ad ſuſcipiendum hoc, quantumcunque ſit, negotii, & ad purgandum iſtud Augiæ ſtabulum, excitant: inde Saxonicus noſter Codex Auguſteus, Prutenorum Codex Fridericianus, Neapolitanorum Codex Carolinus, originem & natales ſuos habent. Sed & nonnunquam prodeunt Viri cordati, quibus curæ eſt, labaſcenti huiusce generis legum negotiorumque forenſium tractationi ſuccurrere, piaque ſua deſideria, bono publico inſervitura, Rei Litteratorum publicæ profiteri ac commendare. Hos inter haud prætereundus eſſe videtur doctus Auctor libelli, quem nunc indicamus, Vir Iuris Conſultiſſimus, laudeque noſtra omnino dignus, *Io. Frid. Hauswaldus*, Sereniſſimo Poloniarum Regi & Electori Saxoniæ a Conſiliis Legationum, & ab Epiſtolis in Intimo Regio-Electorali Tabulario ſ. Archivo Dresdenſi. Perpendenti etenim ei, quantum in rogatione, promulgatione, tractatione inſuper & executione legum, in earundem fraudem fieri ſoleat, enatæ ſunt iſtæ meditationes, queis ulcus illud tangere, medicinamque malo huic parare ſategit. Octo hanc capitibus abſolvit tractationem Noſter. *Cap. I.* attingit ſtatum corruptum rei forenſis hodiernum. *Cap. II.* eandem rem conſiderat forenſem. *Cap. III.* de noxiis effectibus corruptelarum eiusmodi commentatur. *Cap. IV.* in cauſſas illarum inquirit, quas non tam in iudicibus, quam in cauſſarum patronis, atque ipſis denique litigantibus, quærendas eſſe comprobat. *Cap. V.* perſequitur Auctor veras origines corrupte-

ruptelarum huiuſcemodi, nimirum nævos legum, cumprimis earum, quæ in Germania receptæ ſunt, earumque peregrinitatem, copiam, præterea nimiam diffuſamque prolixitatem. *Cap. VI.* reliquos illarum oſtendit nævos, inſufficientiam videlicet, confuſionem, contradictiones, obſcuritatem, interdum iniquitatem, incertitudinem. *Cap. VII.* Partem Iurisprudentiæ Theoreticam: *Cap. VIII.* autem Practicam partem ſuadet emendari. Illius, Theoreticæ nimirum partis, emendatio, poſtulat abrogationem legum peregrinarum in tribunalibus & Academiis, ſanctionem contra promulgationemque legum novarum, ſtatui rerum publicarum, qualis iam eſt, magis convenientium, earundemque perſpicuarum, evidentium, communium, rationalium, brevium, paucarum, nervoſarum, lingua vernacula ſermoneque patrio colligendarum ſupplendarumque. Huius vero, partis videlicet Practicæ, emendatio, requirit novam perfectioremque iudiciarii proceſſus ordinationem, cum ſeveriſſima executione coniunctam, in qua iudicibus, fiſcalibus, & quibuslibet negotia fori tractantibus, ſua præſcribantur officia, cum præmiis bene meritorum. Opus univerſum, prudentiæ leges ferendi deſtinatum, nervoſiſſima brevitate, ſtili perſpicuitate & nitore, ponderibus rationum, præterea typorum quoque elegantia, ſe lectoribus commendabit.

DE EPISCOPATU SABIONENSI S. CASSIANI Martyris, deque S. Ingenuini eiusdem urbis Epiſcopi Actis, Hieronymi Tartarotti, Roboretani, ad Antonium Roſchmannum Epiſtolae, Diſquiſitio. Auctore eodem ANTONIO ROSCHMANNO, I. U. L. Sac. Caeſ. ac Reg. Mai. Bibliothecae Publ. Thereſ. Praefecto, Pro-Archivario aulico, & Illuſtriſſimorum Provinciae Ordinum Hiſtorico.

Ulmæ 1751. 1 Alph. 4 plagg. in 4.

Sabiona, ſ. Sebona, Rhætiæ olim nobiliſſima urbs, ad vallem Brixinenſem, haud adeo procul ab ipſa hodierna Brixina, in

in Comitatu Tyrolenſi ſita, tempore Romanorum manſio militum, i. e. locus ubi caſtra ſtativa haberent, fuit; quæ, ut facile eſt creditu, paulatim in magnitudinem & formam urbis ita crevit, ut, præſertim cum illa regio, propter colonias romanas eo deductas, & viam illam ab Auctore Auguſtam, deinde Claudiam ab inſtauratore appellatam, admodum culta, celebris atque frequentata fuerit, celeberrimum eius temporis oppidum brevi eſſet. In hac igitur urbe & regione, iam media Sec. III. ætate, Caſſianum Imolenſem, qui poſtea Imolæ ſ. Foro Iulienſi in Italia martyrium, ut loquuntur, paſſus ſit, primum doctrinam Chriſtianam docuiſſe, iſtiusque Eccleſiæ & Epiſcopatus, cuius ſedes deinde Sec. X. Brixinam translata, fundamenta iecıſſe, vulgaris traditio eſt; unde primum in vulgaribus catalogis inter Epiſcopos Sabionenſes tenet locum. Ut autem auctoritatem catalogorum, vulgarisque opinionis fidem, inprimis vero iſtiusmodi primi Apoſtoli & Epiſcopi in iſta Eccleſia cultus religionem confirmaret *Roſchmannus*, non minus eruditione quam humanitate clarus, Coniecturas de Epiſcopatu S. Caſſiani, primi Sabionenſium Apoſtoli, ante triennium, quod Editionem huius libelli præceſſerat, edidit. Huic vero doctiſſimus pariter ac ſubtiliſſimus exortus eſt adverſarius, *Tartarottus* Roboretanus, qui Coniecturas iſtas, in Epiſtola quadam ad Roſchmannum typis expreſſa, ita refellere ſtuderet, ut opinionem eam e mentibus iſtorum hominum evelleret, cultumque illius Martyris, ut primi Sabionenſium Epiſcopi falſum & inanem demonſtraret. Ea re, ſed & iuſſu ſuperiorum, permotus Noſter, maiori cum ſtudio & diligentia has quaſi Coniecturarum ſuarum vindicias conſcripſit, in quibus cultum ſaltem S. Caſſiani in Eccleſia Sabionenſi perantiquum, certiſſimis hiſtoriarum monumentis, idoneisque documentorum, (Diplomatum ſcilicet Imperatorum, & Chartarum Donationum, ex Tabulario, quod vocant, Brixinenſi, cuius copia a Rev. Epiſcopo Brixinenſi ei facta eſt, ſumtorum,) teſtimoniis vindicare conaretur; ſimulque aliis rebus circumiectis diligenter conſideratis, admodum probabiliter, (ultra probabilitatem enim, in tanta rerum obſcuritate, documentorumque inopia, aſ-

ſurgere non licet,) eiusdem Epiſcopatum Sabionæ fundatum demonſtraret. Obiectiones adverſarii vero, ut in ſumma complectamur, hæ ſunt præcipuæ: Anonymum quendam Poetam, Sec. IX. florentem, a Mabillonio primum in lucem protractum, qui & Sabionenſes carmine percenſet Epiſcopos, nullum ante S. Ingenuinum Sec. VI. Epiſcopum agnoſcere: Monumenta, quæ nunc ſuperſint, Brixinenſia, non ad Sec. IX. & X. pertingere, ſed XI. demum enata: S. Ambroſii tempore nondum extitiſſe Eccleſiam Sabionenſem: Brennenſem, ſub qua Bellunenſis lateat, de hac non poſſe intelligi; & Brixinenſem cum Brennenſi confudiſſe Roſchmannum: non igitur ante Sec. VI. finem Epiſcopum Sabionenſem concedendum: Materninum & S. Lucanum non poſſe admitti: omnino neglexiſſe teſtes locupletiſſimos, & omnia coniecturis dediſſe, & quæ ſunt reliqua. Hæc Roſchmannus V. Cl. ita refutat: Anonymi Mabilloniani nullam eſſe auctoritatem; monumenta cultus ſupereſſe Sec. VIII. IX. & X. invictisſima; & quamvis non appelletur Epiſcopus Casſianus diſerte, probabiliter tamen talem fuiſſe ex his ſequi, cum neque Patronus, neque eius reliquiæ adfuerint; Sec. IV. Sabianæ fuiſſe Paſtorem iuxta S. Ambroſii teſtimonium; Sec. V. Lucanum eſſe admittendum, cum eximium iam propagatæ fidei in Valle Oenana monſtrari poſſit argumentum; alium Anonymum Sec. VI. a Francis Eccleſiæ Brennenſi impoſitum; & ſic forte Materninum poſſe tolerari. Iſta omnia, quamvis certis documentis, pro temporum illorum ratione, univerſim firmari non posſint: fabulis nihilominus, portentis, ſomniis, & falſis documentis accenſenda non putat Roſchmannus. Cum vero doctiſſ. Adverſarius in Acta S. Ingenuini etiam invehatur, ab eiusque laude ſanctitatis multum detrahere conetur: in Parte altera huius diſquiſitionis Epiſtolæ Tartarottianæ, licet de eo nihil in Coniecturis dixerit, ad ea tamen, cum haud aſpernenda in Tabulario invenerit, reſpondit.

Ut autem teſtimonium huius Anonymi Poetæ labefactet, examinat primo Cap. III. eius patriam, tempus ac locum ſcriptionis, & ex Carmine VII. v. 3, cum aliunde nihil de eo conſtet, probabile reddit, patriam eius fuiſſe Angliam, Scotiam,

tiam, Hiberniam, quia ſolum S. Virgilium, ex Hibernia advenam, cum multi fuerint extranei, ita ut ſe, appellet alienigenum Carm. XII. 11. quod etiam Mabillonio viſum ſit ex Ariete Epiſcopo Salisburg. qui ſine dubio nullus alius quam Alramus ſit, quia Aries in lingua Anglica Arame vocetur. De voce Ælim autem, ſic enim Salisburgum appellat Poeta, non eſſe quod Mabillonius dubitet, cum fide lapidis cuiusdam Gruteriani f. 2654. conſtet, Salisburgum Hadriani fuiſſe coloniam, atque ita Iuvaviæ, quoad nomen conditoris, idem quod Hieroſolymis accidiſſe. Eodem modo tempus quo vixerit, & locum quo ſcripſerit, ex verſibus eius eruit: illud nimirum circa medium Sec. IX. fuit; hic vero Iuvavia ipſa, aut certe eius vicinia. Deinde Cap. V. VI. VII. & VIII. demonſtrat, hunc advenam res tantum ſeculi unius, & vix ultra, ſine ſerie hiſtorica, ſine Chronologia, monumentis & fontibus omnino omnibus deſtitutum, complecti; imo, exceptis Salisburgenſibus & Sabionenſibus, nusquam ultra d. Bonifacii ætatem progredi: inprimis vero circa Sabionenſes fallere Epiſcopos maxime, utpote quatuor omnino per duo ipſa ſecula & dimidium recenſentem, & quidem ita, ut ultra ſeſqui ſeculum ex eius ſententia duo tantum Eccleſiam hanc rexerint. Plus itaque auctoritatis binos perantiquos, ex membranis unum ante quadringentos & amplius, alterum ante trecentos annos confectos catalogos habere putat, in quibus tredecim adhuc alii, præter iſtos a Poeta commemoratos, recenſeantur. Præſertim cum probatiſſimi Hiſtorici, ante omnes Catalogos editos, S. Conſtantii poſt Ingenuinum, pariter ac Catalogi a Poeta omiſſi, meminerint; cumque a Sec. VIII. plerique antiſtites Sabionenſes legitimis probari poſſint documentis, auctoribusque extraneis, ita ut Catalogis iisdem fere ſingula reſpondeant. Neque minus quatuor illi Anonymi Epiſcopi in iis rite compareant, ſive ex Codice iſto in eos translati, quod non videtur, quia ſerius eſt inventus & editus; ſive ex aliis monumentis tamen legitimis: cumque omnes Sec. VII. vel VIII. veros Anonymi habeant Epiſcopos, cur in ceteris ſint confictі? Sed etiamſi quis non omnes, quos Anonymus omiſerit, Sabionæ fuiſſe Epiſcopos agnoverit, ſufficiat

ciat

ciat unico ſaltem, ex authentico documento, (Inſtrumento ſcilicet ſub Antone Epiſcopo Sab. ante medium Seculum VIII. confecto,) de quo ſilet Anonymus, exemplo, ordinem iſtius Poetæ turbare; quod quidem Inſtrumentum, ut vocant, in antiquiſſimo Traditionum libro, loco principe, & ante d. Albuini Acta contineatur, cuius codex, membrana, characteres, imo ipſum actorum principium huius Epiſcopi Albuini ſcil. tempora indicet: ante Sec. X. igitur hæc donatio facta fuerit neceſſe eſt. Cum autem inter illos Præſules Sabionenſes, qui ab anno 772. doceri poſſint authenticis monumentis, Anto nullus appareat, ante eos vixiſſe extra omne dubium poſitum eſt. Non ſolum autem Epiſcoporum Sab. enarrationem Anonymi mancam & imperfectam eſſe, ſed etiam Paſſavienſium & Ratisbonenſium Epiſcoporum, tum regionariorum, i. e. qui munere Apoſtolico ſine ſede fixa & nondum firmata in aliqua regione functi ſint; tum ordinariorum Epiſcoporum exemplis luculentis demonſtrat. Inter Paſſavienſes quidem primum Apoſtolum & Epiſcopum S. Valentinum regionarium omiſſum, ex Tabula plumbea a Surio & PP. Bollandinis, & a ſe ipſo in Actis huius divi allata; Erchanfridum autem & Okarium ordinarios, ex authenticis probat Traditionum chartis. Inter Ratisbonenſes vero merito deſiderari S. Emmeramum, ex Aribone Friſingenſi, teſte Sec. VIII. graviſſimo, & quidem genuinis Auctoris verbis ex Cod. Duſcheniano allegatis, demonſtrat; ſicut & ordinarium S. Lupum, ex auctoritate Arnolfi, ſcriptoris domeſtici, ſtatim poſt Sec. X. florentis, cuius verba Hen. Caniſius in Lect. Antiq. Edit. Baſnag. T. III. P. I. p. 132. recitet, indubitatum & certiſſimum Ratisbonenſium Epiſcopum. Ex his ait apparere, Anonymum non fuiſſe ſollicitum de primis Epiſcopis, ſaltim in antiquioribus Paſſ. Ratisb. & Sabion. Eccleſiis, ſed eos tantum a Bonifacii tempore commemoraſſe, hincque nihil contra primum Sabionæ Apoſtolum & Epiſcopum, quamvis regionarium, valere poſſe.

Iam vero in cap. IX. X. XI. & XII. ad cultum S. Caſſiano, tum Brixinæ, tum Sabinæ, Sec. VIII. IX. & X, neque demum

Sec.

Digitized by Google

Sec. XI. inceptum, ut adverſarius putat, præſtitum progreditur, demonſtrans eum per Diplomata Imp. & Chartas, ut vocant, Pagenſes, h. e. quibus Donationes & Traditiones continentur. Cultum autem eius iam Sec. VIII. Brixinæ quoque, non Sabionæ ſolum, celebratum fuiſſe, Charta illa ſub Antone Epiſcopo declarat, cuius genuinam antiquitatem Codex, membrana, characteres, aliæque res indicent. Eiusdem cultum Sec. IX. Sabionæ continuatum, per Diplomata Ludovici Germanici & Arnolfi Germaniæ Regum comprobat; quæ quidem diligenter examinata, cum aliis eorundem Regum Dipl. & cum rebus circumſtantibus reliquis convenire, ex probatisſimis oſtendit Hiſtoricis. Neque minus cultum iſtum Sec. X. Diplomata Ludovici IV. ſ. Infantis, Conradi I. & Ottonis II. declarant. quæ omnia rite ſe habere nobis viſa ſunt. Atque tandem, ne critici ipſius, ut ait, tot Diplomatibus inconcuſſæ auctoritatis hanc ſaltem inurere poſſent notam: ab extraneis librariis hæc conficta eſſe rerum ignaris: Chartis etiam Pagenſibus domi confectis & conſervatis, ex Tabulario Brixinenſi excerptis, rem probare ſtudet. Præter illam ſub Antone Sec. VIII. haud dubie confectam, aliam, in qua tum ſub Wiſumpto, tum Richperto, Epiſcopis, Sec. X. S. Casſiani cultus monumentum occurrit; aliasque complures, tempore Albuini ſec. eodem conſcriptas, profert, quas quidem omnes ætatis Sec. X. eſſe, quotquot adhuc Codicem & contextum viderint, ſine hæſitatione affirmaſſe, potiorique ex parte ab ipſo Præſule S. Albuino, aut eius auctoritate & conſilio, aut a ſuis confectas eſſe. His itaque rite, ut nobis quidem videtur, quibus autographorum, Diplomatum, & Chartarum arcana inſpicere non licet, probatis, occurrit Cap. XIII. obiectioni magnam ſpeciem præ ſe ferenti, quod ſcilicet non Epiſcopus in Diplomatibus iſtis & Chartis appelletur, adeoque cauſam huius cultus, patrocinium, aut inſignes eius corporis reliquias, eſſe poſſe. Sed primum uſu quaſi diplomatico receptum fuiſſe, multorum exemplis oſtendit, ut ii non Epiſcopi, ſed tantum Martyres aut Confeſſores in iſtis appellarentur. Neque vero patroci-

Digitized by Google

nium eius aut reliquias cauſam cultus fuiſſe, idoneis probari poſſe documentis; cum e contrario antiquisſimam, quæ Sabionæ ſupereſſet, ædiculam, a d. Casſiano V. Mariæ Deiparæ fuiſſe dedicatam, traditione feratur: quam quidem traditionem Catalogo illo membranaceo Sec. XIII. & Diplomate Conradi II. Rom. Imp. de anno 1028. confirmari, hanc Patronam in altero Sabionæ templo S. Crucem excepiſſe, a quo tempore quidem incertum, ſed certe eam illud habuiſſe Sec. XIV. & XV. ex decreto, Bullam vocant, Concilii Baſileenſis an. 1414. ita ut, ſi etiam S. Casſiano patrocinium concederetur, Sec. XII. & XIII. ſub illo Eccleſiam floruiſſe neceſſe eſſet, cum iam templum Cathedrale Sabionæ derelictum eſſet. Sed veremur non ſine cauſa, ne hæc argumenta, de patrocinio V. Mariæ ſtatim ab initio ſtabilito, adverſario doctiſſ. non ſatisfaciant: etenim recentiora nobis videntur, quam ut primum iſtius Eccleſiæ posſint probare patrocinium. Brixinæ vero ſtatim Eccleſiam Sec. XII. ſub tutela S. Petri & Pauli fuiſſe, ex Chartis demonſtratur. De reliquiis autem nihil,ante tempora S. R. I. Principis & Epiſcopi Caſpari Ignatii adfuiſſe in hac Eccleſia, aſſeritur. Ut autem probabiliter A. demonſtraret, S. Casſianum primum Sabionæ fuiſſe Epiſcopum, aptam eo tempore doctrinæ Chriſtianæ recipiendæ iſtam regionem fuiſſe, ex Romanorum eo deductorum colonorum frequentia, & viæ iſtius, præſertim ob limites propter barbarorum incurſiones cuſtodiendos, celebritate, Cap. XIV. oſtendit. Quod autem per ipſos Romanos milites ſ. colonias religionem Chriſtianam propagatam fuiſſe ei credibile videtur, nolimus aſſerere: quia ſine dubio aut nulli, aut perpauci eo tempore inter milites ſ. colonias Romanas fuere Chriſtiani; multo potius ii per linguam occaſionem & facultatem doctrinæ propagandæ præbuiſſe nobis videntur. Cap. XV. conatur ex verbis S. Ambroſii Lib. X. Ep. 82. *Sola Vercellenſis (ſcil. Eccleſia) nunc ex omnibus Liguriae, Æmiliae, Venetiorumque, vel caeteris finitimis Italiae partibus, huiusmodi (Epiſcopali) eget officio,* demonſtrare, Ambroſii tempore i. e. Sec. IV. Sabionæ ſ. in illa regione ſediſſe Epiſcopum. Non nega-

negamus, ſub caeteris finitimis Italiæ partibus intelligi poſſe Rhætiam, ſi habuerit Epiſcopum, & certo debere iis comprehendi, ſi aliunde conſtet, Sabionæ ſ. in illa regione fuiſſe tunc temporis Epiſcopum. Quid aliud ex his verbis ſequatur non videmus, cum plures quam Rhætia ſint Italiæ finitimæ partes: vel ſi etiam Rhætia intelligatur, non ſequitur, & Sabionenſem Eccleſiam, cum Rhætia I. & II. ex ipſius Auctoris ſententia Præſules iam ſuos habuiſſe. Cæterum, cum doctiſſ. Tartarotto libenter concedimus, Rhætiam ad Italiæ Dioeceſin, adeoque etiam ad Metropolin Mediolanenſem, ſpectaſſe. Quanquam, etiamſi omnes Epiſcopi in illis Provinciis, quæ Præfecto Prætorio Italiæ ſ. occidentalis Præfecturæ, ut aſſerere videtur, ſuberant, ad Mediolanenſem pertinuerunt Metropolin, nihil impediat quominus illa verba de Illyrico; Occidentali ſcil. intelligamus. Profert porro Cap. XVI. circa hæc tempora monumentum propagatæ Chriſtianæ doctrinæ illius regionis ex Gregorio Turonenſi, Templum ſcilicet S. Laurentii circa medium Sec. VI. ob incuriam longi temporis, ut ait Gregorius, detectum, ergo Sec. IV. aut ad ſummum V. exſtructum, apud Briones Italiæ caſtrum. Copioſius contra quorundam ſententiam, hoc Italiæ caſtrum, ſ. oppidum Breunorum, ut Plinius appellat, non in Vindelicia, ſed Rhætia, in Valle Oenana ſitum, & quidem Veldidenam eſſe, ut adeo Eccleſia iſta Brionenſis, ſ. Brennenſis, ovicularum, ut ait, Vallenenſium fuerit. Recte inſuper nihil impedire putamus, quominus Rhætiis Epiſcopus Sec. VI. initio tribuendus ſit, quod in Germania certæ ſedes certique fines propter bella, migrationes, irruptiones Gentium, finiumque permutationes, ſero admittendi ſint, quodque Concordia, Feltria, aliæque urbes, antiquiores Epiſcopos S. Ingenuino non agnoſcant, quominus ante hoc tempus fuerint Epiſcopi. Quamvis enim ſingula oppida ante Ingenuinum non habuerint ſuos Præſules: totum ampliſſimum tractum illum tamen nullum habuiſſe, non ſequitur. Longum foret, argumenta & rationes ſatis ſubtiles & probabiles, quibus S. Lucani, Maturnini, Sab. Epiſcopo-

Digitized by Google

rum Sec. VI. & Anonymi cuiusdam, Eccleſiæ Brennenſi, quam unam eandemque cum Sabionenſi eſſe admodum ſubtiliter probat, a Francis eodem Sec. impoſiti, locum ac dignitatem tueri conatur, enarrare: ſatis nobis ſit id laudis ei tribuere, quod in tanta rerum obſcuritate, inopiaque documentorum, huius rei magnam ſane probabilitatem demonſtraverit, inprimisque Cap. XVIII. partes ſubtilis & eruditi critici bene egerit. Etenim ex his iam, ſummam huius viri Hiſtoriarum, Antiquitatum, Romanarum & medii ævi, artis diplomaticæ & criticæ eruditionem, multo labore, longaque exercitatione acquiſitam, apparere arbitramur.

Sed perveniamus ad *Diſquiſitionis Epiſtolae Tartarottianae, de S. Ingenuini Sab. Epiſcopi Actis, partem poſteriorem.* Ut vero rem brevibus expediamus, tenendum: Ingenuinum, primum ex ſententia Anonymi Mabilloniani, adeoque ipſius doctiſſ. Tartarotti, Sabionenſium Epiſcopum, vulgo elogio *ſancti* honorari: hunc titulum autem ei Tartarottus, in iſta epiſtola ad Roſchmannum noſtrum, abrogare conatur his inprimis argumentis. Brixinenſia monumenta, quibus Sabionenſis Eccleſiæ hiſtoria contineatur, non adeo ſincera & conſona videri, ſed multo potius excellentem de eius ſanctitate opinionem, Brixinenſiumque cultum, ex fonte turbido, h. e. ex Pauli Diaconi errore manaſſe, qui & reformatoribus Martyrologii Romani, & aliis cauſam præbuerit ſanctis illum adnumerandi: obſuſcatum quoque Anonymum illum videri a Paulo Diacono, ut almum appellaret, ſcil. nullam in antiquioribus Diplomatibus S. Ingenuini commemorationem inveniri: Patronum demum poſt Sec. X. electum fuiſſe, atque ſic tandem novem a ſua ætate ſeculis precario in Romanum irrepſiſſe Martyrologium. Quibus Roſchmannus, ut huius ſanctitatis laudem cultumque vindicaret, ita reſpondit. Primo oſtendit, traditiones ſeu probationes de S. Ingenuino non contineri in Lectionibus Officii, ut vocant, Brixinenſium proprii, quod ei Tartarottus obiecerat: deinde cultus vetuſtioris originem non Paul. Diacono deberi: longe minus autem verum

eſſe,

eſſe, irrepſiſſe in Martyrologium Romanum Seculis novem poſt, & quaſi precario: Brixinæ porro iam Sec. VIII. cultum eius demonſtrari poſſe; ita ut IX. & X. nec minus Anonymi Mab. teſtimonio: tandem a ſchiſmate Aquileii Sabionenſem Præſulem receſſiſſe credendum eſſe. Iam vero quod ad Lectiones Officii proprii Eccleſiæ Brixinenſes attinet, libenter concedit, eas in multis errare, & compilatorem nonnulla ex recentioribus Hiſtoricis inſeruiſſe; imo eas foetum recentiſſimum inventa demum typographia protruſum putat. Cum autem neque Codd. MSS. Liturgici harum Lectionum, neque Diplomata aut Chartæ Pagenſes, aut alia monumenta, omnino quidquam habeant de hoc ſancto adnotatum, vehementer ſuſpicandum eſſe, olim de iſto nihil fuiſſe animadverſum. Neque vero mirum eſſe, inſertam proinde proprio Brixinenſi an. 1515. impreſſo P. Diaconi erroneam de S. Ingenuino ſententiam, cum illo tempore Pelagii I. & II. itemque Gregorii M. Epiſtolæ, Libellus ad Mauritium eiusque reſcriptum, omniaque omnino Aquileienſis ſchiſmatis laterent Acta; ille vero ſcriptor unicus, vix duobus ſeculis a tempore rerum geſtarum remotus, ſupereſſet. Longe aliter, cum in libris Liturgicis Sabionenſibus altum ſit de rebus Aquileienſibus ſilentium, olim, ante codices typis impreſſos, Sabionenſem ſ. poſtea Brixinenſem, quæ Ingenuinum coluerit, ante omnes Diaconi Aquileienſis & Bartholomæi Tridentini labores hiſtoricos, ſenſiſſe, non dubitandum eſſe. Etenim in Antiquiſſ. Codice Aſceterii Wilthinenſis, & perantiquo Thereſianæ Bibliothecæ, aliisque libris Liturgicis MSS. quos Cl. Reſchius Brixinæ excudendos curaverit, nihil ſingulare, nihil prorſus ex Paulo aut aliis hauſtum, contineri. Pauli Diaconi errorem autem minime cultui Ingenuini anſam præbuiſſe, deinceps Cap. III. demonſtrat. Nihil ſcilicet in Pauli verbis inveniri quod inſignem præ ſe ferret ſanctitatem, nihilque omnino de eo dici, niſi quod abſtinuiſſet a Schiſmate, & pro captivis in Ferruge caſtro interceſſiſſet. Quod autem nihil de Ingenuini & Albuini actionibus heroicis, geſtis, miraculis conſtet, id

Digitized by Google

multis aliis ſanctis quoque accidiſſe, quorum ſanctitatem nemo in dubium vocet. Ex noſtra quidem ſententia, elogium ſanctitatis, quo Epiſcopi præſertim illius temporis ſunt ornati, nullis miraculis aut prodigiis egere videtur; cum plerumque auctores Eccleſiarum, ut fere auctores rerum publicarum, divi appellati, & ſemper in magno honore habiti ſunt, ceu alii probi & boni viri, quos recte hoc titulo antiquitas inſignire potuit. Longe minus verum eſſe, irrepſiſſe in Martyrologium Romanum poſt novem demum ſecula, & veluti precario, Cap. IV. inde oſtendit: primum quidem quod ante Bellinii additiones, in ſacris Romæ faſtis inſertus legatur Ingenuinus, idque confirment Codd. a Baronio viſi, itemque Benedicti XIV. ſummi Pontificis auctoritas, neque minus ſummorum virorum Baronii, Noriſii, Pagii, & Bollandi, ſchiſmatis Aquileienſis certiſſimorum ac ſcientiſſimorum, teſtimonium, quos Codd. antiquiſſimos, multiplices, concordes, & ex parte Pauli ætatem excedentes, habuiſſe credibile videatur. Deinde ex Calendario pervetuſto, quod Martene & Durand T. 3. f. 1606. Monum. ſuorum inter antiquiſſima Martyrologia afferunt, ex MS. Lirenſis Monaſterii ſexcentorum & amplius annorum, & ex Martyrologio Auguſtano S. Hieronymo tributo ſexcentorum circiter annorum, quod Bollandi Continuatores in Collectione Martyrol. VII. Iunii producunt, cultum huius ſancti aſſerit; ut alia perantiqua Francica Martyrologia, v. c. Antverpienſe, Labbeanum, Rabani Mauri, Turonenſe, &c. Sec. VIII. & IX. conſcripta, omittamus. Cauſam vero, cur in tot tamque antiquis Francicis inveniatur Ingenuinus Martyrologiis, imperio Francorum de Provinciis Norici, Rhætiæ, & Vindeliciæ tribuit, præſertim cum Reges Francorum non ſolum univerſo populo leges tulerint, ſed etiam Epiſcopos ipſi elegerint, ſ. electos a Clero & Populo confirmarint: non mirum itaque eſſe, ſi Ingenuinus, qui tunc temporis vixit, in eorum Martyrologiis inveniatur; & hoc gravius pro eius ſanctitate eſſe argumentum, quod, etſi ſchiſmaticorum partibus faviſſet, libelloque ad Mauritium ſubſcripſiſſet, tamen tot Martyrologiis

giis nomen eius inſertum reperiatur. Brixinæ quoque iam Sec. VIII. cultum ex antiquiſſima Charta Pagenſi monſtrare Cap. VI. A. inſtituit, quæ in libro Traditionum, qui Sec. X. tum ex contextu, tum ſcriptura, & omnium peritorum iudicio, conſcriptus eſſe videatur, continetur, ſecundum quam donatio facta legitur Antoni, ergo certe ante Sec. X. facta fuerit neceſſe eſt; & cum, ut iam ſupra oſtenſum, Præſules Sab. ab anno 772. poſſint doceri, authenticis monumentis, nullus aut adſit Anto, credibile eſſe, cum ante illos omnes Eccleſ. Sab. præfuiſſe, quod inſuper etiam ex Catalogo membranaceo Sec. XIII. & collatione Dipl. Lud. IV. Germaniæ Regis, conſtet. Eundem cultum autem per Sec. IX. & X. continuatum, ex diverſis donationum Chartis, tempore Ottonis M. & II. Sec. X. vero per Diplomata Ottonis II. v. c. & Henrici Sancti, & per plurimas S. Albuini, eiusdem cultoris eximii, donationes, aliasque eiusdem temporis Traditionum Chartas, quæ omnes, cum de earum fide & probitate nobis non liceat dubitare, cultum huius Epiſcopi perantiquum ſaltem probare nobis videntur, patet. Quod vero Cap. IX. de Epitheto *almus*, quo Anonymus Mab. quatuor tantum ex triginta Epiſcopis ornaverit, contendit, ut ſcilicet & ex eo argumentum ſanctitatis ſumi poſſit, adverſarius vero eius notionem extenuat: pro neutra parte quicquam poſſe elici putaverimus. Nobis enim iſtud epitheton poeticum, & ornandi nec augendi cauſa adhibitum videtur, quod omnibus rebus a poetis quidem antiquis tribuatur, quæ nos iuvent, alant, & præſidio ſint, ut Auctor doctiſſ. annotavit, inprimis diis, quibus maxima debeamus beneficia. Et ſic fortaſſe etiam hic Poeta, Auctoribus ex ſua ſententia Eccleſiarum, Hattoni vero propter eius ſingularem Eccleſiæ ſuæ & paternam curam & amorem, tribuit. Sed tamen magis, ſi quid notioni iſti ſubeſſe debet, ſententiæ Auctoris favere videtur. Excuſandos itaque Noriſium & Bollandum, tum ſanctitatem ex cultu tum converſionis cauſam adſtruentes, Cap. X. contendit. Inprimis Bollandi ſententiam, impulſu ſcil. Theodolindæ, filiæ Garibaldi Ducis Boioariæ, & uxoris Autharis, dein Agilulphi,

Regum

Regum Longobardorum, cum & ipſa ſchiſmaticorum partibus antea faviſſet, ab iſtis Ingenuinum receſſiſſe, defendere & haud adeo improbabilem oſtendere ſtudet. Quamvis enim non certo illius impulſu receſſiſſe affirmari poſſit, ſaltem tamen Reginæ eum innotuiſſe, cum filia Principis eſſet, ſub cuius imperio Epiſcopatus Sab. erat, per iſtam regionem profecta eſſet, ipſeque Ingenuinus Franciam petiiſſet, ad redimendos captivos, in bello propter Theodolindæ patrimonium geſto captos. Tandem ex his omnibus, præſertim ex vetuſtiſſimo Francorum cultu, qui eum ſive a Rege Francorum ipſo conſtitutum, ſive a Clero & Populo electum, comprobatum tamen, eiusque facta probe noverint, Cap. XII. concludit, a ſchiſmate ergo eum ante obitum receſſiſſe; quod ſi non factum fuiſſet, neque inſignia ſanctitatis ſpecimina edidiſſet, (quod tamen non de miraculis aut prodigiis nos intelligimus,) nunquam a Francis cultum fuiſſe catholicis, multo minus proinde ab Epiſcopis Brixinenſibus, Imperatoribus, imo Pontificibus ipſis.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLVIII.

Pars II.

IOAN. AUGUSTI ERNESTI ANTIMURATORIUS, ſive Confutatio Muratorianae Diſputationis de Rebus Liturgicis ad SALOMONEM DEYLINGIUM, Theologum Primarium, annisque & meritis venerandum.

Lipſiæ 1755. apud Ioannem Wendlerum, pl. 11. in 8.

Defenſionem fortem atque invictam cauſſæ Lutheranæ in Euchariſtia ſuſcepit Summe Ven. Erneſti: quem merito gaudemus, artem criticam, ſibi tam perſpectam, comparatamque tot explicandis emendandisque latinis & græcis auctoribus profanis, iam transferre ad divinitus nobis traditos libros, & ad ſcripta Patrum Sanctorum. Ut enim hæc ars potiſſimum Eccleſiam noſtram, quæ, teſte Chemnitio, tantum grammatica eſſe debet, inde ab inſtauratis ſacris ab adverſariis defendit: ſic illa eandem porro vindicabit ab malevolorum moliminibus, cum ſimiles plures habuerit & b. Deylingio noſtrati, in cuius, tum vivi, nomine apparuit hic liber, & b. Iano Vitembergenſi, iuſtis ab Cel. Auctore laudibus celebrato, atque ipſi S. V. Erneſto noſtro, qui natura inſtitutoque factus ad tam grave negotium eſt. Huic, Vitembergæ iam tum ſtudiorum cauſſa verſanti, & optima Iani Bergerique diſciplina conformato, ſtudium iniectum eſt liturgicæ rei: ut hoc avidius L. A. Muratorii duo ſacramentario-

rum veterum volumina, ante aliquot annos edita, verſaret: quod in iis ſe multa, ante incognita, atque alibi vix invenienda, reperturum putaret. Sed inanis ſpes erat: contra multa occurrebant indigna nobis, plura viri fama, humanitate, moderatione: ut tum aliquid contra eius tela moliretur, ſed negotiis diſtentus in aliud differret tempus. Reprehenſionem Muratorianam ita moderatur, ut res non hominem, præſertim mortuum, & bene de litteris meritum, notet. Mittit igitur acerbiora in Lutherum noſtrosque dicta: mittit ab eo præclaros liturgicos ſcriptores omiſſos, erroresque admiſſos, ad rem minus ſpectantes. Præterit quoque ſeptem capita priora, hiſtorica fere: etſi hic quoque multa dici contra poſſint. Unum modo, vel exempli cauſſa, caput tractat de *Origine Liturgiae Euchariſtiae univerſae*, quod in principio eſt operis: in quo Muratorius Petrum Brunum, nobilem rerum liturgicarum ſcriptorem, refellit, quod ante ſæcul. V. ſcriptas Liturgiarum formulas extitiſſe negaret. Erat vero Brunus Iuſtini M. teſtimonio uſus, dicentis, Antiſtitem pane, vino, aqua, allatis, *εὐχὰς καὶ εὐχαριστίας ἀναπέμπειν, ὅση δύναμις αὐτῷ*: cuius ultima verba Muratorius italice *per la ſua parte*, vel *ſeconde che a lui appartienne*, verterat. At vero hic Cel. Auctor monet, dicendi formas, *ὅση δύναμις*, ut *κατὰ δύναμιν*, nunquam aliter accepta eſſe, quam *pro modo virium*, *pro facultate*, ſive etiam *ſumma vi*, ut adeo ſæc. II. liberæ preces ſint putandæ. Deinde explicatis Cypriani, Baſilii, aliorumque locis, hanc facit ſummam cogitationum. Primis temporibus, cum Spiritus S. ſuggereret & *εὐχὰς καὶ εὐχαριστίας*, ſupervacaneas fuiſſe formulas precandi ſollemnes. Conſequentibus, adhuc calente rerum divinarum ſtudio, multos extitiſſe ſanctos, & in libris divinis tritos homines, qui vel repente, vel poſt commentationem aliquam, preces pronunciarent & gratiarum actiones, aptas eas ad animos commovendos. Hos precatos eſſe ſua ſponte, ut privatim domi, ſic in conventibus publicis, *ὅση δύναμις ἑκάστῳ*. Paullatim longe lateque propagata religione chriſtiana, & aucto propterea ſacerdotum numero, ardorem remiſiſſe, tum formularum ſcriptarum

Digitized by Google

ptarum natam eſſe conſuetudinem: ita tamen, ut iis quisque aliquid vel addere vel demere poſſet. His præmiſſis ad caput inſtitutæ diſputationis Antimuratorianæ progreditur: in quo ordinem ſervat a Muratorio deſcriptum, & Cap. I. demonſtrat, *Converſionem Panis & Vini, quam Romana Eccleſia defendat, Liturgiis antiquis non firmari.* Præfatur quædam de Conſecratione Euchariſtica, quam Romani contendunt fieri ſolis verbis: *hoc eſt corpus meum*, Græci vero negant, propterea acriter reprehenſi a Muratorio. Cum vero nec noſtri conſentiant ſatis in re hac controverſa, nec ſe expediant facile: pluribus oſtendit, difficultatem natam eſſe ab verbi *conſecrandi* ambiguitate, ea ſublata, rem expediri. Scriptores eccleſiaſticos duas ſubiicere voci ei notiones, alteram, qua res a profanis eximatur, alteram, qua rei vim, divinitus additam, declarent. Priori ſenſu conſecrationem eſſe in laudibus divinis & precibus: poſteriori, in ſolo præcepto & verbo Chriſti, idque dupliciter; ſemel, cum ante κοινωνίαν recitantur, quo ius percipiendi corporis & ſanguinis Chriſti declaretur: iterum in ipſa κοινωνίᾳ, cum panis & vinum ori ingeratur, verbaque Chriſti repetantur. Chriſtum enim verba: hoc eſt corpus meum, haud dubie tum, cum edere inciperent diſcipuli, dixiſſe. Veterem Eccleſiam uſurpaſſe priori ſenſu, atque idem exiſtimaſſe εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν. Conſequentem vero coepiſſe paullatim conſecrationis & benedictionis verbo aliter uti, & quidem poſteriore, quod Auguſtini loco confirmatur. Hanc theologos noſtros, Formulæ Concordiæ auctores, ſecutos. Quæ diſputatio, a Cel. Auctore pluribus facta, ad tollendam vulgarium libellorum confuſionem, omnino neceſſaria erat. Cum Muratorius diſputationis ſuæ duas faciat partes, alteram Calvinianis tantum oppoſitam, alteram nobis & illis, ut panis vinique μεταμόρφωσιν defendat eiusmodi, qua panis vinumque tollatur; priore prætermiſſo, poſteriorem armis ex litteris interioribus depromtis, debellat ita, ut eadem ſemper obiicientibus tandem aliquando pudorem iniiciat, ſtudioſos vero harum rerum ad notiones verborum ſolito ſubtilius eruendas acuat; & lucem affundat locis multis veterum ſcripto-

 rum.

rum. Tenebricoſam transſubſtantiationis originem reperit in monſtroſis veterum ſcriptorum verſionibus. Hæ enim in ſacris rebus longe maioris mali, quam in profanis, effectrices extiterunt: quod verba ſtolide ad Græcorum etymologiam efficta, iam diſſidia & turbas excitarent, iam ipſi ſuperſtitioni aperirent feneſtram, cum theologiſtæ, in talibus argutantes, nova dogmata procuderent. Sic *μεταβολῆς* verbum, quod primum occinitur nobis, tam late & varie dicitur, ut nihil ſit rerum humanarum in utramque partem, quod non *μεταβολῆς* verbo exprimatur a Thucydide, Polybio, Dionyſ. Halicarn. Ioſepho, aliis. Hinc *μεταβολὴν* non aſſequitur, niſi qui, ex propoſita formula, nominatim eventum docere poteſt. Apud Iuſtinum M. Apolog. ad Anton. p. 128. concoctio eſt: quod pluribus veterum locis probat, ut adeo in eo nihil præſidii eſſe queat ſententiæ Romanæ. Similiter expedit locum apud Cyrillum in Catech. Myſt. IV. *τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, κ. τ. λ.* tam impeditum, ut multos torſerit: quod non meram comparationem, ſed genus argumentationis, a pari ductum, collationem vocant, exhibeat, cui magna vis ineſſe ſolet. Idcirco ex ipſa rerum natura demonſtrat, in utraque parte non idem *μεταβολῆς* & converſionis genus eſſe. Nam ſubſtantiæ *μεταβολὴ* in aliam, non poteſt, inquit, niſi duobus modis fieri: quorum alter eſt, cum e materia alterius gignitur nova, alter, cum priore ſubſtantia ad nihilum per vim divinam reducta, eius in locum nova natura & ſubſtantia ſubſtituitur. Prius, addit, iniurium in Chriſtum fore: poſterius, non transmutationem panis in corpus Chriſti, ſed permutationem panis cum corpore Chriſti eſſe, incognitam univerſæ antiquitati. *Ἁγιάζειν* & *μεταβάλλειν* potius *συνώνυμα* eſſe, Cyrillo auctore. Idem ex antiquo Miſſali Ambroſiano, & a Saxio V. C. ad Muratorium miſſo, probat. De *Μεταμορφώσεως*, transfigurationis, & transformationis verbis concedit, Liturgicos & Eccleſiaſticos ſcriptores iis ſæpius uti: negat vero notionem ſubiicere, a Pontificiis uſurpatam. Parum abeſt, quin putet, totam transſubſtantiationis fabulam natam eſſe e Meta-

mor-

morphoſibus Ovidianis, quas theologiſtæ a pueris animo informatas, ad myſterium hoc transtuliſſent: cum tamen longe alia ſit & Chriſti, & Chriſtianorum in εἰκόνα DEI μεταμόρφωσις. Hic mirum nobis ſiſtit Muratorium, & turpiter ſe dantem, qui Romanæ transformationis commentum obſceniſſimo Neronis facinore in Sueton. Neron. C. 28. & fabulis ex Plinii Hiſt. Nat. VIII, 22. IX, 3. ſumtis, comprobaverat: neque feliciorem fuiſſe, docet, in transfigurationis deſcriptione Tertullianea commendanda heterodoxis, quam Pater ille *interemtionem priſtini* dixerat, *ut deſinat eſſe, quod fuerat, & incipiat eſſe, quod non erat.* Hæc enim neque transfigurationi Chriſti in Itabyrio monte, neque fidelium per fidem μεταμορφώσει, neque in Liturgiis obviæ, aptari poteſt. Transformationem nihil aliud eſſe quam ἁγιασμὸν, patet ex Miſſa S. Leudegaris Martyris, in qua ſacerdos orat: *ut deſcendat benedictio tua ſuper hunc panem & calicem in transformatione Spiritus S.* ut adeo ἁγιάζειν, μεταβάλλειν, & μεταμορφοῦν, ſynonyma ſint putanda. Idem de *transferre, tranſire*, μεταποιεῖν, γίνεσθαι, dicendum, quod accurate probat, monetque, ultimam dicendi formam a notiſſimis verbis Ioanneis, ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο, profectam eſſe, duabus de cauſſis: primum, quod ſcriptores antiqui myſterium hoc cum ἐνσαρκώσει comparent; tum, quod in ipſa illa comparatione, & alias, libentius prope carnem, quam corpus, dicant. His ita diſputatis, ut non ex Syngrapha agere videatur, ſententiam quoque Eccleſiæ noſtræ liturgiis quibusdam firmat, in primis loco plane evidente, ex Iacobitarum Liturgia apud Renald. T. II. p. 368. qui παράφρασιν verborum dominicorum continet: *Quotiescunque ſacrificio hoc divino reficiemini, & panem hunc manducabitis, calicemque hunc bibetis, ego in medium veſtri veniam ſuper thronum ſedens,* PANEMQVE ET VINVM PER VNIONEM ASSVMENS, *atque in patena & in calice habitabo.*

Altero capite comprobat, *in ſcriptis Patrum Eccleſiae nihil eſſe pro transſubſtantiatione, multa contra eam.* Hic non in congerendis Patrum locis, transſubſtantiationi adverſis, quod abunde actum ab Albertino, ſed in examinandis a Muratorio

Digitized by Google

allatis, occupatus eſt. Defendit primum Facundi, Hermianenſis Epiſcopi, locum e Defenſione trium Capitulorum IX, 5. ab interpretationibus adſeclarum Paſchaſii Calvinique, atque eo clare confirmari oſtendit ſententiam noſtram adeo, ut in explicando eo Muratorius repente factus ſit Lutheranus: cuius verba propterea ad fidem faciendam affert. Tum in fragmento ex Auguſtini ſermone ad Neophytos verſatur, in quo Berengarii ſectatores magnum cauſſæ ſuæ præſidium ponunt, & Muratorius cum Perronio contendit, in eo aliquid excidiſſe. Rurſus impeditum locum tractat e Catecheſibus Myſtagogicis: quem Muratorius ſi animadvertiſſet, multo magis dixiſſet: habes in meridie poſitam transſubſtantiationem Catholicorum. *φαινόμενος ἄρτος* & *οἶνος* non eſt ſpecies inanis panis & vini, quod Romani volunt, ad Philoſophorum *ἀγαθὰ φαινόμενα* & *ἀληθινὰ* reſpicientes: ſed aſpectabilis panis & viſibile vinum: nam in oratione populari, & ſacris libris, *φαινόμενα* ſemper ſunt viſibilia. In Ambroſii locis occurrunt verba mutationis, & transfigurationis, iam expoſita, neque dicendi forma, *benedictione natura ipſa mutatur*, ſubſtantiæ converſionem quandam ſignificat; cum Patres, Græci præſertim, diſertis verbis profiteantur, naturam panis & vini eam, quæ ſubſtantia dicatur, nequaquam mutari. Porro Chryſoſtomi verbis triumphat, atque uſurpat Muratorii illud: loci illius vim ita manifeſtam eſſe, ut abſurdum plane ſit, aliud ibi quid, quam Lutheranam ſententiam, quærere, eam non agnoſcere. Neque meris verbis utitur, ſophiſtarum in morem iactatis, cum res ipſa loquatur. Sed longior eſt *ῥῆσις*, quam ut hic ſummatim afferri queat. Addit Theodoreti locum, qui, *ſymbola*, inquit, *poſt conſecrationem non recedunt a ſua natura. Manent enim in priori ſubſtantia, & figura & forma, & videri tangique poſſunt, ſicut & prius.* Hæc, hæc, o Muratori, merito exclamat S. V. Auctor, conciliare debebas cum tua *μεταμορφώσει*: hic plane nullum effugium patet, nec ulla depravatio locum habet. Nam quam vulgo afferunt diſtinctionem inter externam internamque & naturam & ſubſtantiam, ea ad obruſſam veterum examinata, plane nulla

Digitized by Google

nulla eſt, & prorſus inepta. Neque verba veterum, *ſymbola facta ſunt corpus & ſanguis Chriſti*, Paſchaſianam converſionem probant: cum totus Theodoreti dialogus primus in hoc conſumatur, ut in γεγονέναι nullam converſionem ſubſtantiæ intelligendam oſtendat. Cum veteres dicunt, corpus Chriſti ἐν τύπῳ ἄρτȣ nobis dari: id veritatem & corporis Chriſti, & panis indicat, ſive cum aſpectabili & ſenſibili pane datur nobis inaſpectabile & non incurrens in oculos corpus Chriſti, quod tamen non minus verum & proprium eſt, quam panis ipſe. Rurſus in eandem ſententiam evidentiſſimo utitur Iuſtini M. loco: item Auguſtini & Theodoreti locis. Veritatem quoque corporis & ſanguinis Chriſti adverſus Reformatos confirmat ex eodem Iuſtini loco, atque argutias Albertini, Grabii, Salmaſii refellit, oſtenditque, ὃν τρόπον, ȣ̈τως καὶ plus quam ſimilitudinem qualemcunque, ſed æqualitatem referre: quod inde ab Iuſtini ætate doctores Eccleſiæ, perpetua ſerie, ex incarnatione Chriſti, naturam Euchariſtiæ, & contra ex hac naturam incarnationis, explicaſſent.

Capite III. comprobat, *ſacrificium verum ac proprium eſſe in Euchariſtia, antiquis nec Liturgiis nec SS. Patrum ſcriptis firmari.* Hic S. V. Auctor nihil eorum fecit, quod Muratorius reprehendit in aliis. Non de qualitatibus & ritibus veterum ſacrificiorum & victimarum diſſeruit, ad eludendam vim teſtimoniorum: neque ad ſuſpiciones confugit, de interpolationibus & ſupplementis Liturgiarum, earumque antiquitate, & αὐθεντίᾳ. Omnia pro antiquis, genuinis, puris, uti voluit Muratorius, probavit. Ex ipſis Liturgiis & conſuetudine loquendi, vel e ſacris libris ducta, vel paullatim in eccleſiam invecta, atque ex ipſis Liturgiis, cognoſcenda comparatione locorum ſimilium, ſecundum veras interpretandi leges, omnem diſputationem repetit. Cum Muratorius nil niſi farraginem locorum liturgicorum det, in quibus *ſacrificii, hoſtiae, holocauſti, immolandi*, item *offerendi* verba occurrunt, quaſi ſola hac commemoratione res confecta eſſet: duo illa, in quibus rei cauſſa continetur, inveſtigat, omiſſa a Muratorio: an verba ea proprie, an tropice dicantur, quorum illud Romani, hoc

Luthe-

Lutherani contendunt: deinde utrum ſint in parte ea Liturgiæ, quæ proprie eam, quam conſecrationem dicunt, continet, an in oblationis formula, quæ conſecrationem præcedit in Miſſæ Canone, pertinetque ſine controverſia ad naturale vinum & panem, & utriusque ad Euchariſticam ſacram deſtinationem. Atque hoc modo locum habere, pluribus probat: ut adeo nihil proſint cauſſæ Romanæ, quia in iſta oblatione nondum adeſt corpus & ſanguis Chriſti, etiam ex ipſorum ſententia: quin obſint etiam mirifice propterea, quod inde intelligi clare poteſt, ea verba tropice dici, nec ad corpus & ſanguinem Chriſti pertinere, atque porro tropice accipi poſſe, etiam ubi in conſecratione propria occurrunt. Hoſtiæ, ſacrificia, holocauſta, in Liturgiarum libris vocantur *dona, munera, oblationes.* Deus enim in iis rogatur, *ut ſuſcipiat, reſpiciat dona, munera, hoſtias, ſacrificia,* rel. Ex quo conficitur, ut hoſtiæ, ſacrificia, dona & munera ſint res eædem, habeantque hæc verba prorſus eandem poteſtatem. Iam vero dona hæc & munera non ſunt corpus Chriſti, quod iam ſacrificia & munera fidelium vocantur, iam munera Dei, creata a Deo in auxilium mortalitatis, h. e. ad vitam conſervandam: iam eiusmodi munera, quæ æſtimari noſtris meritis non debeant: iam oblationes & ſacrificia, quæ quisque de ſuo fecerit, ut alia mittamus. Ex ipſo conſecrationis carmine loca indicant modo, nos corpore & ſanguine Chriſti, ut coeleſti ſacrificio paſci: ſed nullo modo ſignificant, ſacerdotem corpus & ſanguinem C. immolare. Cum in Leonis libro dicatur, *ſacrificium immolari*, & immolare, Muratorius putet, *ſupponere victimam, eamque animatam:* monet S. V. Auctor, formas has loquendi e ſacris litteris ſumtas eſſe, in quibus vetus latina habeat e Pſalmi XLIX. verbis: *immola Deo ſacrificium laudis,* & quærit, an laus illa, quam Deus ſibi immolari iubeat, animal itidem ſit vivum & animatum; in eamque ſententiam affert plura, & tandem concludit, ſi hoſtiæ & ſacrificii nomine Liturgiarum auctores intellexere corpus & ſanguinem Chriſti, quomodo in Canone Gregoriano, aliisque Liturgiis, ſacerdos rogare Deum poſſit, *ut illud ſacrificium,* illam oblationem benedi-

nedictam ratam rationabilem facere dignetur, ut nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filii, domini noſtri I. C. Nam ſi ſacrificium iam verum eſt & vivum corpus I. C. perabſurdum eſt rogare, ut fiat corpus I. C. Eadem ratione verſatur in Liturgiis Græcis, a Muratorio allatis, in quibus hic peccavit idem. In his λογικὴ λατρεία preces & ſupplicationes ſunt: τίμια δῶρα, a Chriſtianis allata, non oblata a ſacerdote conſecrante. Impeditum vero locum in Liturgia Chryſoſtomi (apud Renald. T. I. p. 94.) facile expedit ex Liturgia Iacobitarum Syrorum, in qua hæc ſunt: *Deus, tu factus es ſacrificium,* (ſcil. pro nobis in cruce) & tibi ſacrificium offertur: (laudum & precum) ſuſcipe hoc ſacrificium. In Orientalibus Liturgiis afferendis non felicior fuit Muratorius, quarum loca plurimum ex formulis precum, conſecrationem antecedentium, ſunt, &, quod non parum confert ad cauſſam noſtram, ductæ e Græcis, atque adeo ex his intelligendæ. Hinc quod ſacrificium *tremendum* dicunt, id Græcis φοβερὸν *venerandum eſt,* a Cel. Auctore ex Hebraiſmo explicatum. In Liturgia S. Baſilii Græcoarabica dicit ſacerdos, *tibi obtulimus* (non ſolus ſacerdos, ſed omnes λειτουργοῦντες) *incruentum ſacrificium, immaculatum corpus & pretioſum ſanguinem magni Dei & Salvatoris I. C.* quæ hanc vim habent: obtulimus tibi panem & vinum cum laudibus & precibus, quibus ſumendis accepimus corpus & ſanguinem I. C. beneficio tuo. Nam ſimili forma dicitur in Liturgia S. Gregorii Alexandrina, *dignum me fac adſtandi ſanctae huic menſae, & conſecrandi immaculatum corpus tuum rel.* & in Liturgia Iacobitarum orat ſacerdos Deum, *ut offerat ei ſacrificium vivum,* (eſt λογικὴ λατρεία) *ſimile* (non idem, quod volunt Romani) *ſacrificio eius glorioſo.* Similiter loca difficiliora ex Coptica Liturgia & Miſſa S. Baſilii explicat. Ignorantiam Dialecticam, quam Buddeo, Pfaffio, aliisque noſtratibus, obiecit Muratorius, nullo negotio purgat: cum viri docti illi vim ſilentii in monimentis ſcriptorum non ignorarent, neque propter id ſolum aliquid pro falſo repudiarent. At vero ſilentium omnium ſcriptorum in re, de qua tam ſæpe, tam clare loquuntur, cuius totam naturam & rationem ex

inſtituto explicant, quæ eſt eiuſmodi, ut eam nullo modo tacere debuerint, hoc ſilentium putant, unanimi conſenſu prudentiorum, valere. Traditio Irenæi, & in univerſum παραδιδόναι, eum de dogmatis dicitur, ſemper vel diſciplinam vivi, vel libros mortui ſignificat: in præteritis vero rebus ſemper de monimentis litterarum intelligitur, nunquam de fama & ſermone hominum. Miratur Muratorii obſervationem mirabilem, qua Paullus Apoſtolus perſpicui erroris coarguitur ratione ſacrificii in S. Coena. Præclare itidem vindicat locum Malach. I, 10. & Tertulliani de oratione, in quo Rigaltius *ſacrificiorum orationes* preces recte intelligi monet: Cypriani vero in Epiſt. LXIII. confert cum loco Auguſtini Libro X. de Civitate Dei, & addit: Euchariſtiam propter ἀνάμνησιν Chriſti mortui, & ſacrificii eius in cruce peracti, paullatim coeptam eſſe dici ſacrificium, initiumque eius factum in Eccleſia Africana, & fortaſſe per ipſum Cyprianum, nimis amantem tropos duros, Hyperbolas etiam, & inſolentes loquendi modos. Ipſum Chryſoſtomum durius interdum loqui in libro de ſacerdotio: qui tamen in ſermone XVII. ad Ep. Paulli ad Ebr. ſatis perſpicue de ſacrificio corporis & ſanguinis C. in S. Coena exponat, ut ad hanc normam verba reliquorum veterum doctorum ſint interpretanda. Sub finem capitis monet, ſe credere Chriſtum aquam admixtam vino dediſſe apoſtolis, & apoſtolos idem feciſſe, & nihilominus Lutherum recte feciſſe in aquæ uſu tollendo: quod Orientis, Græciæ, Africæ, Italiæ gentes non aliter vinum tum biberent, & nos hoc ſine aqua bibamus.

Cap. IV. quo, *Adorationem Euchariſtiae, Liturgiarum & Patrum Eccl. auctoritate non firmari*, vincit, concedit quidem, *Adorationem*, προσκύνησιν, & ſimilis poteſtatis verba in Liturgiis & eccleſiaſticorum ſcriptorum libris de Euchariſtia occurrere: ſed pluribus oſtendit, verba illa non neceſſario & ſemper pertinere ad honorem eum, qui divinæ naturæ debeatur, ſed cuiuscunque honoris ac reverentiæ ſignificationem poſſe habere: orientales gentes procliviores fuiſſe occidentalibus ad procumbendum in terram, rel. Falſiſſimum eſt, veterem

Digitized by Google

terem Eccleſiam uſurpaſſe adorationem Deo propriam, vel in Euchariſtia ad ſacrificuli verba: hoc eſt corpus meum, vel extra Euchariſtiam, cum panis, ſuper quem iſta verba pronuntiata ſunt, conſpicitur uſpiam. Maximi momenti habendum ſilentium Iuſtini M. qui omnes ritus euchariſticos narrat, nec hunc, ſi tum uſitatus eſſet, taciturus erat. Neque ullum eius veſtigium eſt in utroque Ordine Romano; nam in hoc adorare & ſalutare ſynonyma ſunt, Diaconi altaris latera, & Pontifex altare, ſalutare dicuntur, nuſpiam populus. Πϱοσκύνησις autem in Chryſoſtomi Liturgia populo tributa, facta conſecratione, oſtenſoque ei pane conſecrato, non pertinet proprie ad panem vinumque conſecratum. Cum enim cultus divinus publicus, privatus, duabus rebus contineatur, videlicet laudibus divinis celebrandis, & precibus ſupplicationibusque faciendis: & Liturgia Euchariſtica, totum fere publicum cultum tum temporis conficiens, hæc duo haberet: in parte priore, læta hilarique, ſteterunt Chriſtiani vultu erecto, in altera, mentis ſubmiſſionem & triſtitiam poſtulante, capita inclinaverunt: quod teſtimoniis indubiis docet.

Cap. V. agit *de Confeſſione Peccatorum, quam Romani etiam Angelis & caeteris coelitibus fieri volunt.* Hanc Muratorius priſco exemplo probare non poteſt, ad allatum tamen a Binghamo in contrariam prorſus partem nihil monet: ut recte Ciceronis illud ipſi obiiciatur: eſt ridiculum ad ea, quæ habemus, nihil dicere, quærere quæ habere non poſſumus. Aliud quoque eſt confiteri Angelis & coelitibus, aliud coram angelis & coelitibus confiteri, quod quoque a Paullo factum. Poſterior & recentior ætas dixit etiam confiteri peccata iis, quibus teſtibus, & in quorum conſpectu, vel præſentia, deprecatio fieret, unde & coram altari, & reliquiis ſanctorum confitentes inducuntur non minus inepte, quam coram coelitibus. De uſu candelarum inter Euchariſtiam, etiam a poſteris probatam, non magnopere pugnat: a Muratorio tamen monitum, ſine luminibus peractam non fuiſſe poſtremam Salvatoris coenam, negat, quod Paſchales coenæ tota amplius hora ante ſolis occaſum agitatæ legantur. Oblatio a Luthero

Digitized by Google

graviſſima de cauſſa abolita eſt. Hæc enim cum priſca ætate laudes Dei cum gratiarum actione ſignificaſſet: ſequiore ipſius Chriſti corporis & ſanguinis, pro peccatis quotidianis vivorum & præteritis mortuorum oblatio falſo eſt dicta, quippe adverſa ſacris litteris, impietatis, ſecuritatisque improbæ & licentiæ peccandi mater. Ridet deinde Cel. Auctor linguæ latinæ maieſtatem, eam ſcil. ſine ſenſu & intelligentia in Euchariſtia, quæritque, ſi dignitas e linguæ uſu Euchariſtiæ accedere poſſit, cur non ſyriaca potius aut græca adhibeatur? In Canone miſſæ explicando & inprimis verbis iis, quibus Deus rogatur, ut *dona oblata propitius accipiat, ut quondam munera Abelis, Abrahae, Melchiſedeci,* plane mirabilis eſt Muratorius: ipſi enim *dona* iam panis & vinum ſunt, iam corpus & ſanguis Chriſti, iam votum & ſupplicatio, iam alimenta humana, ut nullus Vertumnus tam varias ſumat figuras.

Cap. VI. *Supplicationes coelitibus in Eccleſia Romana, & pro mortuis fieri ſolitas, recte in Auguſtanae Confeſſionis formula repudiari, nec firmari antiquis Liturgiarum formulis*, docetur. Explicata Muratorii ſententia, dat ipſi S. V. Auctor, pro coelitibus & ſanctis ſupplicationes factas non eſſe: at vero, quod alterum eſt, preces pro fidelibus vita functis, ut a Purgatorii cruciatibus liberentur, oſtendit, ſine Patrum & Liturgiarum teſtimoniis, & contra ſacrarum litterarum præcepta, inculcari. Hic primum verba Liturgiæ Gregorianæ, tantopere iactata a Muratorio, explicat, quibus rogatur Deus, *ut omnibus in Chriſto quieſcentibus* locum refrigerii, lucis & pacis indulgeat, & locum Tertulliani notum e libro de Monogamia: ubi refrigerium animæ cum Αναψύξει & כמחה confert, unde latinum expreſſum eſt: monet quoque, Eraſmo conſentiente ad 1 Corinth. XV. verba Liturgiæ potiſſimum pertinere ad opinionem, quam veteris eccleſiæ doctores multos defendiſſe conſtat, videlicet, animos piorum non ſtatim a morte in coelum evolare, ſed venire in locum coelo inferiorem, non ut ibi purgarentur a reliquiis peccatorum, ut volunt Romani, ſed ut ſit, Tertulliano auctore, *temporale animarum fidelium receptaculum, in quo delineetur futuri* (h. e. coele-

Digitized by Google

coeleſtis felicitatis) *imago*, & quod *in ſinu Abrahae refrigerium* quoque dicunt: ut etiam, hac ſumta ſententia, preces pro mortuis nullæ aliæ eſſe poſſint, quam bona omina & congratulationes, non vero preces, quas proprie dicimus. Nam in locum eum fidelibus aditum parari per preces, nemo Patrum ne ſomniavit quidem. Hinc diſcrimen, quod Muratorius urget, precum pro *ſanctis*, h. e. in coelum receptis, & *fidelibus*, quos purgatorii ignis cruciatibus addicit, ut illis proſint ad honorem, his ad ſalutem, hoc prorſus ineptum atque abhorrens a ſacrorum librorum diſciplina reperitur. Idem dicendum de precibus, quæ in eccleſia romana fiunt mortuis in choro ſanctorum apud Deum agentibus. Eos quidem ſupplicare Deo pro ſalute generis humani, pro eccleſia, ſua ſponte, & non rogatos, credimus: ſed inde nulla precum noſtrarum ad eos neceſſitas oritur, præſertim cum nullo modo demonſtrari poſſit, & factas has eſſe preces in priſca eccleſia, & fieri debere, e ſacris litteris, & quomodo ſcientia precum earum perveniat ad ſanctos.

Cap. VII. tandem, *Pani Conſecrato poſt Euchariſtiae ſollemnia male honorem divinum haberi, probat*, non tam neceſſitate ductus, quod hic honor, confutata adoratione inter ipſa conſecrationis ſollemnia, ſponte corruat, ſed ne quam partem diſputationis Muratorianæ prætermiſiſſe videatur. Inter omnes conſtat, in vetere eccleſia, cum pii homines plurimum panis vinique afferrent in Euchariſtico ſuo, idque omne conſecraretur, eius interdum magnas reliquias factas, easque abſentibus, pauperibus præſertim, miſſas eſſe, cum pecuniaria quadam beneficentia, neque primis ſex ſæculis diſceſſum ab hac diſtributione reliquiarum. Deinceps labente diſciplina, reliquiæ ſervatæ ſunt in templis, eiusque *Secretario*, quod vocant Ordines Romani, haud dubie reverentia quadam, & ut eius uſus in proximo Euchariſtico ſacro eſſet: in aliis locis igni aut alio modo abolitæ. Hunc ultimum morem mirabili prorſus ratione Muratorius cum Μεταμορφώσῃ conciliare conatur. *Species quidem Euchariſticas deſtrui*, auctor eſt, *ſed inde nihil officí incorruptibili Domini corpori*: quo quidem nulla

maior pugna rerum unquam defenſa eſt, propterea a S. V. Auctore ante oculos poſita. Similis repugnantia occurrit in alia Muratorii ſententia, qua veteres, ex ipſo illo vitio, quod contraxiſſet panis, collegiſſe putat, *corpus Chriſti a pane illo receſſiſſe*, itidem in lucem prolata. Defenditur quoque noſtratium ſententia, qua extra uſum negant cum pane corpus Chriſti coniunctum eſſe, & Cyrilli Alexandrini huc ſpectantia verba explanantur.

Sed finienda eſt præſtantiſſimi operis enarratio, cui ſolito diutius immorati ſumus: quod hoc maiorem caperemus in libro perlegendo voluptatem, quo excellentius ſiſtit divinæ artis criticæ exemplum, ut hæc in eo, quid efficere poſſit, videatur experta.

IO. LAUR. MOSHEMII, ACAD. GEORGIAE AUGUſtae Cancellarii, Inſtitutionum Hiſtoriae Eccleſiaſticae antiquae & recentioris Libri Quatuor, ex ipſis fontibus inſigniter emendati, plurimis acceſſionibus locupletati, variis obſervationibus illuſtrati.

Helmſtadii 1755. apud Chriſti. Frid. Weygand, Alph. 5. plag. 21. 4. mai.

Vltimum fuit ante obitum Viri magni, hoc præſtans & ampla ornandum laude opus, quo ſe ipſum Auctor doctiſſimus ſuperavit. Satis ſunt dudum notæ orbi erudito, & exceptæ cum plauſu, quæ diverſis prodierunt editionibus forma octava, *Moshemii Inſtitutiones Hiſtoriae Chriſtianae*, cum *antiquioris*, tum *recentioris*. Quarum prius Volumen his in *Actis ad A. 1727. Menſ. Iun. p. 261.* & repetita editione deſcripſimus *ad A. 1738. Menſ. Aug. p. 476.* poſterius Volumen *ad A. 1743. Menſ. Ianuar. p. 26.* commemoravimus. Diſtractis dudum exemplaribus, homines non defuerunt eruditi qui peterent, eas ut denuo *Moshemius*, paullo ſed ampliores locupletioresque, in lucem proferret. Reſiſtebant tum alii labores graves, moræ impatientes, nolebatque Auctor perſpicaciſſimus librum prodire, partibus quibusdam man-

Digitized by Google

mancum. Superatis vero his laboribus, paſſus ſe eſt expugnari, ac difficile opus biennio integro non ante deſtitit urgere, quam perficeret. Comparent igitur hæ *Inſtitutiones Hiſtoriae Eccleſiaſticae*, cum *antiquioris* tum *recentioris*, uno Volumine forma quarta: mutatæ correctæque comparent, & luculentis ſcriptorum teſtimoniis, veterum pariter ac recentiorum, fide dignorum omnium, ita declaratæ, ut maxima ſui parte differant a prioribus. Ordinem quidem quem olim adhibuit, illam rerum in certas claſſes diſtributionem, utpote valde commodam diſcentibus, Auctor non ſuſtulit, Hiſtoriam univerſam denuo complexus *Libris quatuor*. In *primo* libro, res ab ortu religionis Chriſtianæ usque ad *Conſtantinum M.* geſtæ, hoc eſt a Sæculo primo usque ad tertium, explicantur. In *ſecundo*, fata rei Chriſtianæ, a *Conſtantini M.* ætate usque ad *Caroli M.* tempora, a Sæculo nempe quarto usque ad ſeptimum, exhibentur: In *tertio*, res ſacræ, a *Caroli M.* temporibus ad inſtauratam a divo *Luthero* religionem, a Sæculo octavo ad decimum quintum geſtæ, enarrantur. In *quarto* denique, hiſtoriæ religionis, a tempore per b. *Lutherum* inſtauratæ, ad noſtram usque ætatem, comprehenduntur. Præterea neque Methodum priſtinam immutavit, in limine ſive *Praeparatione* (quam ita dixit,) Operi præmiſſa, expoſitam. Conſiderat enim coetum Chriſtianorum tanquam civitatem: huic multa primum *extrinſecus* eveniunt, multa contingunt *in ipſo ſinu eius*, quæ ſaluti eius vel proſunt vel obſunt. Itaque rei Hiſtoriam Chriſtianæ uniuscuiusque Sæculi in *externam* atque *interiorem* diſtribuit. In priori parte, hiſtoriæ *externae* deſtinata, recenſentur *Cap. I.* fata *proſpera* civitatis Chriſtianæ, & *Cap. II. adverſa*. In poſteriori, qua *interior* hiſtoria deſcribitur, ſiſtitur *Cap. I.* ſtatus literarum & eruditionis; *Cap. II.* hiſtoria doctorum & formæ civitatis Chriſtianæ; *Cap. III.* hiſtoria doctrinæ; *Cap. IV.* rituum & cerimoniarum; *Cap. V.* ſeditionum ſacrarum ſive hæreſium. Quæ methodus quum per omnia Sæcula obſervata ſit, inde patet, *formam* libri priſtinam incolumem relictam eſſe.

Digitized by Google

Sed eo luculentius libri *materies* aucta eſt exornataque, & commodis utentium reddita aptior. Princeps fuit Auctori cura, ut fidem narrationi & auctoritatem compararet. Ergo ipſos fontes e quibus haurienda eſt, ſcriptores nempe ætatum omnium optimos, ac rebus de quibus exponunt aut æquales aut vicinos, conſuluit, & quæ in illis invenit, perſpicue retulit nervoſeque. Abiit more ab illo, quem fatetur & ſe olim in multis ſequutum eſſe. Solent enim plerumque, qui Hiſtoriarum breviores conficiunt libros, maiores aliorum longioresque Commentarios contrahere; ex quo fit, ut errores, quibus Opera magnæ molis abundant, uno ex libro migrent in alios. Noſter itaque vigilantia magna adhibuit teſtes, qui diligentia præſtare & fide ceteris putantur, eosque legit & contulit inter ſe. Sed quum & hic reperiſſet amplam occaſionem addendi ubique, demendi, & corrigendi, inde factum, ut hoc ſtudium Hiſtoriam puram exhibendi, multas mutationes & acceſſiones pepererit per totum librum. Nuſquam vero maiores atque inſigniores contigerunt mutationes, quam *libro tertio*, qui res Chriſtianorum, maxime Latinorum, a *Carolo M.* ad inſtauratæ per *Lutherum* religionis tempus, complectitur. Acute enim iudicat Auctor perſpicax, hanc partem Hiſtoriæ Chriſtianæ tantum nitoris & perſpicuitatis, quantum ceteras, habere nondum. Nam pauci horum temporum ſcriptores ſunt tolerabiles: terrent omnes aut ſtili barbarie aut ignorantia: multi partium ſtudio corrumpunt verum: quidam nondum editi ſunt. Hæc etiam eſt cauſſa quare ab eruditis viris, ipſis adeo his quos Romana laudat eccleſia, *Baronio*, *Raynaldo*, *Bzovio*, *Manriquezio*, *Waddingio*, aliis, multa ſint in hac parte Hiſtoriæ Chriſtianæ omiſſa & minus feliciter tradita. Itaque valde meruit Auctor de Hiſtoria Chriſtiana *medii aevi*, quod accuratiorem ſectatus cognitionem, partim plurima attulit certiora his quæ vulgo traduntur, partim alia obſcure cognita digeſſit aptius, & fabulas quasdam expulit. Hæc intelligent, quibus placuerit, ea, quæ de *Conſtantini* donatione, de *Catharis* & *Albigenſibus*, de *Beghardis* & *Beguinabus*, de *fratribus & ſororibus liberi ſpiritus*,

Digitized by Google

ritus, de *Fratricellis*, de litibus *Franciſcanae* familiæ cum Romanis Pontificibus, de *Berengarii* cauſſa, de *Lollhardis*, & aliis rebus diſputavit, legere, atque cum illis, quæ tot libris de his memoriæ prodita ſunt, conferre.

Hoc pulchrum opus etſi etiam nullis, quam his, ornatum immutationibus prodiiſſet, poterat tamen eximias reportare laudes ad omne ævum, & alios viros doctos ad perſequendum hoc conſilium, atque perficiendam eccleſiæ hiſtoriam Latinæ excitare. Sed alia inſunt multo plura, quæ ferent ſuffragia intelligentium. Attulit enim Auctor ὁ μακαρίτης gratum & utile munus rei eruditæ, quod Opus hoc retractatum iuſſit eo modo in lucem redire, ut non doctoribus tantum, verum etiam his, quos iuvat ſine doctore rerum hiſtoriam Chriſtianarum diſcere, inſerviat. Quocirca addidit non pauca, prioribus in editionibus prætermiſſa; quæ obſcurius erant enuntiata, latius explicavit; & parum diſtincte olim tradita, perſpicuitatis & ordinis ſubiecit legibus. Hiſtoria calamitatum, quas Chriſtiani primorum ſæculorum ſubierunt, diligentius hic quam vulgo fit, veritatique convenientius exhibita eſt: ſectarum ortus & progreſſus accuratius demonſtrati: variæ formæ religionum, variæ controverſiæ ac diſputationes de rebus ſacris, quantum fieri potuit, clarius quam antea declaratæ: de rebus & conatibus Romanorum Pontificum a *Caroli M.* inde tempore, ſtudioſe actum eſt. Mittimus reliqua. Poſſunt ſane, qui nequeunt ex inſtituto tractare hiſtoriam Eccleſiaſticam, & claram tamen rerum certarum aut eventuum deſiderant cognitionem, ad hunc librum *Moshemii*, tanquam ad promtuarium quoddam, confugere. Dabit ille non modo tantum, quantum ſatis eſt iis ſcire, verum etiam unde maiorem ſibi, ſi velint, petere notitiam poſſint, auctores monſtrabit.

Ut vero etiam ſpecimina quædam ſubiiciamus ex ſpecialiori tractatione; uno alteroque documento, quænam ſint obſervata peculiariter Auctori celeberrimo, comprobabimus. Perſiſtemus in *Hiſtoria medii aevi*, & ex illis quæ ſupra nominavimus, delibabimus quædam. Notum eſt, magno defendi auſu

X a Pon-

Pag. 298. ſq. a Pontificibus & eccleſia Romana illam celebrem, ſed omnino fictam, *Conſtantini M.* donationem, quaſi Imperator, quum ſedem imperii transferret Conſtantinopolim, Romam & ditiones finitimas, Eccleſiæ poſſidendas & regendas tradidiſſet. Eam donationem ſæculo fortaſſis *decimo* fuiſſe compoſitam, plerique ſunt viri docti qui exiſtimant. Eſt vero nova quædam & ea valde memorabilis obſervatio *Moſhemiana*, quod arbitratur, has fictas Tabulas ſæculo iam *octavo* extitiſſe. Evincit nimirum, *Hadrianum I.* Pontificem, & ſucceſſorem eius *Leonem III.* his uſos fuiſſe Tabulis ad permovendum *Carolum Magnum*, mox Imperatorem Occidentis & Dominum Romæ factum, ut is Eccleſiæ Romanæ, tam urbem Romam, quam eius tractum, in clientelam daret. Huius auctorem opinionis adducit ipſum *Hadrianum* in *Epiſtola ad Carolum M.* quæ *Codicis Carolini undequinquageſima* & lectu eſt digna in *Muratorii Rerum Italicar. Scriptor. T. III. P. 2. p. 194.* Exhortatur in ea *Hadrianus Carolum M.* ut quæ donata olim *S. Petro* & Eccleſiæ Romanæ eſſent, omnia ei reſtitui iubeat. Diſtinguit vero clariſſime donum *Conſtantini M.* a donis reliquorum Imperatorum ac Principum. Diſtinguit item a dono *Pipini*, ſive ab Exarchatu; nec non a dono, quod *Carolus M.* muneri patris *Pipini* adiecerat. Ex quo recte concluditur, *Hadrianum* Pontificem per donum *Conſtantini M.* urbem Romam & terras ei ſubiectas intellexiſſe. Verba *Epiſtolae* omnino clara, ſed ſunt eadem etiam longiora quam quæ huc transſcribantur. In hac *Epiſtola* denique addit *Hadrianus*, illas omnes donationes Lateranenſi in Tabulario cuſtodiri, & ſe miſſurum eas eſſe per legatos ad *Carolum.* Ergo & iam tum illa *Conſtantini* donatio erat compoſita, & extabat cum reliquis in ſcrinio Lateranenſi, unaque cum iisdem ad *Carolum M.* mittebatur.

547. ſqq. Sed ad alia pergemus. Sæculo *tertio decimo* nuſquam maior hæreticorum copia, quam Narbonenſi in Gallia verſabatur; his enim tum alii, tum inprimis *Raymundus VI.* Comes præpotens Toloſanus, perfugium præbebat. Quapropter ſub initium huius Sæculi, *Innocentius III.* Pont. Max. legatos,

Rayne-

Raynerium, & *Petrum de Caſtronovo*, ſive *Caſtelnau*, ſermone vulgi *Inquiſitores* dictos, mittebat, ut provincias Toloſanas Gallicasque ab hæreticis purgarent, & quos non poſſent rationibus, hos gladio & poenis vincerent capitalibus. Poſt illa *Gregorius IX.* conſtituebat Toloſæ *Inquiſitores haereticae pravitatis* primos, *Petrum Cellani* & *Guil. Arnaldum:* a quo tempore formidoloſum illud *Inquiſitionis* tribunal incipiebat, & *crux praedicabatur*, (ita enim fert ſermo huius ætatis,) in Gallia univerſa. Præcipue magnus exercitus *crucem praedicantium* crudeliter gerebat bellum ſacrum contra Hæreticos, qui communi nomine *Albigenſes* dicebantur. Atque de hoc nomine *Albigenſium* obſervat *Moshemius* varia, ab aliis huc usque obſcure & partim falſe expoſita. Nimirum verior ſententia redit eo. Nomen *Albigenſes* duplicem habet poteſtatem, aliam *latiorem*, aliam *anguſtiorem*. *Latiori ſenſu* omnes varii generis hæretici, qui ſæculo tertio decimo conſederant in Gallia Narbonenſi, *Albigenſes* nominantur. Nam *Petrus Sarnenſis*, coævus auctor, in *Dedicatione Hiſtoriae* ſuæ *Albigenſium* ad *Innocentium III.* (quam *Hiſtoriam Nicolaus Camuſatus* primum edidit Trecis 1615. in 8.) ſcribit in hunc modum: *Toloſani, & aliarum civitatum & caſtrorum haeretici, & defenſores eorum, generaliter* Albigenſes *vocantur.* Vocabantur autem hæretici Galliæ totius *Albigenſes*, non ſane ab *Albigia*, urbe agri Toloſani; quemadmodum ſententia quidem eſt prope omnium recentiorum: ſed potius, ut *Moshemius* oſtendit, ideo, quia maxima pars Galliæ Narbonenſis hac ætate *Albigeſium* vocari ſolebat. Provocavit enim in ea cauſſa ad teſtes accuratos, *Monachos Benedictinos*, qui in libro *Hiſtoire generale de Languedoc*, *T. III. Not. 13. p. 552.* id ſollicite demonſtrarunt. *Anguſtiori* vero *ſenſu*, *Albigenſes* ſunt hi, qui alioquin *Cathari, Pauliciani, Bulgari* in Italia appellantur, homines ad diſciplinam *Manichaeorum* propius accedentes. Id conſtat cum ex aliis monumentis, tum inprimis ex *Actis Inquiſitionis Toloſanae*, a *Phil. Limborchio* editis, in quibus *Albigenſes* diligenter ab aliis ſectis ſegregantur.

Digitized by Google

Pag. 551. ſqq. Non obſtante *Inquiſitorum* ſeveritate in hæreticos, impediri tamen non potuit, quominus aliæ novæ pernicioſæque ſectæ orirentur. Harum non fuit poſtrema, ſecta *Fratrum & Sororum liberi ſpiritus*, quæ & ipſa per Galliam vagata omnem, multos pariter in Italia Germaniaque trahebat in ſuas partes. Nova denuo, & multa protulit fide digna de his Fratribus ſororibusque, *Moshemius*. Deſumſit, quæ narravit, documentis e certis, magnam partem ineditis, ex Conciliorum decretis Gallicorum & Germanicorum, Pontificum ex diplomatibus, *Inquiſitorum* ſententiis, aliisque, quorum multa in eius manus inciderunt. Excerpta habuit ex quibusdam libris horum hominum, & inprimis ex libro MSC. *de novem rupibus ſpiritualibus*, quem Fratres maxime laudabant: qui vero liber differt ab illo *de novem rupibus*, ab *Henrico Suſone*, celebri inter Myſticos auctore, ſcripto, interque Opera eius a *Laurentio Surio* edito. Nos, agite, quædam afferamus. *Fratres & ſorores liberi ſpiritus* aſciverant ſibi nomen ex verbis *Paulli, in Epiſt. ad Rom. Cap. VIII. verſ. 2. & 14.* atque veros Dei filios in plenam a Lege libertatem aſſertos eſſe diſputabant. Germani & Belgæ eos *Beghardos* & *Beghardas* nominabant, quod nomen omnibus maiorem ſolito pietatem profitentibus commune erat. In Gallia *Beghini* & *Beghinae* vocabantur: a populo etiam *Turlupini*, cuius nominis tamen fatetur *Moshemius* ſe neſcire originem, nec ſibi ſatisfacere quæ *Iſaacus de Beauſobre*, Diſſ. *ſur les Adamites, P. II. p. 384. ſq.* de *Turlupinis* diſſeruiſſet. Quo auctore, quove loco ac tempore hæc Secta nata ſit, non clare conſtat. Exiſtimat Noſter, eam ex Gallia & Italia pulſam, in Rhetiam migraſſe; Italiam autem ut multas alias factiones, ita etiam hanc genuiſſe. Quod vero ad mores atque placita Sectæ attinet, clariora dedit. Nempe diſcurrebant hi *Fratres liberi ſpiritus* per urbes, perque agros; nam labores, dicebant, aſcenſum mentis in Deum impedire. Mulieres ducebant ſecum, nomine *Sororum;* cum iis familiariter vivebant, & hanc ob cauſſam in Germania *Schweſtriones* appellabantur. Profitebantur rigidum quoddam *Theologiae Myſticae* genus, ſuperſtru-

Digitized by Google

ſtructum præceptis, a *Pantheiſtarum* impietate non remotis. Ex Deo manaſſe cuncta: cuncta in Deum reditura. Omne quod eſt, Deum eſſe formaliter; & hominem perfectum, eſſe Chriſtum per naturam. Multa eſſe poetica in Evangelio, quæ non ſint vera; & homines credere magis debere conceptibus ex ſua anima profectis, quam Evangelio. Cultum Dei externum, preces, ieiunia, baptiſmum, ſacram coenam, puerorum dicebant elementa, quibus homo, ipſum in Deum translatus, non indigeat. Melius quidem alii aliis, quidam vero & peius viciſſim ſentiebant. Erant enim, qui ſaltem ſpretis Monachorum regulis, perſuadebant Sanctimonialibus, *ut ſine regula viverent: melius ſic Deo ſerviri poſſe per libertatem ſpiritus.* Vid. *Mart. Cruſius, Annal. Suevicor. P. III. ad An. 1261. p. 99.* Verum & alii erant, ſtulte non minus quam periculoſe pii, qui contendebant, naturæ inſtinctus exturbandos, & ſtuporem quendam ſanctum divinumque in mentes inducendum eſſe. Igitur hi, veſtibus abiectis, celebrabant nudi conventus ſecretiores, & eodem cum ſororibus lecto cubabant. Pudorem enim dicebant ſignum eſſe mentis, ad divinam naturam nondum revocatæ; & qui adhuc ſentiret ſtimulos naturæ, vel tactu aut aſpectu ſexus alterius inflammaretur, eum longius a Deo diſtare. Et quæ ſunt alia. Atque hæc ex pluribus decerpta, adducere tamen paullo fuſius placuit, quoniam vulgo & neſciuntur, & libri, e quibus deſumta ſunt, niſi ab iis qui *Moshemio* ſimiles ſunt, id eſt a pauciſſimis, cognoſcuntur.

De ſecta & nomine *Lollhardorum* multi quidem ſcriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ diſſeruerunt, ſed nemo ita, ut vel a fide laudari vel ab accuratione poſſit. Hoc tanto aſſeverare confidentius potuit *Moshemius*, quoniam ex inſtituto inquiſiverat in res *Lollhardorum*, materiamque ex monumentis editis & ineditis collegerat, ex qua Hiſtoria eorum componi poteſt. Scriptores ſunt prope omnes, qui affirmant, *Lollhardos* fuiſſe ſectam peculiarem Sæculo decimo quarto, ab Eccleſia Romana diſſidentem, & *Wiclefi* ſequentem dogmata. Parentem faciunt ſectæ *Waltherum Lollhardum*, Coloniæ eo ſæculo com- Pag. 589. ſqq.

 buſtum,

buſtum, ad *Iohannem Trithemium* auctorem provocantes. At enim vero doctiſſimus Auctor noſter hæc omnia in dubium vocat: *Trithemius*, ait, *certiſſime nihil reliquit horum ſcriptum.* Denique effecit, ut etiam in hac parte, Hiſtoriæ Chriſtianæ ſtudioſi vero convenienter ſentire poſſint. Scilicet I.) vocabulum *Lollhard* ſeu *Lullhard* compoſitum eſt ex antiquo Germanico *lollen* ſeu *lullen*, (quod ſignificat *voce ſubmiſſa canere,*) & ex nota terminatione *hard.* Manet in lingua Anglorum vox, qui dicunt *lull a ſleep,* id eſt *obſcuro cantu ſomnum alicui conciliare.* Vid. *Franc. Iunii Etymolog. Anglican.* ab *Eduardo Lye* Oxonii editum, voce *Lollhard.* Apud Germanos ſono mutato *lollen* idem eſt quod *lallen,* balbutire. Quemadmodum igitur verbum *Beggen* ad preces tractum, ſignificat *fervide Deum precari;* ita etiam *lollen* translatum ad cantum ſacrum, idem eſt quod *ſacrum carmen canere.* Atque hæc duo vocabula, *Beghardus* & *Lollhardus,* in monumentis antiquis ab undecimo inde ſæculo eiusdem ſunt poteſtatis, ac notant hominem *pietate inſignem, precantem, & Deum carmine celebrantem.* Eam vim vocabuli perſpexit huius ſæculi ſcriptor *Hocſemius,* Canonicus Leodienſis, *in Geſtis Pontific. Leodienſ. L. I. c. 31.* cuius verba habentur apud *Ioh. Chapeavillum*, in *Geſt. Pontif. Tungrenſ. & Leodienſ. T. II. p. 350. Eodem anno* (ait *Hocſemius,* annum putans 1309.) *quidam hypocritae gyrovagi, qui* Lollardi *ſive* Deum laudantes *vocabantur, per Hannoviam & Brabantiam quasdam mulieres nobiles deceperunt.* II.) Speciali ratione *Fratres Cellitae*, in cellulis habitantes, qui & *Alexiani* ſunt dicti, quia *S. Alexium* patronum habebant, a populo Antwerpienſi *Lollhardi* vocabantur. Singularis illa ratio ut eo nomine inſignirentur, erat hæc: quia hi Fratres Antwerpiæ, funera peſte mortuorum, *lugubre & triſte carmen obſcura voce canendo,* curabant, & idcirco *publici cantatores*, veſpillones, libitinarii erant; Sacerdotibus Monachisque periculum fugientibus, & latentibus. En verba *Ioh. Bapt. Gramaye,* viri rerum patriarum periti, *in Antwerpia, L. II. c. 6. p. 16. Alexiani,* ait, *qui funeribus curandis operam ſuam impendunt, Antwerpiae ſua debent exordia,*

ubi

ubi poſt annum 1300. collecti probi aliquot piique Laici, a parcimonia, vitaque tam modeſte quam moderate inſtituta, dicti Matemanni, *& a funerum obſequiis* Lollhardi, *a cellulis* Fratres Cellitæ *dicti*. III.) Tandem vocabulum *Lollhardus* turpe & infame eſt factum. Quum enim Sacerdotes Monachique huic hominum generi inimici eſſent, ſuſpiciones de illis diſſeminabant, populo perſuadentes, eos ſub ſpecie pietatis peſſimis de religione ſententiis imbutos eſſe. Quare ſenſim eveniebat, ut *Lollhardus* homo vocaretur, qui pietatis larva aut hæreſes aut crimina obtegebat, nomenque illud iis commune fieret, in quibus pietati externæ impietas adverſus Deum & Eccleſiam coniuncta videretur.

Huiusmodi exempla obſervationum ſelectarum adducere multo plura poteramus, niſi videremus, nos fere modum iam exceſſiſſe. Quid? quod etiam difficillimum ſit, ex hoc libro, facile optimo inter *Moshemianos*, & qui ipſe totus veluti nucleus eſt, velle nucleum exhibere?

THESAURI IURIS PROVINCIALIS ET STATUtarii Germaniae T. I. Sectio II.

Gieſſæ 1756. Alphab. 5. plagg. 18½. in 4.

Hoc quoque volumen integrum ad Ius Statutarium Hamburgenſe pertinet. Tractatus, qui eo continentur, omnes Statum præſentem Praxeos illuſtrant, licet rarius id fiat ex genuinis iuris germanici fontibus, qui defectus ab aliis impoſterum ſupplendus erit. Sunt autem hi:

I. *Matth. Sluteri* Annotationes ad Ius Statutarium Hamburgenſe, ex MSto. Siſtitur hic Repertorium Caſuum præcipuorum, qui ſuperiore ſeculo Hamburgi contigerunt. Doctores, quorum auctoritate utitur Sluterus, ſunt Mynſingerus, Berlichius, Carpzovius, Heigius, Rauchbahr, Mevius & ſimiles. Ineſt tamen his obſervationibus naturalis quædam pulcritudo, oriens ex liberali Auctoris ingenio, qui p. 56. cum Berlichio dolet, iuſtitiam ut plurimum adminiſtrari per boves & ignorantes.

II. *Vin-*

Digitized by Google

II. *Vincentii Mülleri* Commentarius ad Statuta Hamburgenſia ex MSto. Claruit is inter Conſules Hamburgenſes laude ſapientiæ. Ideo quum 1618. de receptione Luſitanorum diſſenſus in Civitate eſſet, & quidam Scripto Publico quæſtionem ventilaſſent? utrum Hamburgi Status Ariſtocraticus an Democraticus eſſet, Mullerus refutari hoc ſcriptum noluit, ne ea re magis irritarentur indignantium animi.

III. *Io. Schulte* Notæ ad Statuta Hamburgenſia. Continentur iis complura præiudicia. Statutum ipſum, ut in Commentariis Mulleri, illuſtratur ex Doctoribus Iuris Romani ſtudio addictis.

IV. *Wernheri Ioh. Uſſelmanni* annotationes ad Statuta Hamburgenſia, eundem plane colorem exhibent. Hodie Statuta ex antiquitatibus Germanicis illuſtrari debent, exceptis iis quæ ex Iure R. depromta ſint. Uffelmanni noſtri Diſputatio inauguralis, ſiſtens Lectiones Rittershuſianas ſ. obſervationes ad Rittershuſii Tr. de Different. iur. civ. & canon. habita Gieſſæ 1663. In Lexico univerſali, ut & in Lexico Eruditorum Ioecheriano, perperam *Burcardo* alicui Uffelmanno tribuitur, obſervante Dn. Collectore noſtro in Præf. p. 13.

V. *Vincentii Garmers* emendationes Iuris Statutarii Hamburgenſis. Allegatur is ſæpiſſime a Slutero. Auctor ipſe diem in exilio obiit Harburgi, an tanquam ſacrificium politicum? incertum.

VI. *Io. Ioach. Mulleri* Annotationes ad Statuta Hamburgenſia, *Falliten-Ordnung* &c. Sunt hæ omnium prolixiſſimæ, & teſte Richeio, magni fiunt & appetuntur ab omnibus.

VII. Supplementa ad Sluterum.

VIII. Obſervationes miſcellaneæ ad iudicium Hamburgenſe ſuperius & inferius pertinentes, ſed illæ quidem hic mancæ.

IX. Secunda collectio ſententiarum Hamburgenſium.

X. Secunda collectio Ordinationum Hamburgenſium.

In MSto Statuti veteris Hamb. quod poſt editionem primæ Sectionis ad præſtantisſimum Dn. Collectorem pervenit, rurſus id ad annum 1292. bis referri obſervavit, unde ei novus ſub-

ſubnaſcitur ſcrupulus, ſitne hoc Statutum iam 1292. editum, quem a peritis Hamburgenſibus demum tolli deſiderat; neque inane eſt dubium, quo Præfat. p. 18. verum tempus Statuti antiqui ad annum 1277. referendum eſſe ſuſpicatur.

Sectio tertia huius primi Tomi deſtinatur diſſertationibus Academicis, de materiis ſpecialibus ad ius Hamburgenſe pertinentibus.

Tomus ſecundus tribuetur iuri Statutario Bremenſi, cui fini recenſentur Præfat. p. 20. opuſcula XII. quæ in hunc uſum parata ſunt.

Collectionis iurium provincialium initium fiet a Weſtphalia. Recenſentur Præfat. p. 23. opuſcula quæ in promtu ſunt, & tomo primo deſtinantur; ſed bibliopolæ ſumtibus ea edi mallet Dn. Collector, qui has duas ſectiones ſuis impenſis curavit.

In fine præfationis comparet deſignatio eorum, qui, numerata pecunia, editionem iuvarunt.

ARTICOLI ESTRATTI DALLE NOVELLE Fiorentine &c.

i. e.

LOCI ALIQUOT EX EPHEMERIDIBUS FLORENTINIS anni 1757. decerpti plagg. 3. in 4.

Ut fert titulus huius Libelli, exhibentur in eo loci quidam ex Ephemeridibus Florentinis decerpti, qui Epiſtolas breves, elegantes quidem & doctas, *Iani Planci* continent, & quædam alia eiusdem, ad antiquitates, vel ad rem medicam ſpectantia. In *Epiſtola prima*, quæ eſt ad Amicum Florentinum, Epigramma antiquum ſepulcrale profertur, & obſervationibus doctis illuſtratur; adduntur etiam aliæ inſcriptiones aliquot, & explicantur omnes, ex docta penu Planci, Viri clariſſimi. Sub finem Moneta quædam producitur argentea Veneto-Imperialis, in qua velut in medio Templi cuiusdam legitur VENECI, & in averſa parte ENRICVS

IMPER. Eius monetæ ingens copia nuper admodum reperta eſt in agro Ariminenſi; ſed inter eas etiam aliæ, etſi perpaucæ, repertæ ſunt, cum hac Epigraphe in averſa: CRISTVS IMPER. iterum aliæ, in quibus loco templi eſt Protome S. Marci, cum verbis: S. MARCVS. VENECIA; & in pauciſſimis, adeoque rariſſimis, legitur: CONRADVS IMPER. Hos numos refert Plancus ad Henricum I. Imperatorem inter divos relatum, (nos II. dixiſſemus,) & ad Conradum eius ſucceſſorem, ſimulque refutat opinionem *Eduardi Corſini*, Viri celeberrimi, qui ad Henricum IV. vel V. eas retulit. Ultimo tandem loco memorat numum Parmenſem argenteum, ineditum, ſuis in ſcriniis adſervatum, in quo legitur PARMA, in parte averſa autem OTTV∞ REX. Tribuit eum numum Ottoni IV. Henrici Leonis filio, qui in imperio competitorem habuit Philippum, filium Friderici I. Imperatoris; ſeu FILIPVM, ut barbare ſcribitur in alia moneta Parmenſi, quam æque poſſidet Plancus, & quæ etiam hoc loco prolata eſt.

Inter ea, quæ ad rem medicam pertinent, cernitur primum *Plancus*, Academiæ Medicæ *Coniecturantium*, quæ Mutinæ eſt, loco *Morandi Morandii*, anno 1756. denati, creatus princeps & director. Ex iſtius muneris præſcripto, Plancus noſter duodecim Quæſtiones Medicas, totidem Diſſertationibus ab Academicis deinceps diſcutiendas, proponit. Nos eas hic non deſcribimus.

Epiſtola Planci ad Amicum Florentinum, pag. 36. ſuper quæſtione, an infallibilis ſemper ſit manuductio Hippocratis, in praxi medica, videtur ſcripta eſſe contra quosdam Medicos & Chirurgos, qui errare ſe non poſſe putabant, neque in curatione medica, neque in tractatione chirurgica, modo ex præſcripto Hippocratis agerent. Exemplo igitur propoſito, oſtendit Plancus, male Hippocratem curaſſe Abderæ Anaxionem, pleuritide laborantem, cuius curationem ille narravit Epidemiorum III. Aegroto 8. Primis enim diebus, Pater ille medicorum, nonniſi fomenta ægro adhibuit, quæ dicit nihil profuiſſe. Et recte quidem. Quid enim fomenta ſola prodeſſent in morbo tam difficili? Dein, die demum octava miſſus

Digitized by Google

miſſus fuit ſanguis, magna copia, qui mittendus erat prima die. Ex his igitur, & aliis rebus, concludit Plancus, artem medicam & chirurgicam, Hippocratis tempore, in infantia conſtitutam fuiſſe; præſertim quum Hippocrates cognitione anatomica & pharmaceutica fere deſtituerentur, quibus ars medica & chirurgica ſucceſſu demum temporis fuit expolita, & amplificata. Quare putat, qui noſtra ætate artem medicam & chirurgicam ad ſolam praxim Hippocraticam revocent, ſimiles eſſe illis, quos notat *Cicero* in libris de Oratore, qui inventis frugibus, homines revocare ad glandes vellent. *Quae enim*, inquit Tullius, *in hominibus tanta perverſitas, ut inventis frugibus glande veſcantur?* Annon atrox in Hippocratem & contumelioſa ſit hæc noſtri ſententia, peritos artis iudicare, quam noſtrum interponere iudicium, malumus.

DE VITI BERINGII HISTORIA OBSID. HAFnienſis Ανέκδοτον *litterarium, ex Ioh. Henr. Boecleri Epiſtolis ineditis ediſſerit IOH. GOTTLOB BOEHMIUS P. P. Lipſ. Paſt. Arc.*

Inter præclara ingenia, quæ, ſeculo ſuperiore, fovit Muſis amica Dania, ac cultiorem per orbem latiſſime oſtentavit, celebratum inprimis eſt nomen VITI BERINGII, præſtantiſſimi viri, atque omni elegantiore doctrina eruditiſſimi. Is Vuiburgi, in Cimbris, genitus fauſto ſidere fuit, anno ſalutis poſt milleſimum ſexcenteſimum decimo ſeptimo, in ſpemque ingenii educatus liberaliter, elucentibus mature animi erectioris igniculis. Atque, in eo potiſſimum efformando, ipſæ Muſæ viſæ ſunt, quid efficere poſſent, voluiſſe experiri. Tanta, inde ab adoleſcentia, carminis Latini ſuavitas infuit, tanta orationis vis, atque elegantia. Præterea his & talibus bonis ingenii aliud acceſſit, fortuitum quidem illud, & fragile, nec tamen non imputandum, egregia oris ac corporis ſpecies, *digniſſimum hoſpitium*, ut ait OLAVS BORRICHIVS, *(Diſſ. de poetis Danis,) ex quo Apollo frequentius concionaretur.*

Digitized by Google

Fuit autem BERINGIVS, poſitis artium optimarum tirociniis, præſertim poeticæ apud Belgas initiatus, ad quos ſeſe, ex Academia Hafnienſi, receperat. Florebat Belgium tum maxime, inter horrida bella, liberalibus ſtudiis, in eoque poetarum proventu HEINSIOS, BARLAEOS, alios extulerat, quorum illuſtribus exemplis accenſum ſe, ad id gloriæ decus, ipſe eſt luculenter profeſſus. Nec fuerit forte ſupervacaneum, verba ipſa, prouti edita ſunt, apud FRID. ROSTGAARDVM, (*Delit. Poet. Danor.* T. II.) huic loco inſerere: *Ab hac ſchola digreſſus ad exteros, anni* MDCXXXIX. *adulto vere, tenuit Belgium, ubi* CADZIVM, HEINSIVM, BARLAEVM *nactus, impetum cepit condendi Epigrammatis. Crederes in Parnaſſum aliquem, aut Helicona, delatum: tanto coepit impetu ingenii, aut, ſi quis eſt, litterati furoris impulſu, modulari carmen, & aptare ad numeros ſermonem, leges ſequutus unas illas, in libera Republica, non liberas, quas ſibi, in hoc ſtudiorum campo, magni illi litterarum antiſtites praefigebant.* Atque, ab hoc tempore, adeo enituit facultate pangendi carminis, ut ſummos, eo in laudis genere, viros facile pertraheret in ſui admirationem. Ita, ad Gallos progreſſus, Pariſiis benevolentiam HVG. GROTII, qui tum, in aula Regia, partibus fungebatur Suecici Oratoris, nulla re potius, quam comtiſſimo verſu, demeruit. Similiter in profectione Italica, in qua Romam ipſam adiit, litterarum certisſimam ſedem, ea ingenii ſingulari præſtantia, cultus peritis fuit.

Neque vero, intra hæc artis pulcerrimæ ſpatia ſeſe continuit digna maiore theatro virtus BERINGII, haud omnino immemoris, non tam vatem parare patriæ, deliteſcentem in Muſarum umbraculis, quam civem debere, agendis rebus idoneum. Itaque animum, indefeſſa induſtria, per hiſtoriarum monimenta, circumtulit, ſectatus magnos ac præclaros magiſtros, in Belgio VOSSIVM, atque BOXHORNIVM; Romæ omnino FAMIANVM STRADAM, *fati Belgici,* ut vocat, *praeconem;* denique Argentorati BOECLERVM. Et videtur, ab his proximis potisſimum exemplis, non traxiſſe nihil eius oratio: adeo illa ſplendida eſt, ſententiisque, velut lumini-

bus,

Digitized by Google

bus, diſtincta; adeo ſe efferre nonnumquam, ad poeticam magnitudinem, conſpicitur.

Ita vero, apud externos, liberaliſſime inſtituto, tam ſingularis, ab ſuis, habitus honos fuit, ut, inuſitato apud Hafnienſes exemplo, poeticæ docendæ provincia demandaretur. *Iuſſus ſuperiorum auctoritate*, ipſe de ſe inquit, *docere publice poeſin, novo munere, nec iam tum uſitato Academiae: & habuit diſputationem*, (de artis poeticæ natura, & conſtitutione,) *praeſente Rege, qui primus, inter Danorum Principes, & prima tum vice, ingreſſus Doctorum ſubſellia, ſaepius ſubinde - - ad ſtudia publica demiſit Maieſtatem, & choros ac adyta Muſarum ingentior ipſe hoſpes implevit.* Neque ſane poterant rei eius magis auſpicata exordia duci, quam tali ab ingenio, quod in hac functione muneris, tamquam clariſſimum ſidus, alii ſequerentur. Verum haud diu poſt in Academiam Soranam, ut iuveniles animos rerum geſtarum imbueret cognitione, miſſus fuit. Cui rei quum egregiam operam, pro doctrina dexteritateque ſua, navaret, ornatus eſt ampliſſimo munere Regii Hiſtoriographi. Iamque adſeruit ſeſe præſertim hiſtoriæ patriæ, perſcribendæque, iuſſu & auſpicio Regis, operam ſtudii adplicuit, maxime ex quo per Taganum Tottium, indulgentiſſimum Mæcenatem, liberali otio & tranquillitati eſſet vindicatus. Etenim apud Soranos *publice docentem*, ut BERINGII utar verbis, *avocavit T. Tottius, oſtentata Scania, & benigno ad Muſas ſeceſſu, &, ne non efficaciſſime ſuaderet, magnifica domo, parum infra palatii cultum, ubi, quod iuſſus nuper a Rege fuerat, condere in otio poſſet annales populi ſui, & quidquid maiores indictum, in hiſtoria, poſterorum indagini reliquerunt.* Atque, in eo altiſſimo pinguique ſeceſſu, coepit componere *Danici Flori* celebratiſſimum opus: nec omnino abſterrere ſe a propoſito paſſus eſt, quantumvis dein, pulſus ab victoribus Suecis prædiolo, vitam inter graviores Reipublicæ curas agitaret, inde ab anno illius ſeculi primo & ſexageſimo.

Id vero ipſum cruentiſſimum bellum, quo paullo ante Dania omnis a Sueco arſerat, nova hiſtoriæ, at luctuoſa materies, eruditis hominibus fuit: viſaque inprimis Hafniæ obſidio

digna, quæ, ad poſteritatis memoriam, litteris conſignaretur. Nec ſane præſentius periculum ullum imminuit Regiæ: nec clarioribus ſignis ſeſe divina virtus Friderici tertii, Danorum fortisſimi Regis, exſeruit, ſine qua ſiſti non potuiſſet. Proditæ autem ſunt, iis temporibus, multorum, de Hafnienſi obſidione, luculentæ narrationes: quas quia dudum NICOLAVS PETRVS SIBBERN, vir doctus, diligenter ediſſeruit, (in *Bibliotheca hiſtor. Dan. Norvegica*, cap. VI. p. 214. ſq.) equidem tacitus nunc prætermittam. Nec omnino BERINGIVS tum officio defuit, atque, ut de eo CHRIST. AAGAARDVS inquit, (*Delit. Poet. Danor.* T. I. p. 500.)

Auguſtasque iras Regum, Troiamque ruentem,
Materiam ſcripti deſtinat ipſe ſui.

Itaque, longe alia inter negotia, obſidionis Hafnienſis deſcriptionem litteris mandavit. De qua præſtat ipſius verba huic etiam loco intexere: *Anno* MDCLXI. *in coetu & conſeſſu publico, iuſſus eſt aſſidere inter Conſiliarios Aerarii: in qua functione muneris, quoties id ferunt negotia, ſe ſurripit Muſis, ut vacet muneri, in quo collocavit aetatem, & non illiterato otio poſteritatis notitiam mereatur. Amplo nuper Opere deſcripſit patriae fatum, & quae, durante ad Hafniam obſidione, per Septentrionem fere omnem, ad memoriam illuſtria contigere.* Id quidem Opus, ita compoſitum, non ſuſtinuit in conſpectum vivus educere: quaſi famæ intereſſe ſuæ & plauſibus nollet, quibus perfectum, ad unguem, viri docti exciperent. Atque ſic demum, exſtincto BERINGIO, editum eſt, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſeptuageſimo ſexto, adeo ſua ipſius dote conſpicuum, ut nec præfaminis alieni honore indigeret.

Quæ quum ita ſint, facile prævideo animo, fabulam me narraturum haud paucis, ſi, quæ ad Illuſtriſſimum Boineburgium, de BERINGII Opere tali, IOH. HENR. BOECLERVS, vir clarus doctrina, & Profeſſorio apud Argentoratenſes munere olim functus, perſcripſit, eius ex litteris necdum evulgatis, expromam. Factum autem eſt, ante aliquod tempus, ut ad me amicus quidam meus, Vir doctiſſimus, quum noſſet me talium eſſe valde curioſum ſpectatorem, perferret

BOE-

BOECLERI epiſtolarum faſciculum, quem nunc, in Ampliſſimi Senatus Lipſienſis bibliotheca, adſervari comperimus. In iis ſane digna memoratu quamplurima: quorum præteritis aliis, unum in præſenti tradam id, quod, ad hanc ſuſcipiendam ſcriptionem, animum incitavit. Itaque accipiamus ſacrum & inexplicabile arcanum! Ait autem BOECLERVS, hunc in modum: *Secretius iſtud laboris genus, quamquam vix eſt, ut litteris explicetur, non audeo te* (Boineburgium) *celare. Factum eſt, antequam ad te venirem, ut praeter omnem opinionem vetus quidam amicus,* VITVS BERINGIVS, *Hiſtoriographus Danicus, ſibi commiſſam provinciam, mea opera ſupplere cuperet, trecentosque Imperiales, ſi ſubvenirem, & obſidionis Hafnienſis hiſtoriam ſcriberem, ſtatim repraeſentaret. Incidit haec res in illum articulum rei oeconomicae, qua divinitus ſubmiſſum agnoſcere ſubſidium ratio erat. Accepi pecuniam: nunc poſcor promiſſa, quae non continuo, ſed interpellato labore, urgenti & inſtanti ſigillatim transmitto.*

Equidem, eam epiſtolam cui anno alligem, (nec enim exemplo, quod vidimus, additus eſt,) haud ſatis ſcio: ſcriptam Argentorati non dubitem, quo ſe, tamquam in portum, BOECLERVS ex Suecia, parum æqua ipſi, receperat. Habeo argumenta, quibus adductus, referendam ad annum ſeculi ſuperioris ſexageſimum quartum coniectem. Certe quæ proxime antecedunt litteræ, ea tempeſtate, miſſæ ad Boineburgium ſunt, memorabiles inprimis, quod clariſſime prodant, a BOECLERO profectam *Aſſertionem Moguntinam, contra affectatam iuſtitiam Protectionis Saxonicae* (Mogunt. 1663. f.). Erant autem res tum illius, multis modis, vehementer accisæ, ut, quo lucrum, quaſi ventus, impelleret, vela dare neceſſe haberet. Itaque præſentiſſimam, a BERINGIO, opem illico ſe amplexum profitetur. Et omnino cum eo antiquus uſus amicitiæ interceſſit, inde a tempore eo, quo diſciplinæ ſuæ alumnum, doctum & elegantem, Argentorati habuerat. Tum vero ſolitus BERINGIVS adſpectare maxime BOECLERI doctrinam, admirari eloquentiæ decus, & potiſſimum id celebrare cultis verſiculis, qui dudum editi ſunt in lucem, (*Delit. Poetar.*

Danor.

Digitized by Google

Danor. T. II.) & ab harum elegantiarum intelligentibus leguntur. Sic autem inquit, inter alia, p. 28.

Reſtituis priſcum facundis vocibus aevum.
Eloquioque novas ſecula noſtra tuo.
Seu fati leges, rerumque arcana revolvis,
Et ſeclum tenebris eruis omne ſuis:
Seu gemitus plauſusque tuo ſe prodit ab ore;
Quo tibi cumque libet, ducimur arte tua.

At nunc ipſam rem illam, digna enim inveſtigatione eſt, habetque magnas difficultates, diſquirendam ſumamus. Nam quis temere credat, BERINGIVM, hunc talem virum, tam peritum ſcribendæ Hiſtoriæ, tanta & ipſum facundiæ dote ſpectatum, aliunde ſuppetias exegiſſe? Quis a BOECLERO præcipue? quem tum iam ſparſerat fama, nimium fuiſſe infeſtum nomini Danico, in ea, quam de bello Sueco-Danico condidiſſet, hiſtoria. Atque ipſe BOECLERVS, in epiſtola, ad Matthiam Biörnclovium, regni Suecici Senatorem, & Cancellarium Aulicum, ita refert: *Apud Danos rumor diſtulit, me totam illam nationem, eiusque Regem, gravibus opprobriis notaſſe, in mea hiſtoria. Quod cum non dubitarent nonnulli coram mecum quaſi expoſtulare, monſtravi uni alterive opuſculum, & multa inde praelegi.*

Nec enimvero BOECLERVS, vir doctiſſimus clariſſimusque, is eſt exiſtimandus, qui male natis confictionibus deterere famam eius, ſeque unum iactare, inprimis apud potentem amicum, voluiſſet. Id quod credibile eſt longiſſime abeſſe tum ab omni liberali homine, tum ab eo maxime viro, cui & partum ſatis gloriæ dudum erat, multis verisque virtutibus, ac doctrina litterarum ſingulari. Neque auſum talia arbitrer ego, apud Boineburgium, propter ſummam perſpicaciam viri, & BOECLERI, erga eum, maximam reverentiam. Mitto alia in præſenti nonnulla, quæ ſuſpicionem illiberalis commenti prorſus avertant.

Itaque ergo quonam facile modo componamus, inter ſe, adverſa fronte pugnantia? Ego vero ut, quæ ſentio, dicam, crediderim quidem BERINGIVM efflagitaſſe, pretio quoque

non

Digitized by Google

non parvo, ut maximæ rei geſtæ memoria, ab tali ingenio, quale in BOECLERO cognoſſet eſſe, ornaretur, &, oratione etiam magnifica, factis dicta æquarentur. Fuit autem, ſi quid adſequi coniectura poſſum, ſatius tum illi viſum, alienæ induſtriæ ſpartam eam permittere, cui exornandæ aut ſe imparem, pro modeſtia ſua, crederet; aut non ſufficeret, muneris novi negotiis diſtrictus. Namque adlectus, ea tempeſtate, fuit, inter Conſiliarios Aerarii, ſicque aliis longe curis occupatus, præſertim in illa temporum rerumque aſperitate, quam quibus inde ab adoleſcentia inſueverat. At enimvero hæc talia ut ſe cumque habeant, nemo homo temere ſuſpectaverit, voluiſſe eum in ſe inclinare alienæ laudem diligentiæ, atque, ut in fabulis cornicula, furtivis coloribus ſuperbire. Neque multo poſt Operi tali ſtudium ipſe, ac manum, admovit; ſive quod collegiſſet ad pulcra auſa animos, ſive BOECLERVS ad ſpem, exſpectationemque, haud ſatis reſpondiſſet.

Certe, quæ VITI BERINGII præfert nomen, *Obſidio Hafnienſis, & eorum, quae, ea durante, per Septentrionem fere omnem, ad memoriam illuſtria, contigere, ſtricta enarratio*, multis manifeſtis indiciis cognoſcitur ab ipſo ſcripta. Quod quamvis haud difficile ad intelligendum ſit peritis æſtimatoribus: tamen hoc loco enucleatius tradam, eorum cauſſa, quibus liber, haud frequens videlicet, neque inſpectus eſt valde, neque exploratus. Iam vero eam rem diſerta BERINGII profeſſio, quam ſupra attuli, ſic iuvat, in hac una ut adquieſcere facile posſimus. At enim alia qua argumenta is adeo ipſe liber eius ſuppeditat. Nam, ut primum hoc utar, ita perſcriptus eſt magnifice, & orationis elegantiis, quaſi floribus, conſperſus, ut, ſi quis contulerit *Floro Danico*, plane in iisdem animadvertat hortulis ſuccreviſſe.

Rerum autem geſtarum commemoratio ſane quam luculenta, & præclara, qua, velut ſubiectæ oculis, penitus adparent. Id quod haud datum, niſi ſcriptori tali, cui vel conſpectæ ipſi præſenti ſint, vel non longe remoto perquirendi occaſiones multæ ac faciles adfuerint. Quas quum in promtu quidem BERINGIVS haberet, nihil admodum quidquam, eo

 in

in libro, tacitum prætermiſſumque eſt non modo rei magnæ, ſed ex minoribus etiam, & quæ ſine damno ignorentur. Ita (p. 39.) coenulæ meminit, intra tentorii anguſtias, frequenti ſenatui præſtitæ, a Danorum Rege. Alio loco, (p. 62. ſq.) late perſequutus eſt annonæ rationes: ut nec piguerit pretia gallinaceorum, anſerculorum, lactis concreti, poſteris tradere. Præterea inſunt urbium arciumque deſcriptiones, factæ ad amuſſim; multa de moribus Danorum, quæ, parum vulgo explicata, ab externo homine nequaquam exſpectes. Atque Danicæ virtutis, & Regiæ inprimis, facundiſſimæ ubique laudes, inſitum patriæ amorem ſatis teſtantur. Maneat ergo BERINGIVM perſcriptæ Obſidionis Hafnienſis gloria, ſitque mihi certe religio, eam ſuſpicione mala temerare.

GEORGII, SEU GREGORII CYPRII, PATRIARchae Conſtantinopolitani, Vita, quae ex Codice Lugduno-Batavenſi nunc primum Graece in lucem prodit, cum Latina interpretatione, & Notis. Accedunt Diſſertationes duae hiſtoricae, & dogmaticae, cum binis Epiſtolis, eiusdem CYPRII ad Amicum, & MOSCHAMPERIS Exchartophylacis ad Ipſum, nunc primum editis: queis Byzantina Georgii Pachymeris Hiſtoria illuſtratur. Auctore FR. IO. FRAN. BERNARDO M. DE RUBEIS, Ordinis Praedicatorum.

Venetiis 1753. typis Io. Bapt. Paſquali, Alph. 1. Plag. 9. in 4.

Quum ante annos viginti, & quod excurrit, *Venetiis* recuderetur *Corpus Hiſtoriae Byzantinae*, nova editio ut amplius pretium nanciſceretur, viri eruditi etiam extra Italiam rogabantur de ſymbolis conferendis, nondum editis. Lugduno igitur Batavorum transmiſſa fuerunt *Opuſcula* varii generis ac *Epiſtolae*, quas *Georgius* ſeu *Gregorius Cyprius*, celebris Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſæculo *tertio decimo* ſcripſerat. Volumina erant duo: alterum, Græcum textum, alterum Latinam verſionem, ab *Anonymo* quodam factam, com-

complectebatur. Dignæ omnino fuiſſent Epiſtolæ *Gregorii Cyprii*, quæ, tanquam eximium *Corporis Hiſtoriae Byzantinae* Supplementum, Græce & Latine ederentur, præcipue quod ex iis *Georgii Pachymeris Hiſtoria imperii Andronici Palaeologi* innumeris poteſt locis illuſtrari. Enim vero exiit *Venetiis* Tomus ultimus Byzantinæ Hiſtoriæ, nec tamen Epiſtolæ *Gregorii Cyprii* locum in ea obtinuerunt. Poſt illa latuit Apographum Codicis Lugduno Batavenſis neglectum per multos annos, antequam ſingulari dono doctiſſimo *Bernardo de Rubeis*, Ex-Vicario Generali Ordinis Prædicatorum, concederetur. Igitur ille cepit conſilium, hæc Opuſcula, aut omnia, aut maiorem certe edendi partem. Hoc autem conſilium quo minus perficeret, in verſionem latinam, rudem nimis, nec conſonam Græco textui, transfert culpam. Atque hæc fortaſſis etiam cauſſa fuit, cur editioni Venetæ Hiſtoriæ Byzantinæ *Cyprii* lucubrationes non inferrentur. Itaque ſpe præcipua deceptus, Editor ſtatuit, certe operæ pretium fore, ſi huius Codicis ſaltem Specimen aliquod exhiberet. Recenſuit igitur *Epiſtolas & Opuſcula*, quæ in Volumine Batavo continentur. *Epiſtolas* binas, alteram *Gregorii Cyprii* ad Amicum datam, alteram *Georgii Moſchamperis*, Exchartophylacis, ad *Cyprium* ſcriptam, Græce & Latine edidit. Ex *Opuſculis* ſelegit id, quod a *Gregorio* ipſo, Λόγος τὰ καθ' ἑαυτὸν περιέχων, *ſermo de rebus ſuis*, inſcriptum, in Codice Batavo primum locum tenet, & in Bibliotheca Vindobonenſi, quæ ſimile ſervat Volumen *Cyprii*, extat mutilum. Inprimis autem hac occaſione Clariſſimus *de Rubeis* anſam arripuit, partem hiſtoriæ *Michaelis & Andronici Palaeologorum*, Imperatorum Byzantii, a *Pachymere* ſcriptæ, illuſtrandi; partem nimirum hanc, quæ ad negotia ſpectat Eccleſiaſtica, ſpeciatim ad ea, quæ ſub *Michaele Palaeologo*, in diſcusſione dogmatis de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre Filioque, ſunt acta. Atque hinc *duas Diſſertationes*, hiſtoricas & dogmaticas, elucubravit, quæ præcipuam partem totius libri huius conficiunt, & partim de ipſo dogmate eiusque hiſtoria, partim de inita Græcæ ac Latinæ Eccleſiæ unione in Synodo Lugdu-

 nenſi,

nenſi, eademque vero poſtea rupta ſub *Andronico Palaeologo*, erudite exponunt.

Iam ſpeciatim ſingula percurremus. I.) Principia huius libri ducit *Vita Georgii*, ſeu *Gregorii Cyprii*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, Græce & Latine edita. Nempe *Georgius* ipſe *Cyprius* ſuam indolem, prima ſtudia, itinera literarum cauſſa ſuſcepta, denique dignitatem, hic expoſuit, *Voluminique*, in quo *Opuſcula* & *Epiſtolas* collegit ſuas, præpoſuit. Interpretationem Latinam *de Rubeis* adiecit, ſed duriuſculam, (ſi dicendum quod res eſt,) perobſcuramque. Vita hæc nunc primum in lucem prodit, & quidem integrior ex hoc Codice Lugduno Batavenſi, quam in Vindobonenſi extat, de quo *Neſſelium* vide in *Catal. Biblioth. Vindob. P. 5. Cod. 101.* Supplentur ex ea Vita, quæ *Leo Allatius* in Diatribe de *Georgiis*, *Petrus Poſſinus* in Notis ad *Pachymeris Andronicum*, *Stephanus de Altimura* in Panoplia contra Schiſma Græcorum, nec non *Ioh. Alb. Fabricius* in Bibliotheca Græca, de hoc *Georgio Cyprio* omiſerunt. En dabimus eam, in arctis anguſtiis contractam. *Georgius*, *Cypro* oriundus, apud parentes divites educatus, & in diſciplinam datus eſt Grammaticorum. Mox miſſus in urbem Καλλινικησέων, (*Nicoſiam* ſive *Leucoſiam* fuiſſe, *de Rubeis* credit:) nihil quum dignum ibi ingenio ſuppeteret, *Romanorum* adiit ſcholas. Reverſus *Cyprum*, iuvenis annorum quindecim, quia linguam Latinam non potuerat diſcere, indoctus manſerat. Exinde rei venaticæ dedit operam. Sed deſiderio tractus ſcientiarum, conſcenſa inſcientibus cunctis navi, *Epheſum* traiecit. Qua urbe, ſpe fruſtratus videndi *Nicephorum Blemmidam*, *Nicaeam* pergens, doluit, præter grammaticam & poeſin, nihil philoſophiæ nec diſciplinarum illic doceri. At capto per *Michaelem Palaeologum* Byzantio, audivit *Georgium Acropolitam* per ſeptem annos, ſuper *Ariſtotelis*, *Euclidis*, *Nicomachi* libris; & ad rhetorica ſe appulit magno ſtudio. Quominus autem multa ſcripſerit in hoc genere literarum, turbæ unionis in Eccleſiæ prohibuerunt. Denique invitus Patriarchalem ad dignitatem evectus & tractus ab *Andronico*, tempora difficillima, ac motus

Digitized by Google

tus de Proceſſione Spiritus Sancti, adverſarii quoque infeſti, præcipue *Iohannes Veccus*, ei obtigerunt. Igitur abſtinere coactus a componendis rhetoricis, omnes ceterum quos ſcripſit libellos, uno in *Volumine* hoc collegit. Hæc ſunt momenta potiora, quæ de *rebus* expoſuit *ſuis* Patriarcha *Georgius Cyprius*.

II.) Succedunt *Notae hiſtoricae, chronologicae, & criticae*, in hanc *Georgii* ſeu *Gregorii Cyprii Vitam*. In his Notis ſcientiam non vulgarem prodidit hiſtoriarum Byzantii, noſter *de Rubeis*. Ex *Pachymere* confirmavit, *Cyprium* in ſacris undis *Georgium*; ſed dictum fuiſſe *Gregorium*, quum Monachum induiſſet, antequam ad Patriarchalem thronum promoveretur. Convicit *Leonem Allatium*, in *Diatribe de Georgiis* dubitantem, Opuſculumne hoc *de Vita* ſit diverſum ab *Epiſtolis*, in quibus *Cyprius* ſuam vitam exprimeret? Diſputavit erudite, quod παιδευτήρια Ῥωμαίων ſint proprie *ſcholae Romanorum*; & ea ætate nondum invaluiſſe, ut Byzantini recepta appellatione *Romani* vocarentur. De *Nicephoro Blemmida* Presbytero, cuius nomen occurrit in controverſia de Proceſſione Spiritus Sancti, & qui habitaſſe in Monaſterio quodam dicitur prope Epheſum; de eo igitur obſervavit, Monaſterium hoc ab ipſo erectum, dedicatum fuiſſe ΘΕΩι ΤΩι ΟΝΤΙ. De anno capti a *Michaele Palaeologo* Byzantii, diſſeruit pluribus, oſtendens in Tabula adiecta, annum Chriſti 1262. fuiſſe. Quod *Georgius Acropolita*, qui Logotheta Magnus olim fuerat, precibus *Germani III.* Patriarchæ Conſtantinopolitani, impetraverat a *Michaele* Imperatore, ut fractis viribus, in regimine ſcholarum Conſtantinopoli, eius in locum Rhetor *Holobolus* ſubſtitueretur; *Pachymeris* adduxit verba. Denique vero *ſub finem Notarum* recenſuit diligenter omnia *Opuſcula* & *Epiſtolas* omnes *Cyprii*, quæ in Volumine Lugduno Batavenſi, quod in manibus habuit, continentur, & cui hæc *Vita Georgii Cyprii* fuerat præmiſſa. Catalogus eſt multo auctior, eo, quem *Ioh. Albert. Fabricius in Biblioth. Graec. Vol. VI. p. 604.* exhibuit. *Epiſtolarum* nume-

Digitized by Google

rus in hoc Codice ad *CCXV.* aſcendit, quum *Fabricius* ex *Lambecii* Catalogo Bibliothecæ Vindobonenſis Epiſtolas numeret tantum *CXCI.* *Opuſculorum* autem diverſorum ad *XXII.* aſſurgit numerus, quum *Fabricius* ſaltem *XIV.* afferat. Ex his omnibus edita quænam ſint, quæve minus, Opuſcula, *de Rubeis* accurate indicavit.

III.) Pergimus ad *Diſſertationes duas*, hiſtoricas & dogmaticas, a Clar. *de Rubeis* adiectas. Earum *prior* exponit *de praecipuis* Georgii *ſeu* Gregorii Cyprii *geſtis; & de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre & a Filio, ſeu per Filium.* Negari nequit, hanc Diſſertationem cum magna rerum Byzantinarum peritia conſcriptam eſſe, quare neminem poenitebit eam legiſſe. Referemus ut in nuce potiora, quia hiſtoriam controverſiæ Græcorum Latinorumque de Proceſſione Spiritus Sancti *ſaeculo tertio decimo* exhibet plenius, quam alibi legitur. Deceſſerat Imperator Græcorum *Theodorus Laſcaris III.* filio impubere relicto *Iohanne IV. Laſcari*, cuius tutor factus *Arſenius* Patriarcha. Deſpecto hoc puero, *Michael Palaeologus* Conteſtaulus, *Deſpota* renuntiatus, coronam accepit. Id ægre ferens *Arſenius* tutor, Patriarchatu ſe abdicavit. Poſtea reſtitutus a *Michaele*, Imperatorem, qui pupillum *Iohannem* excoecaverat, a communione Chriſtiana excluſit. Quare in exilium miſſus, turbæ ſunt concitatæ. Quas parum ſuſtinens *Germanus III.* recens Patriarcha, ſponte eodem anno deceſſit, evecto in eius locum *Ioſepho Galeſiota.* Magnæ hinc factiones ortæ: *Arſenianorum*, qui pro *Arſenio;* & *Ioſephitarum*, qui pro *Ioſepho* ſtabant, contra *Arſenium.* Ab hoc *Ioſepho* ordinatus eſt (σφραγίδα φέρων, ait *Pachymeres,*) *Georgius Cyprius*, mox Clero Palatino adſcriptus titulo Proto Apoſtolarii. Eo tempore *Thealdus*, ſub nomine *Gregorii X.* Pontifex Romanus, inter Latinam & Græcam Eccleſiam, in illo dogmate controverſo de Proceſſione Spiritus Sancti, (fuſe ab Auctore noſtro hic expoſito, & quoad ſingula momenta demonſtrato,) concordiam moliebatur. Porrigebat manus *Michael Palaeologus* Imperator Græcus,

cus, cui operam præſtabant tum alii, tum etiam re cognita *Iohannes Veccus* ſeu *Beccus*, & ſub initium quoque *Georgius Cyprius*, qui deinceps ſententiam ſuam mutavit. Factæ ſunt mutuæ legationes: miſſi ab Imperatore *Germanus III. Theophanes*, *Georgiusque Acropolita*. Tandem auctoritate Pontificis Romani anno 1274. Concilium Oecumenicum *Lugduni* habitum, & unio ita fuit decreta, ut Græci agnoſcerent veritatem dogmatis Latinorum, & *Gregorius X.* Apoſtolicæ Eccleſiæ & Oecumenicus Papa proclamaretur. Inter hæc in Patriarcham evehitur *Iohannes Veccus*, magnus vindex catholici dogmatis, & ſcriptis, quæ ſententiam Latinorum tuentur, inclitus; quum Græcus viciſſim Imperator nutare, deinceps, ubi nuntii *Nicolai III.* pro voce *Filioque* ad Symbolum Græcorum adiicienda contendebant, unionem plane rumpere. Nuntiis a *Nicolao* misſis, loco reſponſionis, Scriptum dabatur Romam, refertum locis Græcorum Patrum, in quibus Spiritus Sanctus dicitur *ex Filio profundi, praeberi, dari, exſplendeſcere, micare;* nempe ut Latinorum phraſis, *a Filio procedere*, his locis obrueretur. At *Veccus*, Conſtantinopoli, Patrum, *Cyrilli, Nyſſeni*, inprimis *Baſilii M.* locos, explicare, & docere, voces *per, a,* & *ex Filio*, in hoc negotio non diverſam ſignificationem obtinere. Mortuo *Michaele Palaeologo*, ſub *Andronico* (novo Imperatore, tollere parato Eccleſiæ unionem,) *Veccus* Bithyniæ exul, locum reliquit Patriarchalis throni iterum a ſe aſcenſi, *Ioſepho Galeſiotae*. Nunc aperte *Georgius Cyprius*, aut mutata ſententia priore, aut depoſita ſimulatione, dogmati Latinorum & *Vecco* Patriarchæ adverſari coepit. Scripſit ad amicum *Demetrium*, Ἀντιῤῥητικὸν κατὰ τῶν τοῦ Βέκκου βλασφημιῶν, *ſermonem antirrheticum contra Vecci blasphemias*, qui in Codice Lugduno Batavenſi ſic incipit: οὐκ ἔγωγε θαυμάζω, φιλότης. In eo eſt *Cyprius* occupatus, ut ſanctorum Patrum, *Cyrilli, Nyſſeni*, & *Baſilii M.* ſententias, quas oppoſuerat *Veccus*, in ſuas partes pertraheret. Confutavit *Veccus* hunc *Cyprii* Sermonem, in *Oratione ſecunda*, quæ extat apud *Allatium*, *T. II. Graec. Orthod.*

Orthod. p. 252. Noſter *de Rubeis* copioſe recenſuit aſſerta *Georgii*, additis *Vecci* refutationibus, & Animadverſionibus propriis, ex *Thoma Aquinate* plerumque ſumtis: de *miſſione* item *Perſonarum in Deitate:* & de aliquo loco *Homiliae de Spiritu Sancto*, *Chryſoſtomo* attributæ, diſſeruit. Labente anno 1283. vita decedit *Ioſephus* Patriarcha, cui ab *Andronico* ſufficitur *Georgius Cyprius*. Conſtantinopoli Concilium habetur in triclinio Alexiaco. Huic interfuerunt Patriarcha *Georgius*, nunc *Gregorius Cyprius*, *Athanaſius Alexandrinus*, ac multi Antiſtites, Clerici, Monachique; ſed & ipſe *Andronicus* Imperator, principesque Miniſtri eius, & inprimis *Theodorus Muzalo* Logotheta Magnus. In hoc Concilio diſputatum eſt in utramque partem, de Proceſsione Spiritus Sancti etiam a Filio, præcipue ad locum *Iohannis Damaſceni*, ad quem Latini ſolebant identidem provocare. Vocat *Damaſcenus* Patrem, ΔΙΑ Λόγȣ προβολέα ἐκφαντορικȣ̃ Πνεύματος, *PER Verbum productorem manifeſtantis Spiritus*. Inprimis *Iohannes Veccus*, ex Bithyniæ exilio evocatus, acrem in diſceptationem venit cum *Gregorio Cyprio*. Quare hic, ab Imperatore iuſſus, *Tomum* conſcripſit, Expoſitionem de fide contra *Veccum*, in quo contendit *Damaſceni* verba ita explicare, *Patrem eſſe per Verbum Spiritus productorem, non, ut Spiritus per Verbum exiſtat, ſed ut per Verbum effulgeat.* Hic *Tomus* in Codice Vindobonenſi ſic inſcribitur: Ὁ Τόμος τῆς ἁγίας Συνόδȣ, ἤτοι Στήλη ὀρθοδοξίας, *Tomus Synodicus, ſive Columna orthodoxiae;* in Apographo Codicis Lugduno Batavenſis ſine titulo proſtat. Publice lectus eſt *Tomus* hic in Eccleſia, ab Imperatore & Principibus approbatus. Sed impediri non potuit, quo minus *Veccus* gravi in eum cenſura animadverterit, ac *Cyprium* reum egerit hæreſeos novæ, quæ poſtea *Palamitica*, a *Gregorio Palama* Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, dicta eſt. Scripſit enim *duas Orationes in Tomum Cyprii, & novas illius haereſes*, quæ in *Allatii Graec. Orthodox.* extant *T. II. p. 215.* Aſſenſerunt *Vecco* non tantum Latini, ſed improbarunt multi etiam Græci interpretationem

Gre-

Digitized by Google

Gregorii Damaſcenianam. Clariſſ. *de Rubeis* denuo fuſe inquiſivit in argumenta utriusque, & ea occaſione Patrum quorundam, *Damaſceni*, *Theodoreti*, *Photii,* locos illuſtravit. Ergo multorum ſubiens indignationem Patriarcha, abdicare decernit dignitatem, ſi ab Imperatore & Antiſtitibus poſſet *teſtimonium* recipere ſuæ orthodoxias. Id conſilium expoſuit in *Epiſtola ad Amicum* data, quæ nunc primum ex Apographo Codicis Batavi in lucem prodiit Græce & Latine, una cum Notis noſtri *de Rubeis.* Poſt varias lites Epiſcoporum ob *teſtimonium* tale excitatas, denique decernebatur, ſi certo promiſerit *Cyprius* Patriarchatum deponere. Id ut faceret, *Epiſtolam* ad eum miſit *Georgius Moſchampar*, Exchartophylax. Eam Epiſtolam Græce vulgarunt, ad *Pachymerianam* Hiſtoriam ſupplendam, *Lambecius* & *Oudinus:* noſter autem *de Rubeis* & ipſe adduxit, & Latinam primus verſionem addidit. Impetrato *diplomate*, *Gregorius* Παραίτησιν, id eſt *libellum abdicationis*, confecit, qui in Codice Lugduno Batavenſi loco ultimo habetur, & multiplici ex cauſſa reprehenditur a *Pachymere.* Eligitur novus Patriarcha *Athanaſius*, Monachus in Monte Gano: *Cyprius*, ægritudine confectus, paullo poſt vivere deſiit. Atque his quidem omnibus ab *de Rubeis* erudite expoſitis, denique clauditur hæc *Diſſertatio prior* collectione ac recenſione pulchra utilique ſententiarum omnium, quas Græci de Proceſſione Spiritus Sancti tenuerunt, & iudicium de ſingulis interſeritur.

IV.) *Diſſertatio poſterior* hiſtorica & dogmatica, nec illa minus erudita quam comta, ſic inſcribitur: *de additione vocis FILIOQVE ad Symbolum: & de vano inde ſumto Graecorum ſciſſionis praetextu.* Quum Latini addiderint Symbolo Nicæno vocem *Filioque*, eam additionem ægerrime tulerunt Græci, qui Latinos, tanquam Symboli totius Eccleſiæ depravatores, malæ fidei accuſarunt. *Huius additamenti Hiſtoriam* expoſuit ordine *chronologico*, eiusque

Digitized by Google

que partim a labe immunitatem, partim vanum inde prætextum ſciſſionis, evincere in hac Diſſertatione ſtuduit *de Rubeis*. Et quidem quod ad immunitatem a labe attinet, certum eſt, in *Symbolo*, quod *Apoſtolicum* dicitur, quo uno ante Synodum Nicænam utebatur Eccleſia catholica, *varia* in particularibus coetibus *additamenta* fuiſſe facta. In Occidente, Ravennatenſis Eccleſia verba *vitam aeternam;* Eccleſia Aquileienſis, præter alia multa, adiecerat quoque *deſcendit ad inferna*. In Oriente ſimiliter, Alexandrinis & Hieroſolymitanis in Eccleſiis, quædam vocabula fuiſſe addita, *Rufinus, Socrates, & Cyrillus* docuerunt. *Symbolum* autem *Nicaenum* ſtatim poſt Synodum Nicænam anno *325*. habitam, auctum fuit dictionibus variis. *Epiphanius* refert in *Ancorato Num. 120. & 121.* duas fuiſſe circa annum *373*. in Eccleſia Græca formulas, in Baptiſmate uſurpatas, quarum in poſteriore legebatur: *Credimus in Spiritum Sanctum, a Patre procedentem, accipientem a Filio*. Textus Græcus habet: ἐκ τῦ υἱῦ λαμβανόμενον. Hæc verba ex aſſe reſpondent quadriſyllabo illi *Filioque*. In eadem Eccleſia, poſtquam hæreſes *Arianorum, Eunomiorum, Macedonianorum*, damnatæ erant Synodo Conſtantinopolitana anno *381*, inſerta ſunt Symbolo Nicæno verba: *Deum de Deo, &, ex ſubſtantia Patris*. Poſt hæc tempora fuit quidem decretum in *Synodo Oecumenica*, anno *431. Epheſi* celebrata, *omnes formulas Symboli damnari, in quibus aliquid minuatur, aut mutetur, aut adiiciatur ad fidem alteram*. Sed hæc verba Synodi recte intelligenda ſunt. Nam (α), quia eiusmodi inſtitutum de Symbolis immutandis, ad diſciplinam ſpectat Eccleſiaſticam, pro temporum & adiunctorum neceſſitate variari poteſt. Recte omnino Græci ſuperiora inſeruerant additamenta, utpote tempori conformia. Iidem Græci etiam poſtea *Epheſinum decretum* relaxarunt. Nam *Synodus Oecumenica Calcedonenſis*, anno *451*. contra *Neſtorium & Eutychen*

tychen celebrata, circumſcriptius expoſuit Articulum *Incarnationis*, docens: *unum eundemque Dei Filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, perfectum in Deitate, & eundem perfectum in humanitate.* Hæc Appendix, ad Symbolum Nicænum & Conſtantinopolitanum, a Patribus Calcedonenſibus adiecta fuit. Porro, iidem Græci peculiares quasdam Fidei Confeſſiones ediderunt, quæ dici poſſunt *Symbolum Nicaenum & Conſtantinopolitanum additamentis auctum;* confeſſiones, in Synodis adeo Oecumenicis approbatæ. Huius generis ſunt: *Expoſitio Fidei, Cyrillo* data; *Formulae* a *Tharaſio* & *Theodoro* oblatæ; hodiernus Græcorum uſus Symboli, in Epiſcopi conſecratione ſervatus; aliaque. (β) In prædicta *Synodo Epheſina*, nec non *Calcedonenſi*, ſaltem formulæ Symboli damnantur *ad fidem alteram*, id eſt, *eae, quae rectae fidei orthodoxae adverſantur.* Atque hæc etiam verba adiectionem vocis *Filioque* defendunt, & crimen Latinis impactum amoliuntur. Quid enim? in certaminibus Eccleſiæ, Græcis quod licuit, Latinis non liceat? Græci relaxarunt *Epheſinum Decretum*, in cauſſa ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinente, ac fidem confirmante. Nonne actio *Synodi Calcedonenſis* confutat Græcos, qui, *Legis Epheſinae* prætextu, contra Latinos pugnant? Quid? quod *Symbolum Conſtantinopolitanum*, licet *Additamentis auctum*, ſemper tamen abſolute *Nicaenum* vocari conſuevit? quemadmodum ex Synodo Conſtantinopolitana, anno *536.* ſub *Mena* celebrata, eſt manifeſtum. Quod igitur propius ſpectat ad vocem *Filioque*, noſter *de Rubeis Leonem Allatium* confutat, qui putavit, ætate *Damaſi* a Concilio Romano eam Symbolo adiectam fuiſſe. Silent enim monumenta vetuſta. Potius particulares Eccleſiæ fuerunt primæ, quæ in Synodis ſuis, pro circumſtantiis temporum adverſus hæreſes, vocem *Filioque* Symbolo adiecerunt. In *Hiſpania*, regnante *Reccaredo*, anno *589.* *Synodus Toletana III.* celebrata eſt. In hac Synodo,

Digitized by Google

Rex Symbolum Nicænum & Conſtantinopolitanum cum his verbis recitavit: *qui ex Patre Filioque procedit;* & *Canone tertio* anathema a Patribus edictum eſt, in negantes, Spiritum Sanctum a Patre *Filioque* procedere. Hiſpanorum exemplum ſequuti ſunt *Galli.* Hi, poſtquam audiverunt Græcos negare, Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere, in *Concilio Gentiliacenſi*, anno *767.* habito, vocem *Filioque* adiecerunt. In Eccleſia *Romana* quando vox uſurpari coeperit, incertum eſt. Id conſtat, quum anno *809.* auctoritate *Caroli M.* in *Synodo Aquisgranenſi* ageretur ſuper quæſtione de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre Filioque, & legati *Bernharius* & *Adelhardus* Romam mitterentur, petitum a *Leone III.* vellet additamentum *Filioque* publica auctoritate confirmare; Pontificem Maximum petitioni non ſatisfeciſſe. Neque tum in Eccleſia Romana aut canebatur, aut in Liturgia legebatur Symbolum cum hac voce. Immo vero, quamvis aliæ Eccleſiæ hoc Additamentum iam receperant, nondum tamen admiſit toto *ſaeculo nono* Romana Eccleſia. *Saeculo* autem *undecimo*, certisſimum eſt, Symbolum, voce *Filioque* auctum, in Eccleſia Romana adhibitum fuiſſe. Teſtatur enim *Berno* Abbas, ſe Romæ interfuiſſe anno *1014.* coronationi Imperatoris *Henrici II.* a Pontifice *Benedicto VIII.* factæ, quum inter ſolennia Miſſarum Symbolum ita decantaretur, & *prima* fortasſis *vice* cum omnium conſenſu. Hinc ergo lites atque disſidia ſumma, quorum quidem ſcintillæ manſerant inter Græcos, a tempore inde *Photii* Patriarchæ, cum *Nicolao I.* acerbe contendentis; ſicut in hac Diſſertatione copioſe enarratur. *Michael* vero *Cerularius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, denegatum *Euſtathio* anteceſſori ſuo titulum *Oecumenici Patriarchae* inique ferens, anno *1043.* Latinorum ritus quosdam, ut panem azymum, ieiunium Sabbati, aliosque; ſed & dogma de Procesſione Spiritus Sancti acerbe reprehendere, calumniasque ſexcentas in ſedem

dem Romanam inſtaurare. Traxit in ſuas partes *Nicetam* & *Theophylactum*, (ab *Humberto* quidem Cardinali dextre refutatos:) denique nomen Pontificis Romani e ſacris Diptychis expunxit. His fuſe expoſitis, Clariſſ. *de Rubeis* in Anacephalæoſi omnia repetit ſuccincte ex antecedentibus. Oſtendit, quænam in Conciliis Græcorum variis, & quam ob cauſſam, Symbolo Nicæno *Additamenta* ſint facta. Addit igitur, etiam Latinis licuiſſe, in negotio ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinente, ita agere. Denique exponit, vocem *Filioque* a Latinis adiectam, vanum ſaltem prætextum eſſe Græcæ Eccleſiæ, quod a Latina ſe ſeparavit; & cauſſam potius eſſe veram hanc, quod Patriarcha Conſtantinopolitanus magno titulo *Oecumenici Praeſulis* excidit.

NOVA LITTERARIA.

Inter animantia nullum prope genus eſt, neque Phyſicis ad comprobandam naturæ varietatem, neque intuentibus ad oblectandos oculos adcommodatius, quam aves. At enim vero aves, ut difficulter colliguntur, ita repoſitæ cum pennis ægre aſſervantur, & pulcram illam luxuriantemque pennarum, ut ita dicamus, pompam, uno ſæpe anno amittunt. Quapropter cuilibet gratum eſſe debet, & naturæ ſcrutatoribus præſertim iucundisſimum, cognoſcere, quomodo collectionem avium inſtruere, & pulcre habere in perpetuum, ſine corruptionis metu, posſint. Fuerunt autem, qui teda, qui corio, qui ſulphure, variisque acerrimis odoribus uterentur ad arcendas blattas, teredines, & id genus plura inſecta, exſiccatis effarctisque avibus metuenda. Hæc quantum valeant ſubſidia, illi dicent, qui, ſi quem avibus ſuis interitum viderint, eorum ope imminentem ipſis ruinam avertere confidentius putarunt. Celeberri-

berrimus KLEINIVS aliam iniit rationem; quippe ſingulari harum rerum cognitione & indefeſſo ſtudio, ut ſolet, ſumtibus item haud mediocribus, cum magna omnium voluptate, & hiſtoriæ naturalis inſigni incremento, inſtruendæ avium collectionis methodum, quod cogitaverat antea nemo, novam, eamque utiliſſimam conſequutus eſt. Pro eo nempe, quem his rebus asſignavit, ordine, crania & pedes ad genua usque truncatos, undiquaque collecta, & linimento balſamico inuncta, ad methodum in *Prodromo Hiſt. avium nat.* propoſitam digesſit, & in armarium, obiectis ſpecularibus, incluſit, ut eſſet ubi conſpicerentur quæ contrectando ſaltim aliquid detrimenti caperent. Atque his, quæ Auctoris eſt modeſtia, crepundiis rerum naturalium ſucceſſu temporis inſigniter auctis, & ſua amicorumque opera ad ſatietatem amplificatis, eruditorum precibus obſecuto voluntas incesſit, hos avium characteres, quos ſtemmata vocat, ad traditum a ſe ordinem naturalem delineandi, delineatos deſcribendi, deſcriptos in publicos uſus convertendi. Huius rei cauſſa, idiomate germanico & latino, opus concinnavit tabulis comprehenſum, cui titulum præfigit: IAC. THEOD. KLEINII *Stemmata avium quadraginta tabulis illuſtrata:* acceſſerunt nomenclator Polono-latinus & Latino-polonus; I. TH. KLEINS *Geſchlechts-Tafeln der Vögel*, plagg. 8. in 4to mai. cum 40. tabb. æneis. Etenim non ſatis dignum viro bono arbitratus, methodum, quam facilem nactus, & a ſe iterum iterumque adhibitam, rogatus non velle exponere, neque indicare; id quod in re præſenti opus maxime eſt, quum utilitatem ab illa & percipere & ſperare ampliſſimam debeamus. Longiſimus, ſi de omnibus referre ipſi velimus, quæ in libro, qui emittendus eſt, continentur; id librum alium poſceret totum. Sin videmur aliquibus in eo peccare, erit tamen noſtræ voluntati cur minus ſuccenſeant, ſi, quod alterius cuiusvis orationem recuſat, auctoris verbis, quam fieri poteſt, bre-

breviſſime complectamur. Noluimus, inquit, non ſignificare, in quantum utilitati communi ſervire poſſint hæc avium ſtemmata. *Primo*, quilibet, qui non funditus repudiare velit diſpoſitionem noſtram, ſtatim perſpicere valet, num genera a pedibus roſtrisque deducta ſpeciebus reſpondeant? *Secundo*, exhibita ave integra, ignota tamen, vel etiam carne aſſa, ſed capite pedibusque ſalvis, *familia* haud difficulter determinatur; quippe nemo non numerum digitorum, formamque pedum, protinus agnoſcit. *Tertio*, ſedulo & curatius roſtrum conſideranti, genus proximum illico ſeſe offert. *Quarto*, quodſi cranii altitudo, firmitas & longitudo roſtri, aliæque huius conditiones, (integra licet corporis figura ad tempus ſepoſita,) absque ullo negotio avis ſpecies extrema dignoſci poterit. *Quinto*, hunc in finem ſingula capita una cum pedibus, ea, quam natura habent, magnitudine, ope circini, accurate ſunt delineata —. Examen ſi quis inſtituere velit, circino menſuram ſive cranii & roſtri, ſive pedum cognitæ avis exploret, & eandem noſtræ delineationi applicet. Hoc modo apparebit ſimul, plurimos Auctores nimium aliquando temporis operæque conſumſiſſe, ut avium figuras ipſas, coloresque, originalibus exæquarent, capitum autem pedumque formas plus iuſto neglexiſſe —. Hæc KLEINIVS. Addimus, quod ad cognitionem avium hoc modo quis eſſe poſſit inſtructus, qui moleſtiam refugiat, integra earum corpora obſervandi cum cute & pennis. Hoc itaque ill. KLEINII opus præclarum item & ſumtuoſum, proxime prodibit; lege nempe æqua, maximeque facili. Quilibet huius ſtudii amans, pro uno libri exemplo, duos Imperiales exſolvet, ut pro imprimendo libro, (charta enim magna, eaque albidiore, imprimetur,) excidendisque ære iconibus, ſit unde ſumtus recuperari poſſint. Nomen qui in anteceſſum ſubſignavit ſuum, librum propediem foras dandum, ſine ullis impenſis Lipſiæ accipere vel ipſe, vel delegato negotio per

Digitized by Google

per alium, poteſt. Nomina eorum, qui collatis ſymbolis editionem iuvarint, operi præfigere æquum eſt; & cum pauca admodum exempla, ultra deſiderata, imprimentur, quodvis eorum quatuor Imperialibus deinceps venum dabitur. Exteri eruditi, & qui in diſſitis locis degunt, quisque in bibliopoliis ſuis, aut ſi commodius videtur, apud *Ad. Henr. Holle,* Bibliopolam Lipſienſem, nomina profiteri ſua in anteceſſum poterunt, ſi quidem ſubſcriptionis legem ſibi prodeſſe velint.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLVIII.

LE DROIT PUBLIC DE FRANCE &c,

i. e.

IUS PUBLICUM FRANCOGALLIAE MONUMENTIS antiquitatis illuſtratum: quo opere de origine & natura iurisdictionis, de patrimonio regum & optimatum, legislatione regia, maieſtate, iurisdictione ſuprema, regio iure propter ſacerdotiorum vacantium reditus, eccleſiarum immunitate, beneficiis, ſive feudis, villicationis, venationis, & gruriae iuribus, nobilitate & ſervitute, emancipationibus, praediis vectigalibus, quae optimatum dominio ſubſunt, agris & ſylvis communibus, civitatibus regiis & dominicis, herediis liberis ſive optimo iure poſſeſſis, de ingenio conſuetudinum regni antiquarum & hodiernarum, earumque cum iure aut Francico aut Romano convenientia, deque cauſſis contrariorum &c. diſſeritur, Auctore BOUQUETO, Curiae ſupremae Advocato.

TOMUS I.

Lutetiæ Pariſiorum 1756. Deſaint & Saillant librarii, privilegio regis, vendunt in 4to.

Memores promiſſi, alteram partem egregii libri, ſumma fide recenſitam, exhibemus. Iam igitur numero ſecundo, de officiis Vaſſorum, Ducum, Comitum, Gra-

 vio-

vionum, Vicariorum, Centenariorum, & Legatorum, doctiſſ. Auctor diſputat. Fuerint ne ſub priſcis regibus reipublicæ adminiſtri, quæſitum eſt. Quicquid etiam Monteſcuſius dixerit, propterea non opus fuiſſe hoc miniſterio, quod criminum poenæ pecuniariæ erant, & omnis legalis cauſa ad reparationem damni redibat; cum tamen antiquis legibus poenæ etiam quorundam criminum capitales, e. g. in iudicem latronis relaxati convictum, eſſent ſancitæ, & cum laxa ea populi ſine miniſterio ſummorum virorum diſciplina locum ſane potentium impunitati dediſſet: his argumentis commotus eſt noſter, ut legum maieſtatem ſine vindice non fuiſſe, & hoc ipſum officii genus Vaſſos maiores in ſuo quemque diſtrictu habuiſſe, concluderet. Etenim nota ſunt poenæ ignominioſæ, canis, ſellæ, aratri in proximum comitatum portatio; quas ſemper ſupplicium eſt ſecutum. Ante etiam, quam Scabini aut Rachinburgi capitis ſententiam dicerent, quæſtione publica opus fuit, quam illi certe habere non poterant, quibus privata tantum, & mulctis aut reparationibus imperandis abſoluta, poteſtas erat. Deinde, ſi Monteſcuſium audias, conſequens neceſſario eſt, ut idem ſemper fuerit iudex & pars, cum comitis intereſſet quævis cauſa, ſemper aliquid emolumenti ex iudicato, mulctæque aut partem, aut omnem ſummam capientis. Unde ſatis apparet, non eandem ſub priſcis regibus iudicum notionem habitam, nec eos, ut hodie magiſtratus, iudicia exercuiſſe. Rem quatuor argumentis collegit noſter. Primo Duces, Comites, Vicarios, Centenarios, Locum tenentes Partem publicam appellatos, id eſt, reipublicæ adminiſtros ſub rege, regiæ maieſtatis participes, demonſtravit. Secundo, regni reique publicæ miniſterio, non iudicum officiis functos. Tertio, iudices proprie dictos in quovis tractu ad lites ordine iudicandas conſtitutos fuiſſe: Iudicum vero nomen, quod quarto numero attulit, latiſſimo quondam ſenſu ſervis impoſitum, quod illi, dominorum auctoritate, reipublicæ miniſterio defungebantur. Si quis vero ex iure Romano meminerit, quale quantumque habitum ſit, inter publica iudicia ac privata diſcrimen, ei ſane Bignonis ſententia, iudicem publi-

Digitized by Google

publicum eccleſiaſtico opponentis, prima diſplicebit fronte. Neque enim iudicem, qui iuſtitiam exercuerit, ſed eum, qui exerceri iuſſerit, & Caroli M. Capitularia, & S. Leonis epiſtola univerſalis ad epiſcopos, deſignat. Itaque hi publici iudices, tum principis, tum reipublicæ erant miniſtri, & nunquam habebant iudicia. Cur tamen Bolquetus rempublicam dixerit *choſe publique*, loco eius vulgaris république, cauſſa videtur ex Latio non petenda. Veteres enim Romani, rei publicæ ac publicæ rei notiones nunquam diverſa declaraverunt ſcriptura, cum omnis ſane diverſitas non a coniunctione vocabulorum, ſed inde proficiſcatur, quod ſolum rei vocabulum varios ſignificatus admittit. Rerum autem in publicas privatasque diſtinctio ampliori explicatione non indiget. Verius eſt, Capitularibus Caroli II. iudices regios, & eos quorum villæ ſunt, a miniſtris reipublicæ diſcerni; Comitibus quoque, & aliis regni procuratoribus, rei monetalis ſupremam curam mandari, quamvis eſſent eius tribuni peculiares. In Capitularibus vero Caroli Calvi de an. 858. ubi cap. 14. miſſi non ignorare iubentur, qualiter comites & ceteri miniſtri reipublicæ iuſtitiam & iudicium populo faciant, Bolquetanæ ſententiæ patrocinium non eſſet, niſi aliarum legum expreſſa verba ſuppeterent, quibus, procurarent iuſtitiam fieri, imperatum. Nominatim ſtatutum, ut perſequerentur criminum reos, pupillos viduasque protegerent, per loca ſolita inſtaurarent palatia, quibus rex legatique eius reciperentur, eccleſiis non gravatis: quæ Monteſcuſius omnia ſupervidit. Neque litteræ publicæ deſunt, quæ viri celeberrimi opinionem confirmant, & quibus, Muratorio obſervante, miniſtri dicuntur ſuperioris aut inferioris ordinis, ut deſignentur tam Duces, Marchiones, & Comites, e quibus principum chorus tum conſtituebatur, quam Gaſtaldi, Centenarii, Decani, Sculdaſii, aliique minores iudices, aut regiæ cameræ procuratores. Cuiusmodi plurimæ ſunt apud Dom. Bolquetum Vol. VIII. & IX. Collectionis Hiſt. Franc. a noſtro diligenter adductæ. Nomina vero, quibus veniunt, hæc ſunt: Miniſtri reipublicæ, miniſteriales reipublicæ, miniſtri regni, auctores reipublicæ,

Digitized by Google

cæ, præpoſiti reipublicæ, miniſtri regis, miniſtri publici, rem publicam gubernantes, reipublicæ procuratores, pars publica. Poſtea amplius probatum, hos non ipſos, ſed per alios lites iudicaſſe. Argumento ſunt frequentiſſimæ leges: Procurent populo facere iuſtitiam: Commoveant cauſſam ad requirendum: Sciant iuſtitiam, ne ante eos iniuſte quis iudicare poſſit, nec legem mutare: Omnes ad iuſtitiam faciendam compellant: Fures latronesque & homicidas, &c. prodere: Ponat ordinationem ſuam, ut unusquisque provideat, ut contra legem non faciant: A Comite requiratur, cuius homo hoc fecit: Viduis & pupillis maximus defenſor. Digniſſimum lectu Capit. L. Caroli M. cap. 25. ut comites & centenarii iuſtitias faciant. Ludovici Pii præcepto, pro eccleſia Aurelianenſi apud Baluz. p. 1410. diverſa mentio fit iudicis publici, vel cuiuslibet ex iudiciaria poteſtate: hic quidem audire cauſſas, ille freda aut tributa exigere in tractu eccleſiæ prohibetur. Idem imperatum, eodem diſcrimine, pro eccleſia Pariſienſi. Sub initia vero tertiæ regum propaginis, Ballivi, Seneſchalli, Viarii, Præpoſiti nominabantur, qui antea Ducum, Comitum, Vicariorum, Centurionum, Locumve tenentium nominibus rempublicam adminiſtraverant. Illos autem conſtat non iudicaſſe, ſed delicta publica perſecutos. Iure enim beneficiario tum temporis introducto, parium erant iudicia. Hos, Bellomanentis (Beaumanoir) tempore, convocabat Ballivus. Apud Bobillerium, Summæ ruralis L. I. tit. 14. integra litterarum forma eſt, quibus domini honorati Ballivos inſtituerunt, quibusque, ut plurimis regni ordinationibus factum, iudices illi ſive Ballivi ab ipſis iudiciis, quantumvis eorum iuſſu habendis, arcentur. Eiusdem veteris moris veſtigia ſunt in Germania noſtra, certumque atque exploratum eſt, eum non, niſi Romani ac pontificii iuris, & domeſticarum ordinationum difficultate, ſenſim interiiſſe. Nec Viarii & Præpoſiti, niſi reipublicæ miniſterio functi. Si diſcordia finiri non poterat, niſi per iudicium, vocandus erat Viarius, qui non ipſe iudicium faceret, ſed reos ad præpoſitum duceret ante eius tribunal, quo facto præpoſitus eos ad iudicium mitteret; uti litte-

ris

Digitized by Google

ris Campanenſibus diſpoſitum legas apud Bruxellum. Viarium a videndo dictum aliæ aiunt litteræ, uſu definitionis nominalis, quem iureconſultis Romanis frequentem novimus, & cuius hanc veniam damus antiquitati, ut bono conſilio negligant curioſitatem verborum. At enim ſine ædili quæſtio exerceri non potuit; & ſi quid ſine eius auctoritate factum, ipſi quidem intercedendi, & reum in carcerem reducendi poteſtas fuit, ubi per magiſtros deinceps iudicaretur. In regeſtis tabularii plurima monumenta habentur, quibus Viarium iisdem, atque hodie ſubſtitutum procuratoris generalis, officiis patet defunctum. Accedit, quod hi miniſtri principis ac regni, ſi cognoviſſent de cauſſis, reliqua ſane miniſteria non potuiſſent obire. Primo enim, ad Capetingorum usque initia, rem regiam privatam adminiſtraverunt, Iudices inde fiſcales eo ſenſu, credimus, appellati, quo olim Comites rei privatæ. Ita Chilpericus refertur Gregorio Turonenſi, novos comites ordinatos cuncta urbium tributa iuſſiſſe deferre ſibi. Ex formula vero 8. L. I. apud Marculſum, aliquid emolumenti ex iurisdictione Comitum Ducumve in fiſci dicationibus rediiſſe ad fiſcum diſcimus. Villici atque præpoſiti, ut Romanis ablata ex actione ſua reſtituerent, ne quid fiſco deperiret, lege Viſigothorum; Caroli autem magni Capitularibus, ne tributa maioris pretii, quam a miſſis genitoris eius conſtitutum, exigerent, imperatum. Dignum etiam memoratu eſt Conradi I. Imperatoris, Carolique ſimplicis, regis Galliarum æqualis, tempore, omnes iſtos reipublicæ adminiſtros arbitrio principum potuiſſe deponi. Deinde ipſorum emolumentorum, quæ iurisdictionis fuerunt, ipſis miniſtris aliqua pars ceſſit. Porro, conſuetudinibus Bellovacenſibus, & pluſculis aliis monumentis, agriculturæ, omnisque domeſticæ rei, ac rationes ſubducendi reddendique ſcientia, a præfecto inprimis exigitur; hodieque rationum redditarum libelli ſuperſunt, & ordinationes Caroli Pulcri, ut ſtatis diebus argentum & rationes redderent, ſub poena ſexaginta librarum. Accidit, ut præfecti, præpoſiti, atque villici, officia ſua titulo locati conducti tenerent: cuius rei illuſtre exemplum eſt in Annalibus

Digitized by Google

Flandriæ, reſponſio Bonifacii VIII. P. nolle ſe Ludovicum regem in numerum ſanctorum referre propterea, quod præfecturas locaſſe, reperiatur. Servatur in tabulario decretum Iohannis regis, qua has locationes conductiones primus videtur prohibuiſſe. Quamvis apud Bituricenſes illa locationis forma, ad Ludovicum usque undecimum uſu duraverit. Quæ cum ita ſint, iſti ſane, qui ex iuriſdictione emolumentum ceperunt & partem mulctæ, ſententias ferre non potuerunt. Cuius rei novum argumentum eſt provocandi licentia, ſi comes, aut alius horum iudicum, iniuriam ſe pro iure accepiſſe putaret. Igitur peculiares in quoque tractu, & coram quovis tribunali, iudices conſtituti, qui lites iudicarent, & litigantibus, quos publicæ rei miniſtri in iudicium miſerant, ius redderent. Ante vero, quam inſtituta Bolqueti perſequamur, monemus in univerſum, videri in Francogallia eandem hactenus iuris ac iudicii rationem, atque olim apud Romanos, obtinuiſſe: ducem quippe vel comitem alium, ut miniſtrum regni, aut rei dominicæ, uti Romæ prætorem, iuriſdictionem & imperium habuiſſe, ad eum in ius itum, ab eodem datos iudices vel coactos, qui iudicarent factum æſtimarentque, deinde ferrent ſententiam, cuius exequendæ poteſtas eſſet apud præfectum. Tractum ne aliquid ex Romanis moribus, alii videant. Nos modum ordinemque iudicii, diverſis quatuor temporibus, iuxta virum celeberrimum deſcribemus. Itaque ſub primis regibus Rachinburgi fuerunt numero ſeptem, coram quibus & Comite iurare actorem oportuit, lege Ripuariorum, ſi reus ad ſeptimum mallum non veniſſet, ſe eum ad ſtrudem legitimam admallaſſe: quo factum eſt, ut iudex fiſcalis ad domum rei accederet, legitimam inde ſtrudem auferret, & ei diſtribueret, qui eum interpellaſſet, hoc eſt ſeptem Rachinburgiis unicuique 15. ſolidos, & ei, qui cauſſam proſequebatur, 45. Eadem lege cautum, ut reum, qui vim vi repellere, & contradicere ſtrudem voluerit, ad dandos fideiuſſores in id compelleret comes, velle ante regem ſe ſiſtere, & armis ſuis contra adverſarium defenſare. Ea duelli iudicialis mentio offendit illuſtriſſimum Monteſcuſium, qui partem reipublicæ capeſ-

capeſſere neminem potuiſſe, niſi perpetuo certare pro omnibus contra omnes voluerit, ſpecioſe magis, quam vere, argumentatur. Enimvero & lex noſtra, & formula, quam ex Muratorio retulit, nihil tale confirmant, ſed neceſſitatem certaminis altera actori imponit, altera procuratoris fiſci in arbitrio plane conſtituit, velit ne pro hereditate caduca cum tertio, qui heredem ſe dixerit, armis dimicare, nec ne? Aliam ſpeciem proponit Ripuariorum ius, ſi Rachinburgi ſecundum a litigante per illud: Ego vos tangano, ut mihi legem dicatis: admoniti, iniuriam reddidiſſent, & poſtea convicti eſſent, tum unicuique mulcta quindecim ſolidorum dicta, nulla comiti, qui, ſi iudicaſſet cum illis, impune profecto non abiiſſet. Pipini autem capitulare 29. de anno 755. huc plane non pertinet, niſi quod Rachinburgiorum mentio facta, & a celeberrimo Bolqueto male intellectum videtur. Innoteſcere enim ad comitem, non eſt libellum provocatorium interponere, ſed in comitis ius venire. Maioris momenti ſunt legis Salicæ tituli 59. & 60. quorum ille, uti rex in exilium mittat reum, qui iuſto iudicio Rachinburgiorum obſequi detrectaverit; hic cavet, ut Rachinburgii ius reddant ſecundum leges, præſcriptis variis modis, quibus ad partes ſuas rite implendas adigi debeant. Sub Carolingorum imperio eadem res, ſed diverſum nomen Scabinorum obtinuit, quos ſingulari commentario egregie illuſtravit Fridericus Brummerus, Lipſienſis, celeberrimo Bolqueto commemoratus. Horum etiam numerus ſeptenarius, eadem ad ius ſecundum leges dicendum obligatio, eædem, niſi graviores forte, male iudicantium poenæ. Si cui poſt iudicium Scabinorum vita conceſſa, is vero, novo crimine perpetrato, noluerit iuſtitiam reddere, & pro mortuo ſeſe habendum dicat: capitularibus cautum, ut ſuperius iudicium denuo ſuſtineret. Si quis cauſſam iudicatam repetere in mallo præſumſiſſet, ibique teſtibus fuiſſet convictus, 15. ſolidorum mulctam pendit, aut 15. ictus ab Scabinis, qui cauſſam iudicaverant prius, accepit. Cap. 2. anno 803. c. 10. Sunt etiam capitularia quædam, e quibus, in conciliis publicis Scabinos lites iudicaſſe, Bolquetus colligit. Ita

comiti

Digitized by Google

comiti imperatum, ut cum Scabinis duodecim ad placitum veniret, numerumque, ſi minus ſuppeterent, de melioribus viris illius Comitatus ſuppleret. Lindenbrogius quidem formulam habet rei per Scabinos in mallo publico iudicatæ: neque tamen de alio quam de particulari conventu, quem comes habuit in provincia ſua, ibi ſermo eſt; quod neglexiſſe videtur Bolquetus noſter. Sed litteris Caroli ſimplicis, aliisque apud Muratorium documentis, ubi Scabinorum palatii coram principe iudicantium mentio fit, res extra dubitationis aleam poſita eſt. Si quis Germaniæ mores conferat, habebit præſentem rem. Etenim magiſtratus noſtri municipales, veterum Scabinorum propago, ubivis fere convocantur ad conventus provinciales. Hoc tamen particularium & generalium conciliorum diſcrimen, ut in his & comites iudicarent, in illis non æque. Etenim ſecundum traditiones Fuldenſes, ex quibus elegantem locum ſuppeditavit Brummerus, interrogavit Comes Scabinos, hique ſecundum teſtimonia hominum atque comitis inquiſitionem iudicaverunt, ut omnis adeo ſententia, præcipiente comite, & Scabinis iudicantibus, diceretur. Conforme eſt, quod biographus S. Caroli, Flandriæ comitis, tradit, ſine Scabinorum iudicio nihil datum poſſe vel velle comitibus. Comitem quidem, vel miſſum principis, in iſtis iudiciis præſentem fuiſſe, exemplum Boſonis, quod Muratorius habet, confirmat. Capitulare Lotharii addidit noſter, quod cum Longobardica lege L. II. t. 40. conſpirat, & his verbis conceptum eſt: Diaconorum, Epiſcoporum, Presbyterorum filios, notarios, ſculdaſios, comites, iudices fieri omnibus modis prohibemus. Ubi ſane omnia ſatis diſtincta agnoſcas. Nomen Scabinorum ſub regibus etiam tertiæ ſtirpis obvium, ſimul tamen illud bonorum virorum hominumve invaluit. Omnem rem minus frequentem fecit beneficiariæ legis ſollemnitas. Superſunt tamen antiqui moris exempla. Iudicio Baronum determinatum, ut S. Bertinus proprios Scabinos haberet, & delictorum publicorum privatorumque quæſtionem. Idem Beroenſibus & Bituricenſibus ius manſit. Inprimis autem notandæ Sirmondi formulæ, cap. 30. & 31. qui-

quibus nomen bonorum virorum hominumque bonorum proditur. Adiecit noſter aliqua Bellomanentis loca, quæ & dilationum impetratarum multitudinem ac rationes indicant, & ipſi etiam domino non minus, quam præfecto eius, iudicandi ferendæque ſententiæ poteſtatem negant. Nomen civium iuratorum inferius obſervatum. Iam ad morem iudiciorum poſt inſtitutionem clientelarum ſive feudorum pergit Auctor. Uti duodecim omnino Scabinis opus fuit ad cauſſas maiores iudicandas, ita idem fere Vaſſorum aut Parium numerus, (Hommes de Fiefs & Pairs,) in iure beneficiario neceſſarius viſus. Anno adhuc 1185. hæc ita ſuper numero Scabinorum diſpoſuit Philippus Auguſtus. Non eadem numeri conſtantia propter cæteras cauſſas: id vero conſtans & perpetuum, ut Scabini ſemper; comes aut dominus nunquam, deciderent in ſuo tractu, niſi forte arbitrium recepiſſent. quod poſtea iure clientelari & Parium uſu ſervatum. Non iudices optare potuerunt actores, ſed conditio iudicum numerusque beneficii conditione determinatus. Dominus aut præfectus eius Pares cogebat, iudicium poſcebat, poteratque præſto eſſe; iudicare non poterat.

Vaſallus agendam
Forte monet litem; non tu, ſed curia, iudex
Audiat, & certo determinet ordine cauſſam.

Exempla rerum ſic iudicatarum, uti in tabulario ſervantur, & uti regio iuſſu Magnus, Lancelotus, atque alii excerpta publicaverunt, cupidis formarum iureconſultis propoſuit vir clariſſimus. Iuris fuit, ut provocatione ad regem facta, mutataque ſententia Parium, hi quidem centum ſolidorum mulctam penderent. Ea res pleroſque a iudicio faciendo deterruit. Igitur mulcta imminuta, & 60. ſolidorum dicta, nec ſolvenda omnino, niſi iudices fraudis, doli, aut corruptionis rei iudicarentur. Illud anni 1376. menſe Iulio ordinavit rex. Notabilius vero eſt, quod Bellomanentis auctoritate conſtat, iudices certamine ſingulari contra reum, qui provocaverit, ſe defendere, eoque modo iuſtitiam ſententiæ evincere, (faire le iugement bon,) oportuiſſe. Quod ſane ſatis demonſtrat,

Parium fuiſſe, non præfectorum, iudicandi officium, cum illos etiam ſententiam defendere oporteret. Iucunda hæc lectu, ſed parum nova, inprimis poſt poſtremas illuſtris Maſcovii curas. Sequitur paragraphus quarta, ubi de ſervis, qui ducum comitumve officiis defuncti ſunt, & eorum auctoritate, tractatur. Ipſi inde, improprio uſu vocabuli, iudices appellati. Status libertati proximus: ipſa libertas in præmium ſubinde fidelitatis conceſſa. Quod igitur ad primam poſitionem attinet, Scabinos ſemper ex nobilitate electos, libertumque ac libertam ne teſtimonium quidem dicere potuiſſe, id & Capitulari incerti anni, & lege Longobardorum conſtat. Quod ſi Salica, Ripuaria, ceterisque legibus ac capitularibus, ſervorum mentio fit, qui iudicum nomine honorati, principis & reipublicæ adminiſtri cluunt, ſive poenæ ſerviles ſtatutæ in eosdem miniſtros ingenuitatem eorum vetant præſumere, quarum omnium rerum innumera congeſſit exempla Bolquetus: a nobis quidem impetrare non poſſumus, ut ſervos, comitum & miniſterialium mandato, rempublicam adminiſtraſſe credamus cum viro clariſſimo, quando illud quidem mandati genus iuri publico contrarium, nec, poſito eo, neceſſe foret, ut rex in mandatarios miniſterialium ſtatueret, cui ipſi potius regni miniſtri eius, quod feciſſent per alios, poenam ſolverent merito. Ait Lex Salica: ſi alicuius Seniſcalcus, qui ſervus eſt — Quidni inferioris dignitatis dominus ſervum Seniſcalcum crearet? Lege Ripuaria comitis cædes, ſi ingenuus fuerit, 600. ſolidorum, *quod ſi quis puer regis vel ex tabulario ad eum gradum aſcenderit*, 300. ſol. æſtimatur. Qui, quæſo, Bolquetus ſtatuat, ſermonem eſſe de procuratore comitis, qui huius mandato ſive auctoritate officium obierit? Alibi de Gaſtaldis, aut Scuſtaidibus, aut qualicunque alio reipublicæ actionario, vel qualicunque alio ſervo ſanctorum imperatorum; alibi de unoquoque iudice vel villico regis aut reginæ, eo ſemper diſcrimine dictum, quod ſtatus diverſitas, & villæ regiæ, quam adminiſtrabant, conditio poſtulabat. Videas iis omnibus locis, quæ pro ſententia ſua excitavit Vir doctiſſimus, ingenuitatis & ſervitutis memoriam nominatim iniectam, &

ſumma

ſumma curioſitate habitum ſtatus diſcrimen. Liceat igitur diſſentire nobis a viro clariſſimo. Sed quoniam hoc agimus, hæc in univerſum tenenda videntur. Servitii vox, in vetuſtis capitularibus, ſæpiſſime pro miniſterio dicta: neque enim eo ſeculo homines proprietatis verborum adeo curioſi fuerunt. Quod ſi quis neget, dabimus ei, pro conditione villæ ac fortunarum, pro ſtatu ſubinde domini inferioris, denique favore principis aut reginæ ſæpiſſime factum, ut miniſterii honos in ſervo aut liberto conferretur, raro etiam ſervi ad ſummas comitum ducumve dignitates eveherentur. Villicorum inprimis ſtatus pro villæ conditione electus, & ita ceteri inferiores modo ex nobilitate, modo ex ſervis ſumti. Inde togatæ nobilitatis origo maximam partem repetenda videtur. Cave autem, cum Germanis quibusdam ſtatuas, omnes olim miniſtros Imperatorum ac Principum nullo diſcrimine ſervos fuiſſe. Neſciviſſe videtur Bolquetus virorum eruditorum certamina de miniſterialibus apud nos mota; ſed leve eſt, quod neſcivit. Iſtis ſane, quæ propoſuimus, ſperamus fore, ut & celeberrimus Gallus ſubſcribat, & noſtri eo libentius cedant, quo clarius eſt, ſumtum ab utraque parte aliquid nimis. Rectius Iuniores accepit illuſtris Bolquetus. Caroli Magni Capitulare de anno 802. Gaſtaldios, Vicarios, Centenarios, Venatores, Iuniorum comitis nomine comprehendit. Videas, an ipſi comites ducum ratione Iuniores vocentur? Medio enim ævo Senior, qui antecederet, Iunior eum, qui cederet dignitate, maxime tamen qui ſubeſſet, ſignificavit. Igitur etiam ſucceſſores audiunt, quod loci ordine, non temporis, ſuccedebant. Quæ res Bignonum tam male habuit, ut primo eos nepotes comitum, deinde miniſtros aut ſervos iudicum (Sergents,) interpretaretur. Hi autem famuli iudiciorum, præcepto Caroli pro Hiſpanis, aliisque capitularibus, ubi Iuniorum diverſa mentio facta, more ſeculi eius, Saiones appellitantur. Quamvis igitur probabile videatur Bolqueto, ſucceſſores nonnumquam ratione temporis memorari, & indicare edictum perpetuo valiturum: quoties tamen cumque pro Iunioribus veniunt, miniſtros illos publicæ rei ſignificant, qui ſub imperio

 comi-

Digitized by Google

comitum ipſorum tenebant in villis aut tractibus particularibus locum, nominibus quidem Maiorum, Decanorum, Cellariorum. His ut catelli, iudicibus diſtributi, iterum nutritionis cauſſa darentur, Carolus magnus tulit. Servilis ſine dubio conditionis fuerunt. Primum inter Iuniores locum maiores & foreſtarii obtinuerunt. Maior, cum beneficium accepiſſet, munus per vicarium obiit: foreſtarius, uti exempla Chilperici II. & Pipini docent, cum ſilva aut fiſco, ut reliqui ſervi, alienatus. Saltuarius crebro dictus, & regula magiſtri cap. II. legeque 30. Luitprandi, in numerum maiorum familiæ cum vicedomino, villico, & maiore domus, inque ordinem iudicum, ut Sculdais, relatus. Tantum de natura & ordine iudicum publicorum, quorum nomine, ut publica poteſtate gaudentium, acta conficiebantur. Veteris moris veſtigia Lutetiæ Pariſiorum, ubi ſemper præpoſiti nomen, & illo deficiente Procuratoris generalis, propter eius plenitudinem poteſtatis, actis iudiciorum inſcribitur.

Tertio capite probatum eſt, neque omnes iudices nominatos a rege, neque ſuam omnino poteſtatem beneficii titulo, ſed hereditario tenuiſſe. Aliquos a duce per conventionem populi conſtitutos, lex Alemannorum: aliquos electos a populo, Baiuvarium ius memorat. Ducem aut Comitem eligendi ius pago Cenomanico Childebertus III. dedit. Capitularibus Caroli magni proviſum, ut iudices, vicedomini, præpoſiti, advocati, centenarii pravi tollantur; & boni, veraces, manſueti, cum comite & populo eligantur. Ita erat e libertate ſocietatis ingenuorum, & hæc fere eſt dominicarum iurisdictionum origo. Iam tamen inde a tempore Childerici regis dominorum ac potentium mentio fit, qui iudices intra terminos habuerunt ſuos. Sub eo enim conventum, ut in quibuscunque fidelium terminis perſequi liceret latronem. Epiſcopis & potentibus interdictum, ne quis in iis, quas poſſidebant, regionibus, alios iudices inſtitueret, quam ibi natos: neve eccleſiæ centenarium comitis, vel comitem, advocatum haberent, ſed proprium, qui pleniter iuſtitiam faceret ante comitem ſuum. Miſſi etiam ordinati, ut de iuſtitiis non ſolum Imperatorum,

ſed

Digitized by Google

ſed eccleſiarum quoque, hominumque cæterorum, inquirerent. Copia igitur argumentorum eſt, quæ ſi non ita ſuppeteret, cauſſa foret in promtu, quam obſervatu dignam habemus. Quippe domini illi particulares iudicum generali nomine veniunt, ipſi ratione reipublicæ iudices magis, quam homines iſti, quibus ius dicere dederant. Deinceps plurimis argumentis probatum, poteſtatem illam dominicam, ſive iurisdictionem, patrimonii ſeu allodii titulo tranſiiſſe. Capitulare modo commemoravimus, quo principis, eccleſiæ, hominumque cæterorum dominia notanter diſtincta ſunt. Non hæc ſpiritualis eccleſiæ iurisdictio habeatur, ſed temporalis, quarum omni ætate maxima differentia fuit. Alio Capitulari permiſſum in territorio ſeu proprietate ſua eccleſias ædificare, ea cautione, ne antiquiores eccleſiæ iuſtitiam ſuam aut decimam perderent. Miſſi, nihil eccleſiarum poteſtati contrarium auſi, adeo, ut formulam conceptam Marculfus exhibeat, ne quis publicus iudex in eccleſiæ villas ingrederetur. Donatio prædiorum a rege eccleſiis ſemper facta cum omni cauſſa, Banno & Cippo, Mercatu & omnibus iuſtitiis. Laudantur inprimis in eam rem litteræ donationis, a Ludovico Pio epiſcopo Pariſienſi factæ an. 802. Maxime vero manumiſſiones in ſacroſanctis eccleſiis, clientum numerum & territorii amplitudinem adauxerunt. Hæc plena proprietas & poteſtas ſeculis adhuc decimo undecimoque duravit, neque indoles eius beneficiario iure mutata. Cuius rei argumento ſunt litteræ Ludovici infantis, & formula transactionis inter Philippum Pulcrum & Epiſcopum Vivarienſem, cum confirmatione regum Caroli V. Iohannis, & Ludovici Hutini. Simili modo donatores privati omne ius ſuum in eccleſias transtulerunt. Gaviſi vero ſunt omni iure, pleno dominio, & iurisdictione nullis limitibus circumſcripta. Originem rei ſupra, cum ſermo de diviſione agrorum eſſet, invenimus. Iudices publicos in prædiis regum, in privatorum herediis iudices privatos fuiſſe, probatum. Igitur criminum perſecutiones, iure capitularium, ad utrosque pertinuerunt. Archiepiſcopis, & comitibus eorum, quos in propriis modo civitatibus conſtitutos habebant, cæterisque

præſulibus, comitibus, & fidelibus regni, per uniuscuiusque archiepiſcopi dioeceſin, latarum legum exempla data, ut ex iis ius reddi curarent. Si cui gratia regis delicti capitalis impunitas data, iuris etiam dicundi poteſtas eſt reſtituta. Eadem poteſtas, ſive iuſtitia allodialis, filiis filiabusque diviſa: nec miſſo principis licitum fuit, extraneum ſervum vel colonum evocare ex territorio domini privati, cum eius coercitio ad iudicem loci omnino pertineret. Exhibitionem rei, qui in territorio heri privati latitabat, rogare comes: reliqui fideles iuſtum modium & æquum ſextarium curare, neque vel infra ſuam iudiciariam aut terminum, de aliorum coniectu quicquam accipere debuerunt. Commendati omnes, cuiuscunque etiam ordinis eſſent, in curia Seniorum iudicati. Univerſi regni poteſtas publica penes regem, qui vel ipſe, vel per pares curiæ ſeu palatii ſui, cognoſcebat; privata alicuius particulæ penes Seniorem fuit, ſalvo iure inſtantiæ & provocationum. Iudicibus publicis interdictum a Ludovico pio legitur, ne, qui ſuper privatorum apriſione habitarent, eos vel diſtringere vel iudicare præſumerent. Poſſidere vero iure proprietatis cum tenere a Deo & gladio ſuo dicerent, factum, ut potentiores domini comites Dei gratia ſeſe appellarent. Digniſſima lectu exempla ſunt Gulielmi Comitis, in hiſtoria Septimaniæ, & Odonis Carnotenſis apud Fulbertum ep. 96. Hic enim inprimis poſt ea etiam, quam beneficii legem voluntariam ſubierat, regem tamen iuris antiqui veterisque patrimonii ſui, quod non de regiis opibus accepiſſet, commonefecit. Tantum igitur abeſt, ut domini privati iura regia uſurpaverint, ut potius omnia initio eos pleni dominii iure obtinuiſſe appareat. Multis hoc, atque illuſtribus, maximam partem, exemplis confirmavit Bolquetus, quæ legi merentur a quovis veræ iurisprudentiæ ſtudioſo. Verum enim nonnulla ſunt, quibus titulo interdum oneroſo acquiſiviſſe reges fidem ſubiectionemque feudalem cognoſcimus. Ipſo etiam Salviani (Salvaing), qui de uſu feudorum ſcripſit, ætate, heredia libera in Delphinatu ſuperfuerunt. Idem, fratres, alioſque ſibi invicem cognatione coniunctos, fidem mutuam adſtricturos, alterius

Digitized by Google

terius alterum Vaſallos factos, in eodem Delphinatu obſervavit. Uſu vero beneficiariæ legis invaleſcente, poſtremo litteris, quibus augmentum honoris aut dignitatis prædio cuidam tributæ confirmabatur, ſollemne fuit inſerere hancce formulam, ut, ſi quæ portiones illius agri titulo proprietatis & liberorum herediorum venirent, eæ ſortirentur naturam beneficiorum.

Sequitur caput quartum de emolumentis, quæ ex iurisdictione redundaverunt. Neque enim ut onus imponere legem iurisdictionis neceſſe fuit: neque iudices ex beneficiis, ſed ex parte mulctarum, ſuſtentati. Qua in re conſpirant leges Baiuvariorum, Viſigothorum, Ripuariorum. Saionibus quoque decimus ſolidus cauſſæ iudicatæ, pro ſuo labore, conſtitutus. De compoſitionibus, quæ ad palatium pertinuerunt, tertiam partem ad Comites redire voluit Carolus magnus, niſi cauſſam temere neglexiſſent. Compoſitionum autem ordinariarum, earumque, quæ ad palatium pertinebant, hoc quidem Bolquetus diſcrimen conſtituit, ut harum tantum partem reliquerit princeps iudicibus ſuis, earum vero ſummam univerſam, Fredi nomine celebratam fuiſſe. Hoc ex capitulari Caroli magni probat, ubi comitis vicarius tributum maioris pretii, quam conſtitutum eſſet, a populo exigens, eius tributi partem abundantem reſtituere, cum amiſſione regii fredi, iubetur. Quo tamen in loco fredum aut partem tributi, quam reges forte iudicibus vel miniſtris reipublicæ reliquiſſent, aut protectionem impunitatemque, probabilius videtur ſignificare. Verum eſt, compoſitionem ſine perſecutione delicti non intellectam: recepiſſe ſatisfactionem occiſi domum: tertiam partem, uti lege Ripuaria ſcriptum, tributam fiſco, ut pax perpetua ſtabilis permaneret. Fredus quoque, ex decreto Clotharii, iudici, in cuius pago delictum erat, reſervatus. In civilibus cauſſis, v. g. ſi miſſus familiæ erciſcundæ iudicium habuerat, decimum mancipium, & decima virga hereditatis, fiſco regis data. Neque vero miſſus hoc iudicium exercere, niſi negligente iudice ordinario, potuit: neque miſſus, ſed fiſcus emolumentum capere, cum miſſi, ubicunque veniſſent,

ſent, inde coniectum acciperent. Hæc verba ſunt legis Friſionum, & coniecti hæc ratio ſcripta: panes 17. friſcinga (i. e. agnus) una, porcellus unus, de potu modius unus, pulli duo, ova decem, annonæ ad caballos modii duo. Ex quibus Cantorius Faber concluſit, miniſtros reipublicæ agros deſcripſiſſe, vitamque exactionibus toleraſſe. Bolquetus vero acute coniicit, coniectum illud ſive albergariam non debitam niſi regi aut miſſis dominicis, cum boni publici cauſſa iter facerent: igitur miſſos, qui epiſcopi aut abbates aut comites fuerint, infra ſuam iudiciariam vel terminum, (quippe ubi illis hoſpitii ius, droit de gite, competebat,) nihil de aliorum coniectu accepiſſe. Divideremus ſententiam, ſi noſtrum eſſet: largiremur Bolqueto, coniectum principi tantum & miſſis debitum: daremus tamen aliquid Fabro, alias forte penſiones, pro alendis iudicibus publicis ordinariis ſolvi ſolitas, aut de dominicis rationibus ſubtrahi arbitranti. Etſi enim Marculfi etiam formulis confirmatur, emolumenti aliquid ex litibus iudicatis perceptum, difficile tamen definitu eſt, an res iſta omnino ſuffecerit. Formulam quidem Marculfi 20. lib. I. de decima ſumtus litium, per miſſum principis iudicatarum, fiſco inferenda, erudite ſatis ex iure Romano interpretatur Bignonus: cum vero conſtitutio Diocletiani, quam laudat, de repromiſſione decimæ partis rei in iudicium deductæ, reo, ſi actor temere litigaverit, præſtandæ, intelligenda ſit, quicquid etiam præſidii quæratur in Petro Fontano & b. Ludovici regis conſtitutione; eam decimam reo præſtandam, omnesque omnino litis expenſas, cum decima rei iudicatæ, fiſco principis inferenda, aut cum eo quod iudex ſive Comes de notitia, id eſt, pro auctoritate atque nomine ſuo actis inſcripto accepit, neutiquam miſceri ac confundi debere docuit Bolquetus. Nec quod pro auctoritate & iudicio præſtitum eſt, cum fredo regi vel fiſco ſoluto, ut pacem ab eo haberet criminoſus; nec hoc fredum cum illo fredo aut faido, quod læſi vel occiſi parentibus & propinquis a reo ſolutum eſt; nec denique cum fredo, quod Salica lege delatura, i. e. mora ſua cuique nociva, vocatur, unum idemque haberi debet. Denique

Digitized by Google

nique ſub finem huius capitis quarti laudata conſtitutio Friderici Imperatoris L. I. tit. 69. qua cuiusvis rei iudicatæ triceſimam partem, ſi per ſententiam deciſa eſſet, a reo; ſin transactione compoſita, ab utraque parte litigantium, iudex recipere iubetur. Simul eadem lege, civilium cauſſarum alii atque alii accuſationum ſeu delictorum iudices conſtituti, oratione quidem digniſſima, quam celeberrimus Bolquetus corollarii loco adiecit.

Deinde capite quinto de beneficiorum oneribus actum. Quo loco prædia regis herediave, alicui ad vitam aut ad brevius tempus conceſſa, beneficia audiunt. De reliquis enim, libro de immunitate eccleſiaſtica, ſermo erit. Onera autem fuerunt hæc: ius dicere; ad militiam contribuere; percipere heri nomine, quicquid titulo iurisdictionis rediret; heroque pendere annuum cenſum. Remobilia tum beneficia. Nec tamen divinare Bolquetus potuit, quid ſibi velint compilatores Feudorum Lib. I. tit. 1. Antiquiſſimo enim tempore ſic fuiſſe in dominorum poteſtate poſitum, ut, quoties vellent, poſſent auferre rem in feudum a ſe datam; poſtea vero conventum eſſe, ut per annum tantum firmitatem beneficium haberet: deinde ſtatum, ut usque ad vitam fidelis perduceretur. Hæc omnia, ait, hiſtoriarum monumentis non comprobari. Dicendum vero, compilatores prædia cum poſſeſſorum perſonis commendata beneficia appellaſſe, & quicquid de prædiis feudo vicinis, aut de iure ea præmia adimendi reluendive invenerint, pro more ſeculi, omiſſis conditionibus ac deſcriptionibus, miſcuiſſe. Sane precarias cum præſtariis feudaque inter hoc fuit, quod hæcce per quinquennia renovari non opus eſſet. Cum vero beneficiarius iuſtitiam reddere in prædio regis aut heredio, quod utendum fruendum habebat, tenebatur, tum quicquid ex univerſis iuribus a poteſtate iudiciaria expectandis rediit, rationibus inferre dominicis, (percevoir au nom du Seigneur,) propterea, quod hæc iura in beneficium dari non potuerunt. Commendatus enim fidem perſonæ elegerat, alterque alterum ſine cauſſa deſerere nequivit. Deinde poteſtas illa dominica, quæ iurisdictionem inferebat, cum ſingulis emolu-

Digitized by Google

mentis, prædio aut regis, aut heredio privato inhæſit, maioriſque ſane momenti fuit, quam quæ ad uſufructuarium poſſeſſorem temporariumque tranſiret. Quod ſi lege feudali factum eſt, dominium quoque in poſſeſſorem translatum memineris. Itaque cum beneficium reges conferrent, cavebant in univerſum, ut cenſus ſibi tributaque ſervarentur; magnumque Dagoberti beneficium prædicatur, quod, Eligio rogante, eccleſiæ S. Martini cenſum omnem, qui fiſco ſolvebatur, donaſſet. Si qui autem comites tributa aut iura eiusmodi ſibi habuerunt, tenendum omnino eſt, & peculiari privilegio id fieri potuiſſe, & eos perſonam habere diverſam, ut præter comitatum & beneficia avitis interdum prædiis honorati. Ita Hiſpanis permiſſum a Carolo magno, comitibus ſeſe eius more ſolito commendare, & beneficio forte accepto, ſollemne obſequium exhibere. Maxima tandem beneficii a feudo diverſitas indicatur canone, ſive cenſu annali. Boſius ubique deſcriptionem, aut impoſitiones publice factas, videre ſibi viſus eſt. Athalarius Gildaſium iubet admonere provinciales, ut beneficiarii ſeſe omnino devotos exhiberent, & quod principi deberetur, grato animo viderentur exſolvere. Male Boſius principi, ut principi, debita, eidem offerri libentius, ut domino beneficii, debere interpretatur. Expreſſim beneficii & canonis meminit lex Viſigothorum II. L. 10. tit. 1. & ſane Boſius canonis vocem non videtur ſatis intellexiſſe. In capitularibus Caroli calvi, proverbii loco eſt legale & antiquum dictum: qui negligit cenſum, perdat agrum. Bona eccleſiaſtica titulo ſemper beneficii data, hinc beneficii vox propria eccleſiis facta; licet veteri illa ætate, uti immunitatis vocabulum, laicis æque conveniret. Argumento eſt formula 3. Lib. I. Marculfi. Eccleſiaſtici quidem nec terram, nec mancipium, niſi aliud reciperent, vendere potuerunt. Lex 16. Viſigothorum libro tituloque laudato, non de annuo ſane tributo, ſed de contributione, belli, & defendendæ reipublicæ cauſſa, præcipit. Super cenſu autem annali conſpirant leges Friſonum, Alemannorum, Langobardorum. Firmitas in quibusdam locis pro ſacramento uſurpata. Capitularia veterum Imperatorum ſingulas

gulas penſiones plenius notaverunt. Eorum iure, qui plus ſimplici vice canonem non perſolverat, beneficium, unde iſta nona decimave debebatur, amiſit. Apud Dom. Bolquetum Tom. VIII. litteræ ſunt, quibus Remigio, Lugdunenſis eccleſiæ præſuli, prædium reſtitutum hac lege, ut Lambertus poſſeſſionem, dum viveret, aut dum rex beneficium commutaret, ut antea retinere, nonam modo & decimam eccleſiæ deberet perſolvere. Quibus litteris nova donatio beneficii, eccleſiæ ob calamitates urgentes reipublicæ a Carolo Martello ablati, celeberrimo Bolqueto facta videtur. Qui plurium litterarum argumenta videre deſiderat, copia ſane & delectu delectabitur Bolquetano.

Nos quidem, ne nimium excreſcat relatio, ad ultimum univerſi voluminis caput, de prærogativis poteſtatis hereditariæ ſeu iurisdictionis allodialis, de inſtantia (reſſort), & maieſtate progredimur. Initio ſtatim monitum, poſt ipſam inſtitutionem feudorum, auctoritate Fontani, ac Bellomanerii, ſtiloque ordinationum b. Ludovici regis, omnem agrum Francogallicum diviſum in partes duas, quarum prima fiſcum ſive prædia regis, ditionemve regiam (pays de l'obeiſſance le Roy); altera prædia privata, Baronum & dominorum privatorum (pays hors l'obeiſſance le Roy), complectebatur. Igitur ordinationes regiæ, ſine optimatum conſenſu ſcriptæ, in regiis tantum villis aut fiſcis; cæteræ autem leges a rege & primoribus, adeoque ab univerſo populo latæ, ius fecerunt univerſale. Quod vero ad poteſtatis dominicæ in prædio avito prærogativas attinet, ex iis litteris continentur, quæ in tabulario reg. 118. n. 29. leguntur, quibusque rex ultimæ gentis Vicecomiti Turenæ dominationem avitam confirmavit, nihil ſibi, niſi ſupremam cognitionem & maieſtatem aſſerens, domino autem vice comitis ordinationum articularium edendarum, vitæ & necis, cudendæ monetæ, fidei publicæ dandæ, imperandi atque exigendi tributa, militis conſcribendi, cognoſcendique de geſtatione armorum, de fluminibus & viis publicis, iura omnia ſingulaque confirmans. Singulæ prærogativæ a Bolqueto latiùs demonſtratæ. De ordinationibus publicis, & poteſtate

Digitized by Google

teſtate edicendi, innumeræ litteræ, tum apud Muratorium, tum apud Dom. Bolquetum Baluziumque habentur. Omnibus iudicibus publicis interdictum, ne actus iurisdictionis exercerent; aut placitum haberent in privato prædio. Neque hoc immunitatis cauſſa obtinuit, ſed iure dominii, ſic, ut diſtrictus vocabulum, & diſtringere, pro exercitio etiam publicæ poteſtatis in territorio domini honorati veniret. Ius autem vitæ & necis, etſi ſummo tantum imperio & maieſtati ineſſe videtur, nihilo ſecius tamen conſtat, honori poteſtatique dominicæ attributum fuiſſe. Equidem ſub primæ ac ſecundæ lineæ regibus, iuxta regulam iuris antiqui: ſi debilis perſona in loco pendatur: niſi quis erat ingenuus, ſuper eius capite dominus honoratus ſupremum ius habuit, nec fas fuit intercedendi. Ea regula, poſt inſtitutionem feudorum, ſic fuit pronuntiata: Te inter, Domine, & debilem tuum (ton Villain), nemo iudicat præter Deum. Hæc placita lethifera, placita enſis, in Norico placita ſpatæ, alta aut magna iuſtitia, iudicia criminalia, ſimilibusque nominibus appellata. Chartæ, quæ ſingulas cauſſas enarrant, raptus, multri, & incendii meminerunt. Philippus pulcer aliis litteris tria tantum placita de Spata, ſcilicet de ſubmonitione exercitus ſui, de via curiæ ſuæ, & de moneta, tenuiſſe ſe profitetur. In primo regeſto Cur. Pariſ. fol. 12. placitum mortis, mutilationis membrorum, mulieris deforciatæ, novæ diſſaiſivæ, aliaque occurrunt vocabula. Omnis autem poteſtas altæ & baſſæ nominibus expreſſa: in arbitros quoque alte & baſſe compromiſerunt. Iuxta Bruxellum certe, quicunque ſuperiore iurisdictione gaudebat, nulla relicta provocandi licentia ad mortem damnavit. Quæ tamen laudavit exempla vir celeberrimus, vix omnem conficiunt rem: cum alterum de femina corporis agat, ſive ſerva; altero autem non reiiciantur niſi filiæ preces, poſt patris ſupplicium ſeriores. Bolquetus eius ſententiam & exempla laudare ſatis habuit. Iuris monetalis antiquitatem confirmat capitulare Caroli calvi de an. 864. Alia charta de an. 924. in hiſtoria Septimaniæ comitibus illud attribuit. Aigliberto, Cenomanicæ urbis archiepiſcopo, monetam publicam in eius civitate, & nomine S. Gervaſii

ac

Digitized by Google

ac ſuo, conceſſit rex. Lotharius, apud Dom. Bolquetum T. IX. pag. 618. monetam, iuribus cum cæteris, ad poteſtatem dominationemque comitis pertinuiſſe pronuntiat. Si quis vero dominus monetam cudere nolebat, in ipſo erat auctorem fieri in tractu ſuo, cuicunque vellet; eaque de cauſſa delicti coercitio monetalis ad iurisdictionem ſuperiorem relata. Moneta Cænomanenſis, denarii Turonenſes ac Pariſienſes, hodieque videntur. Epiſcopum Pariſienſem, conſtat, hoc iure non cecidiſſe, niſi pacto cum rege inito voluntario; & Ludovicum Hutinum regem, cum maieſtati id ſoli tribueret, æſtimaſſe reditus monetales, ut indemnes præſtaret dominos, refert Choppinus. De pondere & menſura cognoviſſe primores, iam ſupra edicto Piſtenſi probatum eſt. Ius ſalvamenti (Sauvegarde, Aſſurement,) ſeu tuendi protegendique, ex commendatione profectum. Eo male abuſi interdum ſunt domini atque exactores. Conqueſtus de ea re Salvianus Lib. V. de gubernatione Dei; quem tamen ad hæc tempora non pertinere, non ignoravit Bolquetus. Venatores autem & Falconarios propter malas depopulationes dictos, qui ſalvamentum illud in Nerontis villa exegerunt, id quidem Bolqueto non credimus, quibus veri venatores & falconarii exactum miſſi intelliguntur. De habitatis tantum domibus ſolvebatur, & pro conſuetudine loci in avena, pane, vino, aut denariis conſiſtebat hoc præmium protectionis, atque in Delphinatu cautum, quam diu ſubſidia ſolverent, proprietarii ne ſolverent. Hæ autem tutelæ ac defenſiones maximam vim atque efficaciam habuerunt ad cohibendam vindictam privatam. Reus ſe commendabat potenti, &, indulta protectione, adverſarius offendere eum non poterat, ſine fractæ pacis aut treugæ crimine, quod ſeveriſſimis poenis coercebatur, a nemine niſi a principe remittendis. Hæc ordinationibus b. Ludovici regis ſingulatim continentur; & remiſſionis a rege factæ plurima exempla ſuperſunt in tabulario, quædam etiam Bolqueto laudata. Pergimus ad militum lectionem. Eam potius munus atque officium dominorum dicas, quam prærogativam, cum ducere quisque homines ſuos, quotquot quatuor manſos haberent;

 homi-

Digitized by Google

homines autem non abſque præſentia aut iuſſu proprii Senioris bellare, tum more maiorum, tum legibus, tenerentur. Carolorum, calvi & craſſi, leges laudatæ: cauſſa iam ſuperius perorata. Cum vero eædem leges iniungerent, ut rei militaris cura maioribus miniſtris ſive præfectis (grands officiers), Mareſcalco, Dapifero, Pincernæ, & Camerario mandaretur, atque illi quatuor, quanto plus eſſent laboraturi, tanto plus in ſtipendio, in veſtitu, in equitatu, præ cæteris honorarentur: inde ſane apparet, qua viros iniuria Loiſelius, atque alii, ob iſta domus officia uſurpationis & tyrannidis accuſaverint. Eadem enim officia inſtitutione feudorum longe antiquiora fuerunt, certumque eſt, quod auctor Chronici S. Dionyſii ait, magnos illos Abbates, Archiabbates, Abba-comites, cæterosque quorum meminerunt hiſtoriæ, non ſacerdotes omnino aut monachos, ſed dominos honoratos fuiſſe, qui ſæpius abbatias illas iure hereditario poſſidebant. Adeo conſtat, hæc iura honoratorum & propria eſſe, & ab ultima antiquitate originem ducere. Cæterum, cum iure militiæ ius deſcribendi agros ſubditorum, & mobilium pretia ſumtusque militares levandi, cohæret. Hæc contributio hominum, qui ipſi militatum abire non poſſent, heribanni; collector nomine heribannatoris veniebat. Conſtitutione tandem Caroli craſſi, ſumma, ut ſupra diximus, definita. Dictum quoque de fredis, manſionibus, parafredis, paratis, teloneis: quæ annuæ penſiones privatis dominis eodem iure debebantur, quo regii iudices ſeu fiſcales eas exigebant in fiſcis. De canone commendationis cauſſa ſoluto, res æque certa eſt. Sed præter hæc dona annua, domino etiam ius fuit indicendi verum tributum, quanti eius poſcerent rationes, quantique facultates ſervorum æſtimarentur; illudque ſub Capetingis ſollemni nomine Taille appellatum. De ingenuis vero, aut libertis, exigi non potuit, niſi quantum litteris manumiſſionis continebatur. Denique octavo numero ſunt iura villicationis, venationis, & gruriæ, ſive iuriſdictionis ſaltuariæ: de quibus cum peculiarem Bolquetus diſſertationem inſtituat, hic loci laudare locum Ioh. Mareſii (Desmares) ſatis habuit. Iureconſultus ille, cuius libros deciſionum habemus,

Digitized by Google

bemus, ſub Carolis V. & VI. regibus vixit, iſtaque ſingula iura ſuperiori tribuit poteſtati. Fuerintne hæ omnes prærogativæ patrimonii titulo & hereditatis poſſeſſæ, & territorio inhærentes? paragrapho ſecunda quæſitum, multisque probatum eſt rationibus & exemplis. Qui omnem iurisdictionem regiam eſſe, & beneficio regis contigiſſe, ſibi perſuadent, eandem ob cauſſam feminas, ut iuris dicendi & militiæ incapaces, ab hereditate prædiorum dominicorum excluſas fuiſſe, arbitrantur. Id propter conſervationem familiarum, tuendaque bona avita factum eſt, uti ipſe Bolquetus ingenium legis perſpexit. Dos vero mariti, & cæteræ largitates, quas cauſſas eius excluſionis interſerit, compenſandi potius media videntur. De utraque tamen, ut cauſſa, loqui hoc loco ſuum eſſe exiſtimavit. De coemtione uxoris, & dote a marito uxori allata, res ſatis conſtat. Hanc Langobardi donum matutinale vocarunt. Caroli ſimplicis, uxori; Lotharii, Mathildi ſorori, Conrado Burgundiæ regi nubenti, dotem conſtituentium litteræ celebrantur. Immo feudi etiam an. 1124. in dotem dati exemplum allatum. Vidua, ad ſecunda vota tranſiens, uſumfructum dotis retinuit, proprietatem amiſit; videturque dotalitium (ſeu duarium) idem eſſe ac dos, quæ barbara latinitate oſculum dictum. Morgengabam, ſeu donum matutinum poſt nuptias, cum methio ſeu commeſtibilibus ac fadergo vel faderſio confundere videtur Bolquetus. Commeſtibilia enim, poſt mortem mariti, vidua capit. Vaterphium vero res pecuaria eſt, qua pater filiam nupturam inſtruxit. Hæc vero omnia dona, ne filiæ viris demortuis in gentilitia bona ſuccederent, antiquis temporibus neutiquam effecerunt. Quid? quod pater etiam teſtamento & diſpoſitione paterna, ſuper omnibus prædiis ſuis, in gratiam filiarum, legis Salicæ iuri derogare potuerit, Marculfi Form. 12. Libro II. teſtatur. Nec illa excluſæ lege mulieres, niſi ſub conditione, ſi virilis ſexus non eſſet. Sed poſſediſſe feminas quævis prædia, & ea pacta dotalia, de quibus modo dictum, teſtantur, & aliæ litteræ quamplures, v. g Caroli Calvi, Vandradæ Comitis, quæ varia bona avita in ducatu Aquitaniæ poſſidebat, & prædiorum Comitiſſæ

mitiſſæ Mariæ a patre Aſinario Comite acceptorum hereditate, mentionem iniicientis. Poteſtas autem iudiciaria territorio ita inhæſit, ut a feminis dominantibus omnino exerceretur. Abbatiſſæ Rotrudis præſentia in concilio Triburino: Ermengardæ, Tuſciæ Marchionis filiæ, principatus totius Italiæ: Ermeſindis etiam comitiſſæ in conventibus locus, hiſtoricorum teſtimoniis celebrantur. Prorſus ait Innocentius III. Pont. pro lege ſervari in partibus Gallicanis, feminas præcellentes in ſubditos ſuos ordinariam iurisdictionem habere. Exemplis abundat Bolquetus, quæ cupidum lectorem varietate ſua ſuaviter delectabunt.

Pergimus vero ad tertiam ultimamque capitis huius paragraphum, ubi legem feudalem palmarias poteſtatum prærogativas nihil imminuiſſe, ſingulatim deducitur. Primo etiam integrum fuit ius diſciplinæ edictis ordinandæ, quod tum aliis plurimis litteris, tum charta manumiſſionis an. 1256. publicata apparet. Eadem, atque alia de anno 1312. ius vitæ & necis non imminutum confirmant. Monetam, ut antea, propriam in dominorum territoriis habitam, edictum Philippi audacis de an. 1275. aliaque Philippi pulcri pro vicecomite Lemovicenſi, Philippique auguſti pro Corbeienſi abbate, decreta, dubitare non ſinunt. De cura ponderis & menſuræ totidem argumenta prolata. Fidem publicam dare, Loiſelii etiam ætate, poteſtatis ſuperioris fuit. Conſuetudinibus Andegavenſibus ac Cænomanicis, idem dominici iuris eſt. Bellomanerius quidem, & liber de conſuetudinibus & iudiciis Hieroſolymitanis, dandi impetrandique modum tradiderunt. Publice affirmavit Philippus Valeſius rex, in territoriis dominorum ſalvamenta ſe dare nolle, niſi eccleſiis aut coenobiis antiquitus ſub tutela regia conſtitutis, aut viduis, pupillis, & clericis, dum ſtatus eorum non mutaretur. Tametſi in regeſtis tabularii exempla ſalvamenti, & advocationis, eccleſiis etiam a privatis, cum regum confirmatione, promiſſæ, reperiuntur. Eius vero ſecuritatis, quam ſæpe propter ſuſpicionem imploraverunt, eadem vis ac poteſtas fuit, quam ſupra latius expoſuimus. Ius belli, quod iam deſcripſimus, iisdem tempori-

poribus ſine dubio viguit, hoſtis atque equitatus (oſt & chevau chée) vocabulo, litteris pleriſque, quæ ex tabulario ſunt publicatæ, expreſſum. Charta de anno 1301. ſupereſt, qua arma imperantur æſtimatu mobilium rerum, ſic, ut quicunque viginti librarum ſupellectilem habeat, loricam vel loricale & capalum ferreum & lanceam; qui minus, gambergam & capalum ferreum & lanceam habeat: ſi quis autem dixerit, quod hæc arma habere non poſſit, in fiducia ſex electorum conſtituatur, & quousque habere poſſit, ſufferatur. Hoc vero militis conſcribendi, & bello aut certamine decernendi ius, adeo quidem obtinuit, ut a Bellomanerio cap. 59. argumento ſtatim inſcriptionis inter iura communia, leges præterea belli privati ordinationibus regum veterum deſcribantur. Vaſallo, ſub poena amittendi beneficii, interdictum, ne contra dominum, niſi cognatos & ſubiectos ſuos, colligeret; conſtitutumque a b. Ludovico rege, ut bella tantum extra feudum ſine manu collecta fierent. Tributi, collectionum, aliarumque exactionum varia genera, vidimus ſupra. Chartæ, Caſtellovillanenſis, Lunyentis, Lemovicenſis, Bituricenſis, atque aliæ, dum manumiſſos his omnibus exactionibus liberant ſub lege annuæ penſionis, aut de iis in poſterum quoque ſolvendis cavent, non minus atque aliæ publicæ ordinationes, uſum eius prærogativæ poſt introductam legem feudalem confirmant. Auxilia a libertis eorumque progenie ſtipulata, ſi dominus filiam elocaverit; aut cruce ſignatus fuerit; aut inſigne in prædiis ſuis damnum perpeſſus. Tolta, tallia, botagium, & culcitrarum exactiones celebrantur. Culcitrarum autem exactiones, prehenſiones, & ſubventiones, aut quibuscunque nominibus veniant, (priſes, exactions, ſubventions, coutes a court, rente à court,) graviſſima ſane miſerorum onera, iuxta veterem chartam pro eo iure hoſpitii explicantur, cum domino in aliqua villa pernoctanti, & lectus ſubſterni, & pulvinar & cæteræ res, quibus eget vita humana, miniſtrari deberent. Servi conditio multo miſerior. Quicquid enim in ſervi mortui bonis erat mobilibus pretioſiſſimum, id domino offerri; ſi nihil omnino eſſet, dextra defuncti abſciſſa pro culcitra

Ee dari

dari debuit. Vides manus mortuæ (main-mortable) iuris origines; illud enim vocabulum in chron. magno Belgico, an. 1123. occurrit. Quæ tamen cum manu mortua Cleri, quæ ſequiori ætate innotuit, non eſt confundenda. Ius ſane odioſiſſimum nemo, niſi ſervi, exercuerunt, eam ob cauſſam ſine dubio dicti culverti, ut omne ius culvertagium. Hæc ſervitus non, niſi morte, finita, ſecundum illud poetæ:

Mors fait franc homme de cuivert.

Sed ad villicationem, venationem, & poteſtatem ſilvarum properabimus. Nihil perditum horum iurium lege feudali: hoc ſolum inſtitutum eſt, ut hæc tria ſuperioris poteſtatis attributa totidem feuda particularia conſtituerent, & quæ dignitate parium tenebantur. Rem omnem, vir celeberrimus, pleniori tractationi & integro volumini ſervat. Aliqua ex largiori penu depromta, hic afferuntur. Igitur villicationis ergo in cartulario Campaniæ litteræ ſunt, quæ dominum Noerii viarium Chabliæ fuiſſe teſtantur. Ballivus, aut eius locum tenens, eadem auctoritate viarii vectigal propter vias reparandas exegit, eiusque denegati cauſſa a Carolo VI. rege iudicata. Etenim, etſi villicatio eſſet inſtar dominationis peculiaris, eadem tamen a iurisdictione quadam ſuperiori nunquam non dependebat; qua cauſſa plurimæ lites exortæ, quarum exemplum retulit noſter de an. 1155. Pari modo iura venandi a reliqua poteſtate ſuperiori diviſa, & propriis poſſeſſoribus in beneficium data, ſervata tamen domino facultate venandi, ſi ipſe, non per alios, vellet. Poſſeſſores autem iſti ſingulares hæc iura cum prædio dominico miſcuerunt, atque error inde recentioribus natus, ut perſonale tantum domino potentiori, at poſſeſſori feudali venationis ius reale, tribuerent. Bolquetus vero nihil fruſtra attulit, ſed multis ſententiam ſuam exemplis, quæ in tabularii regeſtis leguntur, lectoribus approbavit. A multis potentioribus venandi iura iterum acquiſita, & proximis ætate ſcriptoribus certum viſum, ea inter fructus iurisdictionis referri. Nicolai inprimis Sudorii Salviani locus nobis quidem vehementer placet. Eadem ditionis ſilvaticæ fata Sec. XI. & XII. Anno adhuc 1317. ius illud a reliqua pote-

poteſtate iudiciaria ſuperiori adhuc diviſum in Campania intellectum, atque inter iudicem ſilvæ & procuratorem Ludovici Navarræ regis, comitisque Campaniæ, lis iudicata. Quid? quod exemplum iuris ſilvatici habet vir celeberrimus, quod & nunc hereditario feudo tenetur, & quo omnes eius prærogativæ clariſſime illuſtrantur. Cæterum, ſi ſeparatio facta non eſſet, ditio illa ſilvatica poteſtatis ſuperioris ſemper pars viſa; quod & duabus tabulis ſuper communitate iudiciorum, & ordinationibus regum complurimis, demonſtratur, quæ piſcatores & venatores vetant iudicari a iudicibus ſaltuariis, niſi iudice loci rogato. Ultimum eſt, ut de hereditate eorum iurium, & ipſa feminarum ſucceſſione videamus. Supra iam mulieris mentionem Bolquetus fecerat, quæ hominis ligii legibus ſe obſtrinxit, & inter pares curiæ locum obtinuit. Inprimis copia argumentorum eſt in litteris donationis a Comitiſſa Agnete, conſenſu quidem filii eius, Gulielmi Aquitaniæ Ducis; ſed tamen de muliebri dominio, Abbatiſſæ in Sentonibus factæ. Donatio an. 1199. confirmata. Univerſi ſane iuris hereditarii, femineæque ſucceſſionis, exemplis illuſtriſſimis, plurimam partem, obruimur, quæ cupido harum rerum lectori lectionem ipſius libri iucundiſſimam ſane efficient. Quod reliquum eſt, primores ac potentiores domini, argumento voculæ: olim, ſæpiſſime in actis inventæ, aliorumque clariorum monumentorum, voluntariis pactis cum regibus initis, hac fere, quam enarravimus, magnitudine poteſtatis ceſſiſſe videntur. Pium vero magis, quam neceſſarium videatur, quod ultima paragrapho diſputavit Bolquetus, has omnes privatorum prærogativas, nec veterum regum magnificentiam imminuiſſe, nec maieſtati aut ſupremis cognitionibus derogaſſe. Poteſtas ſane legislatoria, & ius ſupremæ cognitionis, denique illius publicæ poteſtatis plenitudo, omnem ideam maieſtatis abſolvunt, & regii quaſi iuris, quibus diſtinguatur, ſunt charactéres. Hæc omnia magnifice, & cum magna pietatis ſignificatione, peroravit Bolquetus.

Digitized by Google

DEMONSTRATIO HISTORICO-DIPLOMATICA, in qua partim novis, partim ſelectioribus argumentis oſtenditur, Ducatum & Iudicium Provinciale Franconiae a multis iam ſeculis pertinere ad Epiſcopatum Würzburgenſem. Accedit Tabula numorum Würzburg. & mantiſſa diplomatum.

Erfordiæ 1758. 14. plag. in 4.

Ducatus Franciæ Orientalis pertineatne ad Epiſcopatum Herbipolitanum, nec ne, a multis, & ſæpe quæſitum, & valde diſputatum eſt. Qui ſtant ab Eccleſiæ partibus, illum iam inde ab antiquiſſimis temporibus cum Epiſcopatu coniunctum fuiſſe affirmant. Horum, inprimisque Eccardi, perplurimos errores, circiter biennium abhinc confutaverat, quem nuper mors nobis abſtulit, Gonnius, eo libello, qui laudatus a nobis eſt p. 21. ſq. menſ. Ian. an. 1757. Actorum noſtrorum. Is nactus eſt adverſarium, neſcimus quem, nam ipſe nomen ſuum reticuit, de cuius libro nunc hic pauca dicenda ſunt. Partitus illum ſcriptor eſt in ſectiones tres: quarum prima Ducatum; altera Iudicium Provinciale Franconiæ ad Epiſcopatum Würzburgenſem a multis iam ſeculis pertinere oſtendit; tertia defenſionem diplomatum continet, Henrici V. de anno 1120. & Friderici I. de anno 1168. quorum diplomatum fide in iſta demonſtratione niſus eſt. Addita eſt mantiſſa diplomatum ad hanc quæſtionem pertinentium. Rei narrandæ initium repetit ab eo tempore, cuius clariorem lucem in hiſtoriarum diplomatumque monumentis hodie videmus, in quibus Epiſcoporum Würzburgenſium, tanquam Ducum, expreſſe facta mentio reperitur. Sed vetat nos exiſtimare Scriptor, illos antiquioribus temporibus nondum honore ac titulo Ducum ornatos fuiſſe, quod eo non conſtanter uſi tum eſſent: quia, inquit, poſteriorum Sæculorum Epiſcopi, cum Ducatus Franconiæ iam diu certa poſſeſſio Eccleſiæ Würzburgenſis eſſet, modo titulum Ducis uſurpaverunt, modo omiſerunt. Docet igitur ex publicis iſtis monumentis, Ducatum Franconiæ iam Sæculo XI. fuiſſe Epiſcoporum

porum

porum Würzburgenſium. In loco Adami Bremenſis, qui legitur in eius Hiſt. Eccl. lib. IV. cap. 5. cum interpretatur verbum *provinciae*, quaſi *continuam regionum coniunctionem*, etiamſi hoc ei demus, tamen, quid contra eos, contra quos diſputat, magnopere iſta eius explicatio profectura ſit, non intelligimus. Neque enim, ſi quis eſt paullo in verba & loquendi modos irreligioſior, verebitur dicere, ipſam quoque terram Würzburgenſem, non minus atque alium continuum quendam terrarum tractum, præſertim a Scriptore barbaræ latinitatis, provinciam appellari potuiſſe. Primum, quem ex antiquis monumentis eruere licuit, Ducem profert Erlungum, ſucceſſorem Emenhadi, anno 1105. defuncti, quippe quem numus quidam cum inſigni Enſis conſpiciendum præbet. Eum narrat, ob fidem, quam Henrico IV. præſtitiſſet, a filio eius Henrico V. ex Cathedra eiectum fuiſſe. Quem etſi pater deinde, meliore fortuna uſus, reſtituiſſet, procellam tamen, qua ille Imperator oppreſſus poſtea ſuccubuiſſet, rem Würzburgenſem quoque maiorem in modum afflixiſſe; Henrico V. Ducatum Franconiæ, ut Annaliſtæ Saxonis & Abbatis Urſpergenſis teſtimonio confirmat, ab Epiſcopo Würzburgenſi in Conradum, ſororis ſuæ filium, transferente. Sed Henricum V. aliquo tempore poſt, Erlungi tandem precibus victum, dignitatem iudiciariam in orientali Francia Eccleſiæ Würzburgenſi reddidiſſe: cuius rei memoria eo diplomate continetur, quod peculiari quadam defenſione Scriptor noſter a ſubdititii crimine liberare conatus eſt. In qua quidem defenſione videtur nobis Gonnio ſatisfaciendum fuiſſe ad id, quod ait, Annaliſtam Saxonem, & Abbatem Urſpergenſem, nullam reſtituti Ducatus mentionem facere. Neque enim aut hi, aut alius facile hiſtoriarum ſcriptor, tam contemtim habendus eſt, ut, quod ex ſilentio eius petitur, argumentum, leve, ac verius nullum putes. Nam quod ait noſter, hoc diplomate reſtitui non Ducatum, ſed iudicium provinciale Franconiæ; Ducatum porro & iudicium provinciale non modo diverſa iura eſſe, verum etiam ſæpe diviſim ac ſeparatim a duobus poſſideri: videat, quæſumus, ne adverſariorum aliquis hoc

 modo

modo illud convertat, ut ſe doceri velit, quando igitur, & quomodo, ipſius etiam Ducatus iura Eccleſiæ Würzburgenſi reſtituta fuerint? Nam in eo quidem, verendum eſt, ut qui contra veniunt adquieſcant, quod ſcribit, Imperatorem Conradum III. Epiſcopis Würzburgenſibus Ducatum, quem ipſe antea iisdem ademtum obtinuiſſet, reddidiſſe. Nihil enim, quo id confirmare poſſit, aliud habet, niſi Embriconem Epiſcopum vehementiſſime a Conrado dilectum fuiſſe, appellarique in litteris quibusdam Hugonis Metelli Canonici, per id tempus ad eundem ſcriptis, *Venerabilem Herbipolenſem Praeſulem & Ducem.* Quid? ex eo, quod Conradus Embriconem tantopere dilexit, ſilentibus hiſtoriarum diplomatumque monumentis omnibus, concludas adverſus hos, qui Ducatum a Conrado aiunt Friderico filio ſuo relictum fuiſſe, ipſum illum eiusdem dono prætereuntis filium ſuum ad Eccleſiam Würzburgenſem rediiſſe. Ii enim, qui Fridericum, Conradi III. filium, Orientalis Franciæ Ducem fuiſſe, eique Conradum, patris ſui ex fratre pronepotem, Friderici I. filium, in eo Ducatu ſucceſſiſſe contendunt, pro teſtimonio verba Guntheri poetæ, neque iniuria, laudant. Etenim, ſi conſideres, quam abſurdum ſit, poetam in eo carmine, quo Imperatoris ſui res geſtas adhuc viventis celebrat, oratione ad filium eius converſa, ea de hoc, præſertim quæ non ad virtutum ipſius laudes pertineant, commemorare velle, quæ perſpicue falſa & aliena ſint, adeoque illius, a quo gratiam inire cuperet, pudorem oneratura: niſi Guntherus homo hominum longe ſtultiſſimus fuit, quod profecto multo ſecus eſt, fatendum tibi eſt, nulla ratione fieri poſſe, ut, quod ex eius verbis argumentum elicitur, non ſatis ad concludendum valere credatur. Neque vero illud intelligentia noſtra ſatis aſſequi poſſumus, quod Scriptor noſter ait, Guntherum, ſi quid nempe veri eſſet in illis eius verbis, *Francona iura Herbipolinque regis,* in hanc potius partem teſtimonium perhibere, ut vincat, Franconiæ Ducatum ſedem habuiſſe Würzburgi, & extendi in Franconiæ terras; poetamque adeo favere cauſſæ Würzburgenſi, cum affirmet, Ducatum Würzburgenſem fuiſſe Ducatum

tum Franconiæ. Quæ iſta eſt oratio? Ut, quia Conradus Franconiæ Dux Herbipolin rexiſſe dicitur, eo ibi fixus Ducatus Franconiæ fuerit? Ergo, Herbipolin qui non rexerunt, Franconiæ Duces alii, Duces Franconiæ non fuerunt? Quomodo autem illud ſequitur, Würzburgenſem Ducatum eundem a nobis, quem Franconiæ, habendum eſſe? Nonne hoc potius neceſſaria conſecutione concluditur, quia Conradus non etiam Epiſcopus fuit, Ducatum Franconiæ cum Eccl. Würzb. nullo modo coniunctum fuiſſe. Quid igitur eſt? Profecto, quo magis inſpicimus hunc Guntheri locum, eo maiorem nobis ipſis crucem figi non diffitemur. Niſi forte illud dicas, qua una coniectura æſtus noſter explicari poteſt, Conradum eo tempore, quo Poeta carmen ſuum edidit, Herbipoli, ut in urbe omnium Francicarum tum celeberrima & amoeniſſima, præſertim cum urbs Norimberga ſe, ab Henrico V. funditus everſa, & inſtaurata demum a Conrado III, nondum ſatis quaſi revocaſſet ac reparaſſet, conſediſſe; ubi cum reliquam Franconiam regeret, plurimumque auctoritate apud Epiſcopum poſſet, Herbipolin regere ipſam quoque creditum a poeta fuiſſe. Nam ubi ſunt illi tot Scriptores, præ quorum contrariis teſtimoniis, hoc & unius, & poetæ, tam infirmum, quam ſingulare, contemnit. Nonne miremur, ſcriptorum ſilentio eum hic niti, Conradum non Franconiæ Ducem, ſed Sueviæ duntaxat, vocantium? Cur enim ex eorum ſilentio quidquam nunc cogit is, qui huius generis argumenta alias, cum ita ei viſum eſt, ne audienda quidem putat? An vero hic magis aliquid ex illorum ſilentio concludi poteſt? Sane omnes Conradum Sueviæ modo Ducem appellaverint, nam iſtum ille Ducatum & prius, & a patre, cum is eſſet Imperator factus, acceperat, eumque adeo ut hereditarium, ac diutius, tenuit. Etiam Fridericus ille, Henrici IV. gener, quem ipſius charta quædam, a noſtro quoque laudata, & Suevorum & Francorum Ducem fuiſſe loquitur, fere non alio niſi Suevorum Ducis titulo inſigniri ſolet; quod is Ducatus prior ei, quam Franconiæ, attributus fuerat. Ac ne reliqua quidem argumenta, quibus agit, magis rem conficiunt. Nam neque

Digitized by Google

neque quod Embrico cum Inſigni Enſis conſpicitur in duobus, qui extant, ipſius numis; neque quod eum *Herbipolenſem Ducem* litteræ nominant Hugonis Metelli Canonici; neque quod Reinhardus poſtea, Conrado ſuperſtite, in numo ſe *Ducem & Epiſcopum Würzburgenſem* inſcribi iuſſit, ulla in horum quoquam vis ad contra argumentandum ineſt. Nam Inſigne quidem Enſis nihil præter poteſtatem ac dignitatem iudiciariam indicare dicendum eſt: quam poteſtatem ac dignitatem, ultro ipſe a Ducatu non modo diverſam eſſe, verum etiam ſæpe diviſam ac ſeparatam fuiſſe, prædicat; neque nos hic repugnamus, ab Henrico V. Eccleſiæ Würzburgenſi datam ac conceſſam fuiſſe. Hugonis vero Metelli privatæ ad Epiſcopum litteræ, neque tantam habent auctoritatem & fidem, quantam aut hiſtoriarum, aut diplomatum, vel alia publica monumenta: etſi ne hiſtoriarum quidem ſcriptores, fidem, rei ſilentio ab ipſis præteritæ, apud hunc noſtrum, niſi cum ei libitum eſt, impetrant: & Embriconi titulum ipſæ reddunt *Ducis*, non Franconiæ, ſed *Herbipolenſis*. Eodemque modo numus Reinhardi & ipſe *Ducem* hunc, non Franconiæ, ſed *Würzburgenſem* appellat. Enimvero hoc illud eſt, quod, quid ſit, fatemur, parum nobis liquido in hac quæſtione conſtare. Nam & in diplomate Friderici I. quo is Eccleſiæ ac Ducatui Würzburgenſi omnem, quam inde usque ab ætate Caroli M. habuiſſet, iurisdictionem confirmat, quodque a noſtro ipſius Friderici eſſe defenditur, etſi decies, opinor, vocabulum ibi Ducatus occurrat, nusquam quidquam de Ducatu Franconiæ legimus, verum ita ſemper, *Eccleſia & Ducatus Würzburgenſis*, *Epiſcopatus vel Ducatus Würzburgenſis*, *Epiſcopus*, *Dux Würzburgenſis*. Nos quidem hæc ita movent, ut videamur poſſe contendere, Ducatum Würzburgenſem oportere alium fuiſſe a Ducatu Franconiæ: ita ut Epiſcopis Würzburgenſibus honor ac titulus Ducum, privatæ cuiusdam legis beneficio, nec ferme alia ſignificatione, quam qua & Epiſcopi dicebantur, redditus fuerit. Nam ſi, ut ex diplomate illo cognoſcimus, origo iurisdictionis & Ducatus Würzburgenſis ad tempora Caroli M. eſt referenda, cui,

Digitized by Google

cui, aut probabile, aut veriſimile videatur, iurisdictionem & Ducatum eius terrarum tractus, qui orbe Franconico comprehenditur, Caroli, aut alicuius proxime inſequentium Imperatorum vel Regum dono, Eccleſiæ Würzburgenſi ceſſiſſe? Hoc tam incredibile eſt, quam illud magis fidem habuerit, Epiſcopos Würzburgenſes ab iſto illo tempore incepiſſe, vel Principali conceſſu & beneficio, vel paullatim propria auctoritate, in ſuas ipſorum terras iurisdictionem exercere: ob eamque cauſſam eos honorem ac titulum Ducum Würzburgenſium vel datum ſibi accepiſſe, vel arrogatum ſuum denique feciſſe.

IO. IAC. REISKII ANIMADVERSIONUM AD Graecos Auctores VOLUMEN I. quo Diodorus Siculus, & ambo Diones, Chryſoſtomus & Caſſius, continentur.

Lipſiæ 1757. literis Loeperianis, plagg. 15. in 8.

Scriptorum antiquorum dignitatem atque uſum cum ſæpius magis adiuvent ii, qui doctas in illorum libros animadverſiones aliquo libello ſingulari complectuntur, quam qui ſcriptoris veteris novam ſtatim & pretio moleſtam editionem parant, cumprimum legere eum & intelligere coeperunt: gratias debemus Doctiſſimo Viro, Academiæ Lipſienſis Ornamento, Io. Iac. Reiskio, qui Scriptorum Græcorum præſtantiſſimos libros eiusmodi animadverſionibus ornavit, futuro illorum Scriptorum editori egregie profuturis. Quod poſtquam in Euripidem, Sophoclem, Ariſtophanem, Herodotum, Thucydidem, & Anthologiam, aliosque fecerat, eadem ratione tractavit Diodorum Siculum & ambo Diones, hac nempe, ut vel obſervationibus linguæ Græcæ eruditione plenis, ſingulas voces illuſtraret, ſenſumque verborum certiorem redderet & facilius intelligendum, vel lectiones verborum ſuſpectas ac dubias indicaret, medelam iis afferret, veramque lectionem contra quorundam Criticorum temeritatem defenderet. Oſtendit hoc nobis conſilium in præfatione,

 quam

quam ipſi operi præmiſit, ſimulque ſpem fecit, fore, ut Lyſiam, Ariſtidam, Polybium, eodem modo ornaret, adiectis his verbis, poſſe ſe in Polybio illuſtrando haud ſiccum & triſte aliquid, ſed paulo floridius & hilarius Grammaticorum illis promittere, qui rariorum dictionum expoſitiones, idoneorum auctorum teſtimoniis munitas, appetunt. Quam vero in toto hoc libello, ſuisque ſententiis proferendis, modeſtiam adhibuit, ea in præfatione ita uſus eſt, ut libertatem, quam ſibi ſumſerit in reiiciendis magnorum Virorum opinionibus, a temeritatis nomine purgaret, atque hoc animadverſionum genus contra eos defenderet, qui criticorum labores, minutiarum inutilium nomine, quia iudicare de illis non poſſunt, ſpernere vulgo ſolent. Cura enim & opera critica, quæ unius verbi lectione ſana eruenda ac defendenda legitime occupatur, quod in illa ingenii ſummum acumen, & iudicandi quædam facilitas, & doctrina non vulgaris apparere debet, præſtantior plerumque eſt doctiſſimis ceteroquin, quæ ad ſenſum verborum inveniendum magnam eruditionis ſpeciem afferunt, obſervationibus: quod opportune monuit fide dignus hac in re Vir, *H. Valeſius*, in Præfatione ad Socratis Hiſt. Eccl. Præter hanc præfationem communem, ſingulis in Diodorum, Dionem Chryſoſtomum, atque Caſſium libellis, peculiarem dedicationem, Chryſoſtomo etiam præfationem, præmiſit. Animadverſiones in Diodorum Siculum, præſtantiſſimo huius Scriptoris ante hos 13. annos Editori, *Petro Weſſelingio*, Profeſſori Traiectino celeberrimo, adſcripſit: Dionis Chryſoſtomi futuro Editori ſuas in huius Orationes curas dicavit, cumque, ne ad hoc opus, niſi Linguæ Græcæ ſatis accurata cognitione, magnaque iudicandi facultate inſtructus, accederet, monuit: in Dionis Caſſii libros notas ſuas dicavit *Celeb. Reimaro*, Hamburgenſium Profeſſori, qui edendo hoc Dione, tum ſuæ doctrinæ, ingenioque, tum typographeis Germanicis, monumentum poſuit aere perennius. Qua in dedicatione maxime Reiskii noſtri modeſtia ex eo apparet, quod diſſenſum Reimari ab quibusdam animadverſionibus ſuis, quas operi immortali inſeruerat Reimarus, cenſuramque illarum, grato animo

animo ſe obſervaſſe, acrioremque illo magisque ſævum cenſorem optaſſe, profitetur. Poſt libellum, quem Diodoro Siculo illuſtrando dicaverat, inſertæ ſunt, explendarum quarundarum paginarum cauſa, animadverſiones in Theophraſti Characteres Morum, ex marginibus Pawiani codicis, quo utitur, præcipue congeſtas. Adeo ſtudioſus utilitatis lectorum adiuvandæ fuit Reiskius noſter, ut, quemadmodum qui tempore ſapienter utuntur, ne ſubſecivas quidem horas, & exigua temporis intervalla negligunt, ita ille paginas quasdam, ne vacuæ eſſent, bonis obſervationibus repleret. In præfatione, Dionis Chryſoſtomi libello præmiſſa, editiones Orationum Dionis, & quicquid ad illas augendas ornandasque præſtiterint Viri eruditi, recenſet. Editores Dionis Chryſoſtomi extitere, usque ad noſtram ætatem, duo: *Fr. Turriſanus*, Venetiis, quo anno, non conſtat; *Fabricius* a. 1551. laudat, incerto auctore: & *Morellus*, Pariſiis 1604. cum latina verſione *Neogeorgi* S. Kirchmaieri, cuius exempla quædam, fraude librariorum, annum 1623. mentiuntur. Morellus, cum per linguæ Græcæ ignorantiam, neque codicibus, quibus inſtructus erat, recte uti poſſet; neque ſatis doctis obſervationibus dictiones illuſtrare: maximam laudem meruerunt, de Dione noſtro egregie meriti, *Iſ. Caſaubonus*, cuius doctiſſima diatribe, animadverſionibus egregiis referta, inſerta eſt editioni Morellianæ; & *Henr. Valeſius* paſſim, præcipue in libro II. Emendationum, quas in hoc opere Reiskius repetiit breviter. Recenſuit in eadem præfatione quasdam aliorum Virorum in Dionem coniecturas, editiones tentatas, interpretationem Francicam; denique, quas olim ipſe edidit in Obſerv. Miſcell. Amſtel. Vol. IX. tom. III. p. 375-379. animadverſiones, tanquam deformes foetus, a patre repudiatos, iacere, fortaſſe nimia ſævitia uſus, iuſſit. In Animadverſionibus ad Diodorum Siculum paginas editionis Weſſelingianæ ſecutus eſt; ad Dionem Chryſoſtomum Morellianæ; ad Caſſium Reimarianæ. Libellis ſuper Dionum ſcripta exaratis ſubiecit, quæ iſtis obſervationibus addenda vel detrahenda viſa eſſent, poſtquam impreſſæ iam erant; totique

 operi

operi Indicem Græcarum vocum, quas in libello hoc declaraſſet.

Sed indicata univerſa libri Reiskiani ratione, ſpecimina ſubiungemus quædam, ex quibus, quid de obſervationibus vel philologicis, vel criticis, ſperare lectores poſſint, fere appareat. Quæ ad intelligendas ſingulas voces, verborumque ſenſum illuſtrandum pertinent, obſervationes, non vulgarem linguæ Græcæ cognitionem, ceterarumque linguarum, quarum ἀναλογία Interpretes iuvat, rectum uſum, iudicandi facultatem denique, & Scriptorum antiquorum recte tractandorum exercitationem, diligentemque omnino interpretandi conſuetudinem, indicant. Sunt enim illæ animadverſiones vel ex omni Græcæ linguæ conſuetudine, vel ex peculiari ſcriptoris loquendi uſu, vel ex linguarum aliarum, Latinæ maxime, comparatione petitæ, nonnunquam ex hiſtoria, vel communibus quibusdam interpretandi præceptis ductæ; eæque vel plane obſcuras voces illuſtrant, vel ſignificationem cuique loco aptam invenire docent, vel ſenſus inventos egregie confirmant. Exempla eorum, quæ maxime placuerunt, ſubiiciemus, ordinem libelli ſecuturi.

Ad Diod. Sic. Lib. I. pag. 4. (ed. Weſſel.) 40. ἀναλαμβάνειν docet eſſe i. q. *legere, inſpicere, evolvere*, ex Polybii uſu. Uſurpatur quoque de ſuſceptione in animum, fortaſſe quemadmodum pictores ſuſcipiunt e concha, penicilli ope, colores. Perutilis nobis videtur eiusmodi verborum maxime explicatio, quorum ſignificationes ſingulæ, quia nimis πολύσημα & communia ſunt illa verba, non in Lexicis, vel diligentiſſime factis, ſatis definiri poſſunt, ſed ex ſingulorum, quibus occurrunt, locorum περιστάσει intelligi debent. Ad pag. 42. 40. ἀρχὴν explicat, vocem eo ſenſu raram, quod *funem* ſignificat, ex antiquo ἄρκω ſ. ἕρκω (unde ἕρκος,) ductam. Ad pag. 76. 48. notat, vocabulum Κύριος, obveniens eo ſenſu, ut *Deum* indicet, de quo uſu iam egit Reiskius ad Arriani diſſert. Epict. p. 159. 17. ed. Uptoni. (Videtur hoc quodammodo ebraizans eſſe.) Ad pag. 81. 72. ἀγνοέμενα notat eſſe i. q. *peccata;* quo ſenſu Polybio, Dioni Chryſoſtomo, eiusque ætatis

Scri-

Scriptoribus ſæpe occurrat; (pluraque loca N. T. inde illuſtrari poſſe arbitramur.) Ad Lib. III. p. 210. 98. χρώματα poni pro ἀρώματα, ex Latinæ Linguæ, medio ævo, conſuetudine illuſtrat, ubi pigmenta pro aromatibus dicuntur. Ad Lib. XIII. p. 564. 76. ἀτύχημα i. q. *ſcelus* eſſe, obſervat, idemque iam monuit ad Conſt. Porphyrogen. ad h. lib. p. 629. 74. & XV. p. 33. 43. idiotiſmum Diodori Siculi docet, qui verbum γνωσθεὶς idem eſſe iubet, quod φωραθεὶς. Ad L. XIX. p. 373. 30. verbi πολιτεύεσθαι apud Diodorum Siculum vim eam eſſe indicat, ut *illigare aliquem ſuis partibus* quacunque ratione ſignificet. Eſt hoc vocabulum ex eo genere, de quo diximus ad v. ἀναλαμβάνειν. Aeque peculiare eſt Diodoro, voce περικαταλαμβάνειν uti ſenſu *obruendi, occupandi*, quod notavit ad L. XX. p. 485. 68. In Exc. Legat. p. 631. 44. Latiniſmum animadvertit in illo: συνεξαιρουμένου, pro συμπεισθέντος τοῦ δήμου, quemadmodum Latini dicunt: *oppugnata precibus plebe.* Ad Theophr. Char. Mor. notatu dignæ maxime ſunt illæ animadverſiones, quæ docent ex vocabulis quibusdam novæ Græcitatis, Theophraſto Ereſio hunc librum vix tribui poſſe; veluti quod ἑαυτὸν dicat pro αὐτὸν, quod tamen in Plutarcho reperitur. Ad Dionis Chryſoſt. Orat. I. pag. 3. (edit. Morell.) 1. pluribus locis, ex Diodoro Siculo, ac Philoſtr. laudatis, lucem affundit exquiſitiori phraſi, cum nempe ἀθλητὴς σοφίας vocatur, *qui ſapientiam exercet.* Elegantiſſimam phraſin annotavit ad p. 11. 8. ubi locus dicitur πολλὴν ἱστορίαν ἔχειν, *qui multa habet digna, quae a peregrinantibus curioſe ac diligenter ſpectentur.* Illuſtrat hic locus propriam, ſatisque elegantem vocis ἱστορεῖν, & ductæ inde ἱστορίας, ſignificationem. Ad Orat. II. p. 35. 29. perneceſſariam reperimus obſervationem, non intelligendo huic loco ſolum aptiſſimam, ſed ad plures alios Scriptores tractandos etiam perutilem. Dio Chryſoſtomus Alexandri M. perſona loquens, mentionem facit Apollodori, tempore Alexandri multo iunioris. Quam difficultatem ut tollas, non dicendus eſt Dio hic ſuo nomine loqui, quæ mutatio perſonarum in eiusmodi fictis dialogis non foret toleranda; ſed ſcien-

 dum

dum eſt, Scriptores veteres, alienam perſonam inducentes, ſæpe oblivifci decori iſtius perſonæ, eique, tanquam per negligentiam gratam, tribuere, quæ tribui, ſi ἀκριβῶς iudices, non poterant. Docuit hoc Reiskius exemplis ex Athenæo, Luciano, Cicerone, aliisque, & in Addendis pag. 235. (libelli nempe Reisk.) Plutarchi aliquo inſigni loco, quo Ulyſſes Delphici templi inſcriptionem aliquam commemorat, Ulyſſis ætate longe recentiorem. Ad Or. III. p. 49. 37. ἑορτὴν obſervat per Latiniſmum dici de *hilaritate, laetitia, feſtivitate.* Ad Or. IV. p. 79. 37. verbum ἐπίδειξις illuſtrat, quod de *ſpectaculis ſ. acroamatibus* omnis generis, vel ingenii vel opulentiæ oſtentandæ cauſa editis, dicitur, ſic quoque de *recitationibus Sophiſtarum.* Ad Or. eiusdem pag. 81. 6. vocabulum ξεναγὸς expoſuit, quod *conſcriptores militum* denotat, qui milites mercenarios ſuis ſumtibus alerent, regibusque & civitatibus pro certa mercede permitterent. Tales erant ævo medio, in Italia, dicti *Condottieri.* Ad Or. VII. 127. 11. ἰσχὺν & ῥώμην ſic differre ait, ut illud conſtantiam, in propoſito maxime ſervando, hoc robur in impetu faciendo, ſignificet. Ibid. 35. elegans eſt obſervatio, quæ docet vim verbi φάρμακον, iuncti genitivo rei alicuius, nempe hanc, ut, *cuius ope aliquid impetrari poſſit*, id eius rei φάρμακον appelletur: v. g. φάρμ. ὕπνȣ quod ſomnum adiuvat. Addidit exempla aliquot inſigniora in Addendis p. 236. v. g. φάρμακον μανίας *oleum palaeſtricum*, quo *uncti inſanirent.* Ad Or. X. p. 148. 31. καταδῦσαι τ. ἥλιον ἀκȣ́σαντας κ. τ. λ. Latiniſmum putat: *condere ſolem in opere aliquo*, additis ex Luciano & Xenophonte pluribus exemplis. Ib. p. 149. 12. αἱ γλῶτται ſunt interdum *vocabularia.* p. 166. 19. ἀφικέσθαι ſæpius i. q. *abire* eſt: loc. cit. neceſſario ſic redditur. Notavit hoc R. noſter ad Herodotum, & Kypkium ad N. T. p. 157. citavit. Ad Or. XVIII. p. 254. 33. Latiniſmum obſervat in verbis: μόγις καὶ ȣ̓δὲ τȣ̃το. Lat. *vix, ac ne vix quidem.* Ad Or. eiusd. p. 258. 42. ἐπιδιδόναι, ſignificatione *dictare*, illuſtrat ex vernaculæ noſtræ voce, *aufgeben.* Ad Or. XXXI. p. 317. 24. εὐλαβηθῆναι ait, raro ſenſu, (qui tamen paſſivo proprius videtur,) ſignificare: *recte tractari.* Ad

Or-

Or. eiusd. p. 357. 20. πολλάκις i. q. *forſitan* eſſe, docuit; qua ſignificatione ignorata, Interpretes non raro erraſſe monet. Ad Or. XXXII. p. 363. 25. ἀπατᾷν *delectare* interpretatur, q. d. tempus fallere. Ad Or. XXXIV. p. 421. 5. παριόντες qui vulgo in ſcr. Gr. appellentur, oſtendit. Dicitur enim vel de magiſtratibus qui remp. capeſſunt, vel de Oratoribus, qui ad populum vel ſenatum prodeunt, ſuadendi aut diſſuadendi cauſa. Ad Or. XXXVIII. p. 472. 45. φιλαδελφίαν non eſſe *amorem inter fratres*, ſed *inter amicos*, notat, q. d. ἀδελφότην τῶν φίλων. Ad Or. LXVII. p. 617. 38. ἀποδεικνύειν interpretatur ita, ut ſit *alii ſibive aliquid dare vel ſumere agendum vel gerendum, tanquam opus ſuum;* unde pallium Oratione LXXI. p. 628. 14. appellatur Philoſophorum ἀποδεδειγμένον, quaſi communi more & conſenſu illis tributum geſtamen. Ad Dionis Caſſii fragmenta librorum I—XXXIV. pag. 17. (edit. Reimar.) 51. πρὸς τὴν νίκην obſervat eſſe i. q. διὰ *ob*, & hunc uſum particulæ, πρὸς Dioni Caſſio eſſe quodammodo peculiarem. Ad p. 28. 58. placuit inprimis nobis obſervatio, quæ uſum genitivi Græcis Scriptoribus (etiam N. T.) interdum ſatis exquiſitum, & diligenter obſervandum, egregie illuſtrat. Dicitur loc. cit. εὔνοια αὐτοῦ non eius, qui benevolus eſt, ſed cui bene volumus, q. πρὸς αὐτόν. Quem uſum variis exemplis e Diodoro Siculo, aliisque Scriptoribus confirmat, in ipſoque hoc Dione paulo poſt noſtrum locum pag. 31. 47. occurrit Εὐμενοῦς ἐπιβουλαί, inſidiæ in Eumenem. (Eadem plane ratione dictum eſt ψήφισμα Μεγαρέων, quod contra Megarenſes factum eſſet: vel rariori adhuc uſu Latini *poenas parentum* appellant, quæ ob parentes læſos ac violatos ſumtæ ſint.) Ad p. 41. 15. ἐπαγγελίας, in eiusmodi contexto, intelligendas eſſe de nominis editione, facta in muneris ambitu. In ſqq. libris ad LXXXVI. p. 90. 32. ἐν παντὶ γενέσθαι, *in ſummo periculo eſſe* reddiderat iam Reimarus. Reiskius monet, ſubintelligi debere δεινῷ, & eiusmodi vocabula κακόφημα omitti ſolere, exemplis quibusdam demonſtravit. Ad LXXXVII. 119. 1. ὀργὴν intelligit de eo, quod iram ſequi ſolet, *poena* nempe. Sic uſum eſſe

De-

Demoſthenem vocabulo ὀργῆς, docuit. (Nec deſunt exempla in N. T. v. gr. 1. Theſſ. I. 10. τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης.) Ad p. 128. 48. non idem eſſe obſervat, οὐχ᾽ ὡμολόγησεν, & ἔπαρνος ἦν, ſed omnino re ipſa differre. (Etſi vero eiusmodi exempla phraſeon συνωνύμων ſatis frequentia ſunt, neque de diſcrimine earum cogitare neceſſe eſt: tamen, ſi vere differunt, uti poſſumus tali exemplo ad tollendam ταυτολογίαν loco N. T. Ioh. I. 20. καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο: non ſolum non diſſimulavit rem interrogantibus, verum etiam confeſſus eſt libere & palam.) Ad p. 134. 46. 60. comparat συνταράττειν *terrere, & ad morem terrenti gerendum impellere*, cum latino, *concuſſio*. Ad p. 142. 65. ἐπεξελθεῖν rariori uſu obvenire indicat, ut ſit *res geſtas ſeorſim ac deinceps percenſere*. Ad L. XXXVIII. p. 183. 95. notat vocabulum Dioni Caſſio peculiare, novum, ἐπαυτόφωρον, factum ex ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ. Ad Lib. XL. p. 227. 8. κουφίζειν, quod ex ratione verborum in ίζειν terminatorum ſignificat vulgo, *levem facere*, novo more Dionis noſtri ſignificat *levis eſſe*. Ad L. XLIII. p. 352. 26. τἆλλα i. q. εἰς τὰ πάντα, notat; ἄλλος pro πᾶς dici, non ex Græcæ linguæ uſu modo, Polybii maxime, oſtendit, verum etiam a ceteris linguis non abhorrere, veluti Arabicæ, quorum سایر ſic uſurpatur, Francicæque, in qua dicunt *nous autres*. Ad Lib. LII. p. 677. 60. τεῖχος eſſe interdum *legionem, grande aliquod corpus militare*, i. q. ϛράτευμα, obſervat. Ad Xiphilini p. 1184. 29. vocem Ἕλληνας accipit ſenſu Chriſtiano, ut nempe *Paganos, Ethnicos*, deſignet. Sufficient vero hæc ad oſtendendam Reiskii noſtri, in explicandis verborum Græcorum ſignificationibus, dexteritatem.

Maximam vero partem libelli huius occupant curæ criticæ, quibus vel vulgatam lectionem defendit, vel illi aliam ſubſtituit, vel ex auctoritate Codicum; vel ex linguæ Græcæ ratione, quæ eam poſtulat, vel ex ingenio, quæ ipſi viſa eſſet quacunque de cauſa melior. Quæ coniecturæ ſi non omnino omnes facilitate ſua ſe commendant, quod in tanta multitudine fieri vix poteſt, ingenii tamen, legendis & iudi-

candis

candis bonis ſcriptoribus aſſueti, præſtantiam, linguæque Græcæ non vulgarem indicant cognitionem, ab ipſa denique modeſtia, qua ſcriptæ ſunt, commendationem habent. Tentavit interdum locos deſperatos, veluti Diod. Siculi L. XIV. p. 674. In probandis repudiandisve lectionibus linguæ Græcæ, ipſiusque Scriptoris, & aliarum linguarum rationem ita habuit, ut optime intelligere videretur, quanta interpretandi exercitatione opus ſit ad criſin modeſte inſtituendam. In lectionum varietate, a librariorum vitio orta, oſtendit ſæpe rationem, modumque, quo voces certæ permutari, falſoque ſubſtitui ſibi potuerint; pluribusque eiusmodi obſervatiunculis, paſſim, has animadverſiones criticas ornavit, aliosque ad iudicandas var. lect. aſſuefecit. Sententiam, quam de lectione ſana in locis quibusdam vel animo continuerat olim, vel publicam fecerat, veluti in animadv. ad Dion. Caſſ. nunc ſæpe mutat, eiusque mutationis rationes reddit: interdum in addendis retractat, quæ in ipſo libello dixerat, plura olim mutaturus; quam ſi inconſtantiam appellaveris, certe ſalutarem bonis literis, & a modeſto Critico profectam eſſe, fatendum erit. Nos vero, quia de his animadverſionibus iudicari non facile poteſt, niſi ipſo texto in ſingulis locis diligenter comparato, lectori hunc laborem ſuademus: nunc, omisſis, brevitatis cauſa, pluribus optimæ notæ conjecturis, vel emendationibus, pauca exempla laudabimus, maxime ubi obſervationes, pluribus aliis locis tuendis ſanandisque profuturas, deprehendimus. Ad Diod. Sic. p. 104. 3. delet δύναται, ſcholion verbi ἴσχυσε, male texto inſertum: eodemque modo p. 109. 71. χωνίον, ſcholion ignotæ vocis ἀέρχη de qua ſupra diximus. Pluribus locis lectiones vitioſas, ex hoc uberrimo fonte in quodcunque genus Scriptorum profectas, delevit. Ad Lib. XV. p. 53. 75. de particulis πρὸ & πρὸς monuit, eas quidem permutatas ſæpius male eſſe a librariis, caute autem in hoc genere lectionum verſari aliquem debere, obſervatis antea pluribus locis, plane non ſuſpectis, in quibus, ex linguæ Græcæ ratione, πρὸ & πρὸς permutatæ ſint; cuius rei confirmandæ cauſa, Plutarchi & Ioſephi loca attulit, atque Valke-

 narium

narium, Dorvillium, aliosque, idem monuiſſe addidit. Ad Theophr. p. 341. lectionem γυμνὰ, quam reiecerat olim, nunc defendit, additis rationibus, ex quibus appareret, γυμνὰ ſignificare poſſe *pudenda:* (eo enim ſenſu accipiendum eſt,) idemque ferre linguarum Orientalium, Latinæ, Græcæ quoque, conſuetudinem. Ad p. 196. 3. pro τῷ legit τῳ, quod genus emendationis frequens eſt, & quibusdam locis perutile. Ad Dion. Chryſ. Or. I. pag. 3. 23. 30. docuit, βασιλεύειν & βȣλεύειν ſæpe permutari. Ad pag. 17. 38. ἀνειμένȣς, pro quo ἀνημέρȣς Interpres & contextus ſuadent, defendit, cum intellexiſſet ex aliarum linguarum, Græcæque ipſius uſu, ἀνειμένȣς idem ſignificare poſſe quod ἀνημέρȣς, immites, q. d. *exſolutos, ausgelaſſen.* Ad Orat. VII. p. 110. 17. pro δίψȣς, (quod tamen iunctum eſt verbo λιμȣ͂.) legit ῥίγȣς, quod, quæ ſequenti oratione de calefactione dicuntur, deſiderare videntur. Ad Orat. XI. p. 158. 43. pro: πᾶσι παντοδαπας συμφορὰς, ex margine Codicis Veneti cuiusdam, elegantem protulit coniecturam: πάθη παντοδαπά. Dativus enim πᾶσι durior viſus eſt, & pro genitivo poſitus, niſi ſubintelligas γιγνομένας. Ad Or. XII. p. 217. 26. pro: ἔργμα (res) Anglus quidam legit ἕρμα. Reiskius defendit ἔργμα q. e. *res omnis quae aliam continet ac* conſtringit. Ad Or. XXIX. p. 293. penult. ἀλλ᾽ ὑπέρτατον legitur: Veneta habet: ἀλλ᾽ ὑπόρτατον, ex quo veram lectionem, textoque conveniantiſſimam, eruit Reiskius: ἀλυπότατον. Ad Or. XXXI. p. 313. 16. pro vulgata ȣ̓δῶν *limina*, Valeſius maluit ȣ̓λῶν, *molam ſalſam* tangebant, quod ordini rerum eſſet aptius. Reiskius vulgatam defendit, docuitque, Dionem ordine non ſatis diligenter ſervato, potuiſſe ȣ̓δῶν ſcribere, quia limina templi oſculabantur, demiſſis manibus, qui ad aram accedere vellent. Similis fere obſervatio contra Valeſium reperitur ad pag. 314. 33. Ad Orat. XXXI. p. 336. 2. & 348. 16. exemplo Weſſelingii ad Diodor. Sicul. I. p. 624. tuetur lectionem δημόσιον pro δημίῳ, oſtenditque, utramque vocem adeo frequenter *carnificem* ſignificare, ut emendationibus, quas talia loca vulgo paſſa ſint, plane carere poſſimus. Ad Orat. eiusd.

eiusd. p. 351. ult. δεῖν ſæpe omitti poſt Infinitivum docuit, illorum cauſa, qui talibus locis, emendationis ſuæ medelam, nimis temere admoverint, v. c. Hutchinſoni ad Xenoph. Expedit. paſſim. Qua ratione Demoſthenis loco, Or. contra Midiam pag. 74. (ed. Taylor.) 10. vexato, aliisque, ſuccurri poſſe ac debere, in Addendis p. 237. Reisk. noſter monuit. Ad Or. XLIX. p. 539. 18. φυλακῆς ἐντετεῖλασθαι emendat φυλακὴν; Caſaub. φυλακάς. Eodem loco, digniſſimam obſervatu animadverſionem repertam, non prætermittemus. Cum enim verbis, ἐντετεῖλασθαι φυλακὴν additum ſit ἢ ἐπιτρέψαι φρουρεῖν: obſervavit, in eiusmodi verbis ac phraſibus parum, aut nihil, differentibus, iunctis tamen, illud ἢ plerumque ſuſpectum eſſe, & vel ſcholion indicare, male texto inſertum, vel emendationem iuſtam eorum, quæ in texto vitioſa eſſent. Exempla ſubiunxit hæc: p. 424. 17. legitur, ἄχρι παντὸς ἢ διαστήματος: hoc ſcholion fuit marginale non intellectorum verborum, ἄχρι παντὸς. Habemus titulum Plutarchici libri cuiusdam: περὶ Ἀλεξάνδρου τύχης ἢ ἀρετῆς. Ἀρετῆς emendatio eſt vitioſæ lectionis, τύχης. Iſte enim liber agit de virtute Alexandri M., alter, de fortuna, periit. Quem fontem vitiorum uberrimum aperuit denuo in Addendis pag. 238. exemplis e Xenophontis ac Demoſthenis libris laudatis. Ad Orat. LXIII. 5. ἀνέμους σφοδροὺς, mutari vult in φοροὺς *ſecundos*. (Videntur tamen ſequentia deſiderare ventum ſecundum & adverſum, adeoque nomen aliquod commune.) Ibid. p. 12. pro πάντα legit ἅπαντα: quam coniecturam facilem & aptam texto putamus. Ad p. 590. 30. pro ἀνθρώπους coniicit οὐρανὸς, quam vocem contextus requirat. Cum enim dictum eſſet antea de terræ fortuna; nunc de coelo loqui velle videtur: conveniunt etiam, quæ ſequuntur. Docet autem, qua ratione permutari hæ voces a librariis ſoleant, nempe, quod ἄνθρωπος ſcriberetur in codicibus MSS. ita: ΑΝΟΣ: οὐρανὸς vero ſic: ΟΥΝΟΣ. Ita p. 574. 11. pro οὐρανοῦ Morelliano, male Aldina habet ἀνθρώπου, ex eodem erroris fonte. Ad Dionem Caſſ. Fragm. pag. 8. 11. cum Reimaro, pro πίστιν θείου, legit πύστιν, *famam, cognitionem*: quæ

vocabula permutata eſſe, clarius apparet ex Lib. XXXVII. p. 127. 2. Ad pag. 10. 78. oſtendit, *ἄμα*, ex recentiori Græcorum conſuetudine, cum Genitivo ſæpe conſtrui, ne quis iis locis omnibus Dativum ſubſtituat. Ad pag. 28. 42. pro *ἄλλως τε*, legit *ἁγνός τε*, aut *ἁπλοῦς τε*, (quod ſequentia patiuntur, dubium, an deſiderent, ſi *ἄλλως* accipias quod *vel maxime* eſſet &c. Ad L. XXXVI. pag. 88. 61. *ληστρικὰ* ſemper legendum eſſe, nunquam *ληστικὰ*, non addita ratione. Ad pag. 89. 9. pro *σκῦλα* legit *σῦλα*. Illud enim de exuviis, ſpoliis mortuo detractis; hoc de ſpoliis de vivo corpore ſumtis uſurpari. Cf. Taylor & Markl. ad Lyſ. p. 481. 1. 22. Ad L. XXXVIII. p. 154. 8. ſuadet *ἐκδείας*, *remiſſionis debitorum partis;* idque probat eſſe Thucydideum, Dionem autem Caſſium ſtudioſum fuiſſe dictionis Thucydideæ, laudato Dukero ad Thuc. p. 64. 93. Ad pag. 171. 74. *εὐπραγίαι κωφαὶ* defendit, docetque, hoc verbum ſignificare *inanes*, neque opus eſſe Leunclaviano *κουφαὶ*. Ad Lib. XLIII. p. 372. 14. *αὐτὸ τοῦτο* defendit, & interpretatur *ſimpliciter*, allatis huius rei ex Euſebio exemplis. Ad Xiphilin. p. 984. 48. *βασιλικῷ κοιτῶνι* defendit ex more ætatis illius, qui iuſſerat *κοιτῶνα* eſſe *fiſcum regium privatum*, ut *veſtiarium* latinis medii ævi. Valeſius enim *κοιτῶνι*, in quibusdam exemplis deprehenſum, repudiaverat.

Non dubitabis, Lector, potuiſſe nos ex uberrima exquiſitarum dapum copia plura tibi fercula apponere, quæ vel delectarent ſenſus ingenii iſtis deliciis aſſueti, vel etiam confirmarent atque alerent eiusmodi nutrimenti cupiditatem. Sed voluimus, quod conſilium eſt noſtri libri, propoſita modo hac eſca, ad appetendam ipſius libelli Reiskiani dulcedinem Lectores noſtros allicere.

IO. GE. MICHAELIS, SS. THEOL. P. P. ORD. ET Ill. Gymn. Regii Ref. Halenſ. Ephori, Exercitationes Theologico-Philologicae.

Lugd. Batav. 1757. ap. Nic. Moens, pl. 14. 8vo mai.

Non

Non nudius tertius emicans, ſed per octo, & quod excurrit, luſtra, in Orbis eruditi celebritate verſatus, Summe Rev. Auctor, hancce Diſſertationum Pentadem, velut continuationem Obſervationum ſacrarum, ab ipſo Trai. ad Rhenum 1738. 8vo editarum, & a nobis eodem iſto anno, in Novis noſtris Actis p. 420. ſqq. recenſitarum, edere inſtituit. De ſingulis ipſe quædam præfatur, earundemque rationem in prooemio reddit. Singulas vero luſtrabimus & nos ipſi, ut & noſtris Lectoribus benevolis guſtum aliquem præbeamus. Exercitatio I. agit de eo, num Chriſtus Dominus aliquid ſcripſerit? (id quod negatur:) ſin minus, quæ huius fuerit ratio? & an illa ſcriptionis intermiſſio rei Chriſtianæ ſit detrimento? Ne quis haſce quæſtiones de trivio ſumtas, titivilitioque minores autumet, velut quorundam Bibliothecas Adami, Teſtamenta Patriarcharum, Hiſtoriasque litterarias antediluvianas, Summe Rev. Auctor ſub initium ſtatim momenta harum quæſtionum profert, diluendo nimirum multas obiectiones, ipſi dudum Auguſtino, de Conſenſu Evangeliſtarum L. I. c. 7. & Retractationum L. II. c. 16. memoratas, & ab hominibus, qui levitate quadam in religionem Chriſtianam ducuntur, proferri ſolitas. Sed & bonis quibusdam alias mentibus non ſine ratione videri queat, optimum noſtrum Servatorem aliqua omnino ſcribere debuiſſe, ut videlicet ipſe tanquam Propheta docendi cupidus, dociles auditores non voce modo, ſed & calamo, ad perpetuam rei memoriam erudiret: idque tanto magis videri neceſſarium poſſet propter imbecillitatem Apoſtolorum. Igitur Summe Rev. Auctor exercitationem hanc primam in tres diſpeſcuit partes. Sect. I. demonſtrat, Chriſtum nihil omnino retuliſſe in literas. Hinc removit etiam ab hoc inſtituto ſcriptionem Chriſti in terram, Io. IIX. 3—8. memoratam, eandemque cum Ven. Noſtro Heumanno potius interpretatur de motione manus digitorumque Chriſti, figuram quandam in ſubſtrato pavimento exprimente, qua Chriſtus ſignificarit, quod totam illam cauſam accuſatæ adulteræ, a ſemet, qui in rebus civilibus ac criminalibus ſedere tanquam arbiter nolit, velle reiectam.

Pag. 3.

10. 11.

ctam. Reſecuit etiam Ven. Auctor, & inter fabulas merito retu-
lit epiſtolam, quam nonnulli, ut Euſebius, Procopius, Evagrius,
Nicephorus, Montacutius, Grabius, Caveus, Chriſtum ad
Abgarum, ſ. Agbarum, Edeſſenorum regulum, conſcripſiſſe
Pag. 12. ferunt, atque aliis perſuadere conantur. Rationes ſuſpectæ *νο-*
θείας adduntur non levioris commatis, & concluditur demum,
14. 17. quod etiamſi in amoebeis ſic dictis epiſtolis, Abgari ad Chri-
ſtum, & huius ad illum reſponſione, nulla hæreſeos vel ſuper-
ſtitionis nota occurrat, illud tantum conſequatur, hominem,
qui illas eſt commentus, fuiſſe prudentem, illumque fictioni
ſuæ colorem aliquem inducere potuiſſe, non autem, iſtas epi-
ſtolas hoc ipſo ab omni ſuppoſitionis ſuſpicione immunes
præſtari. Hinc piam tantummodo fraudem ſubfuiſſe docto
iſti impoſtori ſubolet cel. Auct. quem tamen l. c. graviſſimis
motus rationibus improbat, immo reprobat. Erudite de-
25. inceps epiſtolas alias quaſdam pſeudepigraphas, quas Simo-
nem Magum, Cleobium, & quendam Adelbertum, Chriſto
adfinxiſſe fama fert, perſequitur, noſtrumque P. C. Hilſche-
rum notat, qui Chriſto omnem artis ſcriptoriæ notitiam de-
negaſſe viſus eſt, T. V. Miſcell. Lipſ. antiqu. p. 28. quod fuſe
refellitur. Sect. II. A. diſquirit de eo, quare Chriſtus non ali-
quid ſcripſerit? Recenſitis & diiudicatis infirmioribus Th. A-
41. quinatis (in ſumma totius Theologiæ, P. III. quæſt. 42. art. 4.
p. 87. ed. Lugd.) rationibus, hanc quæſtionem decidendi gratia,
alias ſubſtituit, deſumtas tum ab illa ratione, quam Chriſtus
43. ad Patrem, tum ab illa, quam ad homines redimendos ha-
buit, nec non a circumſtantia temporis, in quod miniſterium
Chriſti incidebat. Quod ad illam duplicem relationem atti-
net, ſufficiebat, ſi Chriſtus ea, quæ agere debuit, per ſacros
49. 51. amanuenſes literarum monumentis conſignari faceret. Quod
ad rationem temporis ſpectat, hoc ipſo tempore vetus adhuc-
dum oeconomia legalis durabat. Quare, ſi Chriſtus doctri-
nam ſuam ſcriptis explanare voluiſſet, illa ſcripta pertinuiſ-
ſent vel ad Vetus, vel ad Novum Teſtamentum. Non
ad Vetus, quia Chriſti miniſterium, & omnis eius doctrina,
erat Evangelica, Io. I. 16. Canon autem Veteris Teſt. Mala-
chiæ

Digitized by Google

chiæ temporibus iam clauſus & obſignatus fuit: non ad N. T. referri poterant Chriſti qualiacunque ſcripta, quandoquidem illud Chriſti ætate nondum erat confirmatum, nec ſollemni Sp. S. miſſione initiatum, Io. VII. 39. Reſpondetur dein obiectioni, quare non Chriſtus ipſe ſuavem Evangelii doctrinam, cui N. T. eſt ſuperſtructum, ſcripto comprehendere potuerit. aſſerendo, quod id nec poſſibile fuerit, nec neceſſarium. Chriſtum enim exhibitum prædixiſſe quidem ſuammet ipſius paſſionem, & Eccleſiæ fata futura: ſed & eadem αὐτοπροσώπως Pag. 55. 56.
conſignare, ob nimiam Iudæorum offenſionem, quæ ipſius doctrinæ apud illos obicem poſuiſſet, conſulto abſtinuiſſe; donec per ſingulare miraculum demonſtraretur, diſcrimen inter Iudæos ac Gentes Deum ſublatum prorſus velle, atque has in eorundem beneficiorum poſſesſionem cum illis immittendos eſſe, Act. X. 28. 34. 35. 44. XI. 4. 15-18. Ob eosdem incredulos Iudæos, Chriſtus ab omni teſtimonio, vel ore, vel ſcriptis a ſemet de ſe ipſo prolato, abſtinuit, Io. V. 31. IIX. 14. & potius ad teſtimonium Patris, de Filio, tam per Prophetas, quam per voces coelitus delapſas, ut & per miracula, cumprimis reſuſcitationis mortuorum, & Filii ipſius a mortuis, teſtantis, provocavit. Poſt concludit: ſi diſcipuli 58.
Chriſti exiguo conſtiterunt numero, ipſeque easdem veritates haud raro repetiit doctrina ſimplici, plana, & aperta, dubiaque interrogantibus ſoluit, neceſſe non fuit, ut doctrinam ſuam ipſemet ſcripto complecteretur, eandemque ſcriptam ipſis in manus daret; maxime, cum eam per legatos ſuos poſt adſcenſionem in coelum confirmaturus, & illi dein etiam illam victuris in omne ævum chartis commiſſuri, eſſent. At- 60. 61.
que ita, poſt indicationem chronologicam, quo tempore quilibet N. T. liber ſit exaratus, Sectionem hanc finit Summe Rev. Auctor. Sectio tandem III. de eo diſſerit, an, quod 62. ſqq.
Chriſtus non aliquid ſcripſerit, rei Chriſtianæ ſit detrimento? Hoc itidem negatur, quia, quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria, in diſcipulorum eius ſcriptis habentur; & quia, quam illi ore aut calamo propoſuerunt, doctrina, non fuit ipſorum propria, ſed Chriſti. In eo autem Chriſtus maieſtatem ſuam divinam demonſtravit, quod, etſi ipſe nihil ſcripſit prorſus, tamen

Digitized by Google

mer] in ipſorum mentibus eas veritates excitavit, in quas
ſibi relicti propriis viribus nunquam incidere potuiſſent.
Tuto igitur omnibus, quæ hi de Chriſto ſcripſere, fidem adhi-
Pag. 79. bemus, convictione interna Spiritus Sancti. Prolixiores fuimus
in enarrando Exercitationis huius, haud proletariæ, argumento
minus trito aut frequenti: nunc in reliquis exercitationibus re-
cenſendis futuri breviores. Exercitatio II. eſt de eo, num Apo-
ſtoli, duodecimo demum a Chriſti in coelos evectione anno,
Hieroſolymis ſint egreſſi? Negatur iſtud contra Euſebium,
Clem. Alexandrinum, Caveum, Vitringam, & Gfr. Arnoldum,
& id quidem ob ſilentium Scriptorum ſacrorum & antiquiſſi-
morum Eccleſiaſticorum, ob repugnantiam ſapientiæ divinæ,
97. & hiſtoriæ ipſius Apoſtolicæ. Exercitatio III. diſquirit,
num ſollemnis expiationis anniverſariæ dies, ſub templo ſecun-
do fuerit celebratus? Affirmatur, (contra Pet. Molinæum, in
libello, qui Vates inſcribitur, L. 1. c. 25. p. 75. iſtud negan-
tem,) tam ex Luc. I. 9. Io. I. 29. V. 1. quam ex tractatu Tal-
mudico Ioma, ex Fl. Ioſepho & Miſchna, nec non iterum ex
144. Actor. XXVIII. 9. & Ebr. VII. 27. Exercitatio IV. locum Luc.
I. 9. modo citatum adcuratius intuetur, & apparitionem an-
geli, Zachariæ ſacerdoti factam fuiſſe ſuffitus tempore, proba-
176. biliter adſtruit. Exercitatio tandem V. de Lapidibus vivis, ſtru-
ctis in domum ſpiritualem, ad 1 Pet. II. 5. maxime convellit
Alexandri Mori ſententiam, exiſtimantis videlicet, (Not. in N.
T. edit. Fabric. p. 210.) reſpici h. l. ad λίθȣς ἐμψύχȣς, & ſta-
tuas animatas, Plutarcho & aliis paganis tam frequentes. Ra-
tionibus probe ſubductis, dein cenſet S. Rev. Auctor, Apoſto-
lum potius alludere ad lapides templi Hieroſolymitani, qui
parati fuerint ante, quam ad montem Moria ſint deportati,
concinnatique in fabricam ſ. ſtructuram ædis ſacræ Hieroſoly-
199. mitanæ. Metaphoram hanc Petrinam interpretatur de cre-
dentibus, non in ſe & ſua natura, ſed in coniunctione cum
Chriſto conſideratis, cui, tanquam lapidi fundamentali inædifi-
cantur. Index locorum Scripturæ, qui citantur & illu-
ſtrantur, ſat copioſus, claudit pulcherrimas
haſce exercitationes.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maii Anno MDCCLVIII.

LE DROIT DES GENS &c.

i. e.

IUS GENTIUM, SEU PRINCIPIA LEGIS NATURAE, applicata moribus & negotiis Gentium & Principum, Auctore D. DE VATTEL, Tomus I. & II.

Londini 1758. Alph. 5. plagg. 9. in 4.

Recte & merito Celeb. Auctori Ius Gentium eſt ius naturæ, moribus & negotiis gentium applicatum. Hauſit ex illuſtri Wolfio Definitiones & Principia generalia, ſed ita, ut, quæcunque ab hoc dicta ſunt, magnopere digereret, poliret, & non raro temperaret. Exhibebimus B. L. optima fide, quæcunque nobis videbuntur notabilia. Iam primum illud boni augurii eſt, quod in Præfatione profitetur A., ſe in Iure Gentium verſari velle, ut virum bonum, & cui perſuaſiſſimum ſit, *rempublicam ſine ſumma iuſtitia regi non poſſe.* Palmarium dein Civitatis Rectorum officium eſt (L. I. c. 2.), ut Rempublicam conſervent, & perfectam reddere ſtudeant, quoniam non entis nulla ſunt prædicata, & fruſtra de vicinorum vitiis querimur, quoties apud nos, luxu, diſſidiis, & aliis malis opprimimur. Arguitur dein (c. 4.) ambitio principum, nimis credulorum aſſentationi adulatorum, continuo ſuggerentium, in gratiam principis coaluiſſe populum, non in populi gratiam conſtitutum eſſe principem; unde manare ſolet

 let

Digitized by Google

let illa malorum ſentina, qua reditus publici ludibrium fiunt palpatorum. Oſtenditur deinde, miſeram pacem, vel bello bene mutari, ſi arma arripiat civis oppreſſus. Inter curas boni principis (cap. 6.) eminet ſtudium præmiis excitandi induſtriam civium, ut cuivis eorum liceat tuto & commode vivere, & fructum capere laborum ſuorum. Commercia poſthæc (c. 8.) mercatorum, inſigne rerumpublicarum ſunt ſuſtentaculum. Carthago, Romæ æmula fuit, per divitias commerciis quæſitas. Romanum vetus Imperium periit, quia, opibus civium per arma abſumtis, nullum miſeris ad mercantium fortunas perfugium erat. *Societas Belgarum Indiæ Orientalis Regna poſſidet, & Gubernator eorum, Bataviæ, Regibus Indiæ legem dicit.* Viæ publicæ & vectigalia ſiſtuntur c. 9; & 10. de Moneta agitur & Cambio.

Sed ſecundas curas boni imperantis eo pertinere diximus, ut cives reddantur perfecti, id eſt felices. Docet enim quotidiana experientia, populum omnibus terræ copiis affluentiſſimum, in ipſo divitiarum gremio ſæpe miſerrimum eſſe. Refertur huc (c. 10.) cura educationis liberorum, libertas philoſophandi, amor virtutis, horror vitiorum. Pietas quoque, & religionis ſtudium, huc revocantur in c. 12. Eſt autem pietas, (ne miſceatur cum ſuperſtitione, diſpoſitio animi, qua omnes actiones noſtras eo referimus, ut placeamus enti ſupremo. Debet enim nobis eſſe perſuaſiſſimum, nullam bonam actionem carere præmio divino; nullam malam, poena. Ut enim vindex, ita remunerator eſt Deus. Ex ponuntur hic diligenter officia imperantium & ſubditorum, quæ ad ſacratiſſimam hanc baſin civitatis omnis pertinent. Commendari poſthæc magnopere debet ſtudium iuſtitiæ & politiæ, de quo c. 12. agitur. Plus enim gloriæ princeps adipiſcetur, ſi hydram artis rabuliſticæ edomuerit, quam ſi decem cladibus hoſtem profligaverit, indeque tot victoriarum retulerit triumphos. Qua ratione populus ſeiungere ſe poſſit a republica, cuius antea pars fuerit, vel renuntiare obedientiæ principis, a quo non amplius protegitur, docetur c. 17. Iura rerum communium, publicarum, & ſingulorum, domaniorum, flumi-

Digitized by Google

fluminum, marium, exhibentur cap. 20. 21. 22. & 23. ad finem usque libri I. ſumma cum accuratione & perſpicuitate.

Dein Lib. II. c. 1. comparent iura humanitatis inter gentes exercenda, ubi, inter reliqua, egregie p. 263. refellitur Grotii ius belli punitivum. Independentia nationum adſeritur c. 4. Olim res eccleſiaſticæ Conciliis ordinabantur. Convocata ea novimus adhuc tempore emendationis ſacrorum. Hodie Principes diſerte Papæ reſpondebunt, ſe, neque in rebus eccleſiaſticis, neque in civilibus, ulli poteſtati humanæ ſubeſſe. Dum Carolus M. Saxones vi belli ad Chriſtianiſmum cogit, Mahometi ſucceſſores ſuam ſuperſtitionem pari modo ſtabiliunt in Aſia & Africa (p. 302.). Sæpe quæſitum novimus, an præſcriptioni locus ſit inter gentes. Affirmatur hæc quæſtio c. 11. per rationem iuris naturalis, qua, qui rem ſuam longo tempore non vindicat, dereliquiſſe eam præſumitur. Quæ præſumtio iuris, & de iure eſt. Iuvat hanc deciſionem ſalus populorum; quum plerorumque principum poſſeſſiones dubiæ forent, ſi aliud diceretur. Uſus gentium quoque eam confirmat: unde recte iuris gentium voluntarii dicitur. Fides foederum nobile argumentum eſt cap. 15. Notatur hic Papa Eugenius IV. qui Vladiſlaum, Regem Poloniæ & Hungariæ, iurisiurandi, Amuratho Turcarum Imperatori præſtiti, religione abſolvit. Debuiſſet foedus Vladislao ſanctum eſſe, etſi non iuraſſet. Non enim ex pactione verborum, quibus iusiurandum comprehenditur, ſed ex perfidia & malitia, per quam inſidiæ tenduntur alicui, Deus hominibus iraſci & ſuccenſere conſuevit. Dedit poenas perfidiæ Vladislaus, occiſus in prælio ad Varnam. Dignum eſt & hic legi Epitaphium eius:

Romulidae Cannas, ego Varnam clade notavi:
Diſcite mortales, non temerare fidem.
Me niſi Pontifices iuſſiſſent rumpere foedus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora iugum.

Similì temeritate, Papa pacem Weſtphalicam pro nulla, vana, invalida, iniqua, iniuſta, declaravit. In cap. 17, quod inſcribitur

Digitized by Google

bitur de Interpretatione, novum pondus additur regulæ Iuris Civilis, pactionem obſcuram iis nocere, in quorum fuit poteſtate, legem apertius conſcribere; & obſcuritatem pacti nocere potius debere venditori, quam emtori, quia potuit re integra apertius dicere, quum rem magis cognitam haberet. Deinde verba promittentis potiſſimum ponderanda ſunt: is enim præcipue ad præſtandum obligatur, ideoque deliberate loquutus eſſe præſumitur. Sæpe ex circumſtantiis naſcitur coniectura, quid promittentes voluerint verbis ſuis; quorum proprietas ſectanda eſt. Diſtinctioni inter favorabilia & odioſa plus lucis, quam vulgo fieri ſolet, adfunditur pag. 494. ſeqq.

Tomi II. L. 3. c. 1. inſcribitur de bello, & diverſis eius generibus, & de iure inſtruendi bellum. Tractatur hic cap. 3. §. 42. celebris quæſtio, an metus creſcentis potentiæ ſit iuſta belli inferendi cauſſa. Negatur ea, quia potentia non eſt iniuria, & bellum propter iniuriam ſolam infertur, ſive propter omnia ea, quæ defendi, repeti, atque ulciſci fas eſt. Quid ſi periculum nobis iam proxime imminere videatur a tali potentia? tunc prævenire licet per §. 44. quia ſalus integrorum populorum non molliter procurari poteſt. Legi merentur, quæ pag. 68 ſeq. dicuntur de Caſu Foederis. *Wolfio* Iur. Gent. §. 730. & 736. omnis is hoſtis noſter eſſe videtur, quicunque iungitur hoſti noſtro, aut eum iuvat armis, copiis, vel quacunque alia ratione, & inde nobis ius naſci putat Vir b. bellum ei inferendi. Hæc opinio merito crudelis videtur Humaniſſimo Auctori noſtro p. 72. cuius ſententiæ prodeſt uſus Europæ, opinioni Wolfianæ contrarius. Helvetii ſæpiſſime, ſuperioribus ſeculis duobus, Gallis militem apud ſe conſcribere conceſſerunt, neque ideo Auſtria iis bellum indixit. Et Theologis, & Politicis, placebunt, quæ pag. 148. dicuntur de diſcrimine mendacii & falſiloquii. Dolus an virtus, quis in hoſte requirat? Laudabilius tamen videtur abſtinere dolis. Ita Achilles,

Non

Digitized by Google

Non incluſus equo Minervae
Sacra mentito, male feriatos
Troas, & laetam Priami choreis
Falleret aulam. — — —
Sed palam captis gravis.

L. IV. c. 1. ad pacem refertur, & ad obligationem eam colendi. Refellitur Hobbeſius, qui ſtatum belli ſtatum hominis naturalem eſſe dixit; & oſtenditur, ſtatum hominis naturalem eſſe ſtatum pacis. Dilucidæ ſunt definitiones & regulæ, quibus utitur Celeb. Auctor, ſelectiſſima, quibus eas illuſtrat, exempla, petita ex Hiſtoria veteri & recentiore. Inſigne imprimis eſt artificium eius, res principum auribus ingratas reddendi gratiores.

COMMENTATIO MEDICA, SISTENS NOVAE methodi, ſurdos reddendi audientes, phyſicas & medicas rationes. Auctore IOHANNE IORISSEN, Veſalia-Clivenſi.

Halæ Magdeburg. pl. $7\frac{1}{2}$. in 4to.

Quamquam nos diſſertationes Academicas, quæ in Germania noſtra infinito propemodum numero quotannis evulgantur, Actis noſtris inſerere non ſolemus; tamen, ſi nunc hiſtoriam morbi ab Auctore diſſertationis concinnatam, tamquam ſcriptionis argumentum, ad verbum deſcribimus, non tantummodo veniam a Lectoribus impetraturos, ſed gratiam quoque inituros nos, confidimus. Eſt autem huiusmodi:

„Parens meus, octo ſupra ſeptuaginta annos natus, viceſimo ætatis ſuæ anno audiendi ſenſit difficultatem, quantum ipſe meminit, profuſæ narium hæmorrhagiæ, aut gravi cuidam caſui ortus ſuos debentem: cui malo, quæcunque ceteroqui convenientia propoſita ſunt remedia, nil quicquam profuerunt; ut potius in ſingulos ætatis annos ita gravius confirmatiusque ipſe obſurdeſceret, ut ne aliud quidem verbulum intelligeret, niſi quod ipſi proxime ad aures acclamaretur. Inſignis animi

ex hoc adfectu acerbitas, & ingens eiusdem depellendi deſiderium, impulerunt ipſum, ut a Germanis non ſolum Medicis, ſed a Batavis quoque nonnullis, auxilium exquireret conſiliumque. Verum omnis hæc ſpes ad nihilum recidit, Medicique, poſtquam omnem externam auditorii organi conditionem, neſcio qua, exacta perſecuti eſſent diſquiſitione, aliquid curationis convaleſcendique ſpei ſupereſſe prorſus negarunt. Interea, ut, qui cum ipſo colloqui vellent, quodammodo adiuvarentur, ipſe parens meus ſibi Amſtelodami varios comparavit tubos acuſticos, eorum tamen uſu dehinc abſtinuit, cum propter plurima coniuncta incommoda, tum præſertim quod eorum ope nunquam ſatis diſtinctas perciperet voces. Accidit autem, ut, quum ego ſororque mea natu maxima fides tangere (*Clavier*) doceremur, paterque, ut ſolebat, noſtrorum profectuum ſpectandorum cauſa adſtaret, diceretque, ſe maxime quoque velle, ut ſonos hos muſicos audire poſſit, tum muſices regereret magiſter, fieri hoc omnino poſſe, ſi tenuem bacillum aut tubulum (*Pfeiffe*) altero fine verſus contignationis reſonantis (*Reſonantzboden*) trabeculam, ſuper quam adductæ ſunt fides (*der Steg*), altero vero verſus ſuperiores dentes proxime admoveret teneretque. Cuius experimenti veritas pluribus exemplorum teſtimoniis iam pridem erat confirmata. Atque hoc idem & parens meus protinus eſt expertus, dicta uſus methodo, dum aliquis noſtrum fides pulſaret; ſtatimque mirabiliter lætatus eſt, quod non ſolum ſingulos ſonos exquiſite diſtinguere, ſed etiam, ut arbitrabatur, longe fortius percipere poterat, quam unquam, illæſo adhuc auditus organo, percepiſſet. Inter hæc autem nondum innotuerat nobis modus, quo vel paullulum tam intenſa acclamatione, quam frequentioris appropinquationis incommodis, pauciſſima tantum verba cum ipſo collaturi, liberaremur, aut ſaltem allevaremur. Neque erant, qui utile & ad hoc accommodatum adferrent conſilium. Verum enim vero, ſingulari Dei providentia factum eſt anno CIƆIƆCCXLIX. ut ipſi optimo parenti opportuna obveniret occaſio, inveniendi methodum, qua unusquisque non commode ſolum atque

que ſubmiſſa & exili voce, ſed interiecto quoque diverſo, viginti trigintave paſſuum, intervallo, ſola naturali atque ordinaria voce utens, cum ipſo colloqui poteſt.

Accidit nimirum aliquando, ut, præſentibus patruo meo, parentibus, ceterisque ſororibus & fratre meis, ſupra iam dicta ſoror mea fides pulſaret, patremque meum, ope tubuli ſui, quo commodiſſime ſimul Nicotianæ fumum ſugebat, hanc Muſicen diſtincte audientem, ſingulariter delectaret: unde & patruus, & reliqui nos omnes longe maxima adficiebamur voluptate, quod hac ratione pater quoque meus

Dulce melos, blandumque ſonantia pollice fila

percipere poſſet. Qua de re varia deinde confabulati ſumus, quum demum patruus meus ad parentem propius accederet, ſi hos ſonos, dicens, ipſe rite diſtincteque percipiat, ſequi profecto, ut quoscunque etiam ſermones certa quadam ratione audire poſſit. Quibus dictis patruus tubam adferri iuſſit ſtentoream (*Sprachrohr*), qua prioribus annis haud incommode parens meus uſus erat: cuius tubæ anguſtiorem partem dein a patre meo verſus ſuperiores dentes admoveri curavit, ipſe vero intra latius eiusdem tubæ orificium aliquot verba loquutus eſt. At enim vero hinc ne minimam quidem auribus ſuis accidiſſe mutationem ſenſit parens. Protinus vero ipſe rogavit patruum, velit ille ipſe alterum tubæ orificium verſus ſuperiores dentes ſuos apponere, ſeque idem facturum dixit. Hoc facto parens patruum vel ſubmiſſa voce loqui iuſſit, & ecce! vix duo dicta erant verba, quum eadem, non ſine inſigni gaudio atque voluptate, repeteret pater, ſimulque ſe vel exilia quævis verba diſtinctius percipere, quam ſi alias auri eſſent occlamata, adfirmaret. Quo vero parens, lætabilem hunc eventum non ſoli artificioſæ tubæ ſtentoreæ ſtructuræ deberi, locupletiſſime intelligeret, protinus capto tam in bacillo, quam in recenti tubulo, quem vulgo dicunt, fumiductorio (*Tobackspfeiffe*), experimento, eadem optime evenire deprehendit, magna cum noſtra & ipſius lætitia, licet vox in loquendo maxime ſubmitteretur, ita tamen, ut ſaltem idonea adhuc ſit ad auditionem. Atqui nunc in novo hoc invento

vento

Digitized by Google

vento curioſitas non ſubſtitit noſtra. Quippe ſcire etiam noſtra intererat, quanto interiecto intervallo hac methodo cum parente colloqui posſimus. Quo conſilio variæ longitudinis baculos, & inter hos unum ſumſimus, in longitudinem per ſex pedes porrectum, latitudine pollici, crasſitie vero cultri vulgaris dorſo æqualem *), utpote qui inter loquendum labiis parum incommodabat. Horum omnium uſum unus idemque, ne minime quidem mutatus, ſubſequutus eſt effectus. Quid? quod plures huiusmodi bacillos in finibus ſuis arctisſime colligavimus, expertique ſumus, horum etiam ope a parente ſermones alterius intelligi, adeo ſubmiſſa atque exili voce prolatos, ut eosdem ii, qui proxime ad parentem ſtabant, vix attingerent audiendo. Hanc igitur novam audiendi rationem, quum, ad capeſſendos ſummos in medicina honores ſollemne ſpecimen litterarium editurus, præſenti commentatione exactius perſequi adgrederer, ut optimi parentis ſatisfacerem voluntati; aliquot antea, huic inſtituto convenientia, experimenta a parentibus, fratre, ſororibusque meis capi curavi, atque inde intellexi: *primo* quod, ſi per infundibulum quoddam amplum, e laminis ferreis confectum, & a dentium contactu remotum, vel etiam ſine hoc infundibulo, in os parentis verba voce clarisſima ediſſeruntur, ipſe ne verbulum quidem percipit; *porro* quod, ſi labia bacillo arctius circumplicantur, aut bacillus manu conſtrictiori tenetur, ſermo difficilius indiſtinctiusque intelligitur, quam ſi labia hiant, aut bacillus alii duro corpori paucis tantummodo punctis innititur; *tertio* quod bacillus, dentibus comprehenſus atque retentus, exiguam ad audiendum efficit vocem; *quarto* quod idem, verſus inferioris maxillæ dentes admotus, nullum ad auditus organum refert ſermonem; *quinto* quod, ſi, ſub uſu bacilli, lingua palato aut dentibus admovetur, iterumque re-

move-

*) Hic bacillus ex eorum claſſe eſt, qui apud noſtrates *Soldervceren* dicuntur, & in pavimentorum conſtructione, ad arctiorem contextum, aſſibus, ea, qua ſe invicem contingunt, parte interſeruntur.

Digitized by Google

movetur, eadem manet ſermonis perceptio; *ſexto*, quod compreſſis utriusque maxillæ dentibus ſermo percipitur exilior, quam diductis; *ſeptimo*, quod os, aqua hauſta plenum, ſermonis perceptionem non mutat; *octavo*, quod pater meus, ſi filum æneum ferreumve verſus dentes tenetur, nihil ſermonis: ſi dentibus interponitur, aliquid audiendo intelligit; *nono*, quod idem, ſi vitrum aliquod, cereviſiæ continendæ vulgo dicatum (*Bierglas*), inferiori parte ſuperioribus dentibus apponit, aliusque in huiusce vitri orificium, ſine contactu, qua fieri poteſt leniſſima tenuiſſimaque voce loquitur, rectiſſime omnia audit; *decimo*, quod eadem diſtincta parenti evenit auditio, ſi ſimile vitrum, occluſis ori labiisque, infra nares, dicta ratione paullo fortius admovetur, aut potius apprimitur, alterque locuturus itidem dentes ſuos margini vitri propius admovet. Cui vero experimento capiendo minus apta deprehenſa ſunt vinaria vitra (*Weinglaeſer*). Denique & hoc notari meretur, quod unumquemque, dicta methodo cum parente meo collocuturum, dentes, ſuperioris ſaltem maxillæ, firmos ſtabilesque habere, neceſſe ſit; alioqui ipſius ſermo ſumme indiſtincte parentis adficiet aures.

Explicit hiſtoria, & ſequitur ipſa phænomenorum explicatio, cuius ſumma eo redit, ut Cl. Auctor effectum illum non aeris tremori, per Euſtachianam tubam in auditus organon penetranti, ſed connexioni potius maxillæ ſuperioris, dentiumque coniunctorum, cum auditus organo, deberi exiſtimet.

DE LENTIBUS ET TELESCOPIIS DIOPTRICIS Diſſertatio, Auctore P. ROGERIO IOSEPHO BOSCOVICH S. I. Publico Matheſeos Profeſſore in Collegio Romano.

Romæ 1755. ex Typogr. Ant. de Rubeis, $7\frac{1}{2}$ plag. 1. tab. æn. in 4to.

Quamvis tritum ſit huius opuſculi argumentum, tamen illud eligere doctiſſimus Auctor, laborum ſuorum ſpecimen quoddam in publicum editurus, haud dubitavit,

 ratus,

Digitized by Google

ratus, adiiciendo quædam non ita pervulgata, & errores nonnullos a magnis quoque viris aliquando commiſſos percenſendo, operam ſuam neque inutilem, neque iniucundam redditum iri.

Orditur tractationem a problemate, quod iam *Carteſius* conſideravit: *invenire figuram ſuperficiei, quae radios lucis* ex *uno puncto egreſſos in unum punctum refringat.* Eius problematis exhibet analyſin, ex qua tam *Newtoni* ſolutionem, quam alias duas conſtructiones ſatis elegantes deducit; quæ omnia vero iam ante plures annos elaborata, *Io. Baptiſtae Suardi* Operi, *de deſcriptione curvarum per organa*, inſerta leguntur.

Pergit doctiſſimus Auctor ad conſiderationem refractionis radiorum per ſuperficies ſphæricas, in qua ita verſatur, ut præmiſſo problemate, *duorum radiorum in arcum circuli vel alius curvae infinite parvum incidentium, & poſitione datorum, invenire focum poſt refractionem,* cuius problematis analyſin methodo Geometris iam nota perficit, ex eo omnia, quæ de focis ſuperficierum ac lentium ſphæricarum notanda ſunt, per formulas algebraicas derivet. Obiter aggreditur etiam problema de cauſtica circuli pro radiis non parallelis, & viam quandam ad æquationem pro ea cauſtica perveniendi oſtendit, ipſam tamen problematis ſolutionem, calculi forſan prolixitate deterritus, imperfectam relinquit. Locum pariter de aberrationibus radiorum ſic attingit, ut pauca tantum afferat pro eo illuſtrando. Celeberrimum *Eulerum,* qui, binis meniſcis vitreis aquam includendo, aberrationem eam, quæ a diverſa radiorum natura pendet, tolli poſſe putavit, vana ſpe deceptum eſſe iudicat, cum res Londini, Lutetiæ Pariſiorum, atque alibi, fruſtra fuerit tentata.

Deinde Auctor de viſu, vitiis viſus, directione & magnitudine apparenti, & de diſpoſitione ac claritate imaginis in fundo oculi pictæ, agit. Vitiorum viſus, ob quæ alii myopes, alii presbytæ dicuntur, cauſſam, in ſola impotentia figuram lentis cryſtallinæ, quantum ſatis eſt, mutandi, quærendam eſſe opinatur. Rationem reddituris, cur ea, quæ in fundo oculi ad

Digitized by Google

ad dextras delineantur, videamus ſiniſtra, ac viciſſim, cenſet reſpiciendum eſſe non ad directionem percuſſionis, qua radii fundum oculi feriant, ſed ad directionem rectæ imaginariæ, quæ ex obiecto puncto per centrum cryſtallinæ lentis ducitur, atque ad ordinem conſtantem, quo imagines primo in fundo oculi diſponantur, & deinceps motum per nervos in cerebrum transmittant. Nam, quæ pars obiecti per radios inde in oculum illapſos motum effecerit in iis cerebri partibus, in quibus fiat motus mediantibus oculis ſiniſtram manum intuentibus, eam partem nobis ſiniſtram apparere debere. Ad quæſtionem, cur a binis oculis ſimplex ſit unius obiecti ſenſus, cum *Newtono* reſpondet. De apparenti magnitudine diſſerens, docet, imaginem unius puncti obiecti ex pluribus cauſſis notabilem habere latitudinem in fundo oculi, &, ſi vel ad ſolam aberrationem radiorum, ob diverſam eorum refringibilitatem, reſpiciamus, diametrum huius imaginis tantam fore, ut ad minimum angulum 2. minutorum primorum ſubtendat, vertice eius in centrum lentis cryſtallinæ poſito. Hinc infert, erraſſe eos, qui negarunt, obiectum, cuius magnitudo apparens ſit tantum unius minuti ſecundi, percipi adhuc viſu poſſe; etenim, dummodo ſatis lucis vel a ſimplici puncto in oculum veniat, percipi illud debere, ob imaginem eius per radiorum aberrationes tam notabiliter auctam. Præterea hinc ſequitur, obiecti nigri in fundo ſatis lucido magnitudinem apparentem iuſtu minorem, lucidi autem in fundo nigro maiorem reddi per radiorum aberrationem, & hinc obiectum lucidum in fundo nigro ad maiorem diſtantiam removeri poſſe, antequam diſtincte cerni deſinat, quam nigrum in fundo lucido.

Hanc oculi nudi theoriam excipit oculi armati per lentes conſideratio, ubi primo viſio per ſimplicem lentem oſtenditur, ac deinceps doctrina de teleſcopiis dioptricis breviter quidem, ſed ſolide, traditur.

Colophonem huic diſſertationi Auctor imponit diſquiſitione diametri apparentis Syrii. Reiectis *Hugenii* & *Galilaei* methodis, quæ ob diffractionem radiorum imperfectæ ſunt, Auctor

ctor alia methodo, quam hic ipſius verbis, quantum fieri poteſt, tradituri ſumus, diametrum Syrii apparentem uno minuto tertio minorem demonſtrare annititur. Lucem Syrii comparat cum lumine, quod Iupiter apogeus ad nos reflectit, & quod illa adhuc fortius eſt. Intelligit autem ex centro Iovis deſcriptam, ſphæram radio æquali diſtantiæ Iovis a tellure; & quia oculus in eius ſphæræ ſuperficie inter centra Solis & Iovis poſitus, integrum hemiſphærium Iovis a Sole illuminatum contuetur, duorum vero oculorum, in illius ſphæræ circulo maximo, in æqualibus a recta, centra Solis ac Iovis iungente, diſtantiis, ad easdem huius rectæ partes poſitorum, alter tantum hemiſphærii vel diſci illuminati videt, quantum eiusdem diſci alter non videt. Colligit inde Auctor, lumen a Iove reflexum ita per totam hanc ſphæram dividi, ut ubi is plenus videatur, tantum habeatur luminis, quantum haberetur, ſi omne lumen æqualiter diviſum eſſet per dimidium huius ſphæræ. Hinc, pergit Auctor, ſi Iupiter reflecteret totum lumen, quod a ſole accipit, cuius menſura eſt eius diſcus, ſive circulus maximus, eſſet intenſitas luminis ſolaris ibi ad intenſitatem luminis ab eo reflexi hic apud nos, ut eſt eius diſcus ad ſuperficiem hemiſphærii, habentis pro ſemidiametro eius diſtantiam a Terra, ſive coniunctim in ratione duplicata eius ſemidiametri ad eius diſtantiam a Terra, & ſimplici 1. ad 2; nam ſuperficies hemiſphærii eſt dupla circuli maximi, & circuli ſunt ut quadrata radiorum. Sed quoniam maximam luminis partem abſorbet & Iupiter, ut Tellus: concipiamus dimidium tantum abſorberi, dimidium reflecti. Erit lumen ſolis ibi ad eius lumen reflexum hic, in ratione duplicata ſemidiametri ipſius ad eius diſtantiam a Terra, & duplicata 1. ad 2. Præterea Iupiter diſtat a Sole quintuplo magis quam Terra; quare ibi intenſitas luminis ſolaris eſt minor, quam hic, adhuc in ratione duplicata 1. ad 5. Iam vero eſt ſemidiameter Iovis ad eius diſtantiam a Terra, ut ſinus ſemidiametri apparentis ipſius, ſive ſinus ſecundorum 20, ad ſinum totum, nimirum ut 1. ad 10000. quam proxime. Igitur omnibus rationibus collectis, 1. ad 10000, 1. ad 2, 1. ad 5,

habe-

Digitized by Google

habemus rationem 1. ad 100000. In hac ratione duplicata deberet eſſe minor diameter apparens Solis, ſi is deberet ad tantam diſtantiam recedere, ex qua lumen exhiberet æquale Iovis lumini ad nos devenienti. Cum igitur diameter apparens Solis ſit circiter minutorum 30, ſive ſecundorum 1800, vel tertiorum 108000: ea imminuta in ratione 100000. ad 1. deveniret ad minutum tertium; quo quidem adhuc eſſet minor, in ſuppoſitione homogeneitatis cum Sole, quam aſſumſimus, diameter apparens Syrii.

OBSERVATIONES ANTIQUARIO-PHILOLOGICÆ ad vetus Chirographum Theſauri Muratoriani, Mancipationis formulam continens, quas Praeſide CHRISTOPHORO SAXE, Antiquitatum & humaniorum literarum, in Academia Ultraiectina, Profeſſore Ordinario, publice defendit GERARDUS VAN LOM, Noviomago-Gelrus, Auctor. A. d. 15. Iunii.

Traiecti ad Rhenum 1757. plagg. $7\frac{1}{2}$. in 4to.

Literatum hoc marmor, tamquam hedera ſuſpenſa, commendat Muratorius, *ceterum*, inquiens, *iuris conſultis eruditionis antiquae peritis in hoc lapide ſe offert bella exſpatiandi occaſio;* & alio loco: *ceterum in Chirographo iſto multa occurrunt, quae eruditam interpretationem expoſcerent.* Hac cohortatione incitatus Doctiſſ. Auctor, ſtudiorum ſuorum in literis & iuris ſcientia poſitorum hoc documentum dare egregium voluit.

Ipſum marmor in agro haud dubie Romano effoſſum, transvectumque primum Romam, ſoſpitatorem invenit Cardin. Albanum; dein exportatum Roma ad Britannos navigavit, ubi in Muſeo Sloanii ſedem fixit. Non modo Epigraphe lapidis, ad fidem prototypi accurate depicta, a *Rogerio Galeo* ſiſtitur in Transactionibus Philoſophicis a. 1736. vol. XXXIX. Num. 441. ad p. 221. Sed eiusdem quoque animadverſiunculis, Anglica lingua ſcriptis, ornatum hoc marmor in lucem prodiit. Immigravit deinde in Inſcriptionum Theſau-

Digitized by Google

ſaurum Muratorii, ſed ita tamen, ut in eadem claſſe bis exſcriberetur, ſed neque ita veram ſcripturæ rationem ſiſteret. Igitur recte Galeanæ hic potior, quam Muratorianæ editionis ratio habetur, & Epigrammatis exemplum radio cælatoris renovatum, illo præeunte, ad pag. 3. exhibetur. Adiicitur interpretatio vulgari ſcriptura, tumque ſingula eius verba ſub examen vocantur. Promittuntur autem hoc Chirographo Ollaria IV. Cineraria LIII. Ollaria quidem fornices fuerunt, in pariete monumenti interiori, ad ſimilitudinem Columbariorum excavati, in quorum pavimento ut plurimum duo loculi, ad recipiendas ollas apti, ſpectabantur; ut pluribus docuit Gorius in Columbario Libertorum Liviæ Auguſtæ. Cineraria contra, p. 18. fornices quidem fuiſſe dicuntur, ſed altius ducti, & cum quodam faſtigio. Icon eorum a Petr. Sanct. Bartolo tab. 7. & Fabretto I. Inſcript. p. 16. ſiſtitur. Perlegentibus nobis pulcram hanc Diſſertationem, eximium quoque viſum eſt ſtudium, notandi Inſcriptiones, quæ iam olim editæ a Muratorio, & aliis recentioribus Inſcriptionum Editoribus, tanquam anecdotæ repetitæ fuerunt. Inter Obſervationes, quæ ad illuſtrandum Ius Romanum pertinent, eminere videtur illa, qua Ulpiano in L. 43. ff. de Rei vind. cenotaphia, *monumenta nondum functa* appellanti, p. 25. lux accenditur. Obſervat enim Doctiſſ. Auctor, hæc Cenotaphia in antiquis lapidibus etiam *monumenta virgines* dici, quod Græci efferant μνημεῖα καινὰ, ἐν οἷς οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη, quale fuerit Hypogæum λαξευτὸν, in quo Chriſti Domini & Servatoris noſtri corpus compoſitum eſſe legimus apud d. Lucam XXIII. 53. & d. Iohannem XIX. 41. Succedat his præclara Obſervatio Grammatica. In ipſo Chirographo legitur: *ientibus ab urbe parte ſiniſtra.* Hæc verba p. 30. 31. ſic illuſtrantur. „Certum eſt, omnes incorruptæ latinitatis auctores iſtam obliquorum caſuum formam repudiaſſe, nec in ipſis lapidibus, niſi rariſſime, eiusmodi ἀνομαλίαν inveniri. Nam in alio ſimili Chirographo apud *Gruterum 1081: 1. euntibus ab urbe parte laeva* legitur. Interim, uti hanc oris inſolentiam *Ioh. Franc. Corradinus de Allio,* noſtri lapidis auctoritate fretus, in *Lexico* ſuo *Latino-Critico*

tico, Venetiis 1742. 4. typis excuſo, p. 35. adnotare non neglexit, ita ſi in aliud exemplum *Donii* claſſ. V. 165. *praeterientes* pro *praetereuntes*, a *Muratorio* tamen perperam iugulatum, 1033: 7. incidiſſet, quidni vulgarem præ hac ſoloeca flexionem, pro ſuo rerum mirabilium aucupio, contemnere coepiſſet?" Neque minori cum voluptate legentur, quæ p. 37. diſputantur contra Galeum, docentem, libripendum munus fuiſſe munus publicum, & nullum fuiſſe oppidum alicuius momenti, quod non libripendes ſuos habuerit. Ex verbis deinde Chirographi, *anteſtatus eſt Ti. Iulium Erotem*, notabiliter definitur p. 39. anteſtatum eum eſſe, qui alios vocet, non eum, qui ipſe ab alio, tacta auricula, imploretur teſtis. Formulæ tralatitiæ, *abſit dolus malus & iurisconſultus*, adiiciatur ea, quæ p. 47. ex veteri lapide adfertur, *abſit dolus malus & ius civile*. Aetas huius Chirographi certo definiri non poteſt: laudantur enim in eo Conſules non Ordinarii, ſed ſuffecti. Veriſimiliter tamen p. 51. colligitur, illud conſcriptum eſſe A. circiter CCV. Subiiciuntur huic Diſſertationi quæſtiones IX. ad diſceptandum propoſitæ, non eæ poſitiones continentes centies recoctas, ſed controverſias ſiſtentes novas, quæ litterarum ſtudioſis prodeſſe poſſint. Unde maximopere laudanda eſt honeſta ſcribentis voluntas.

MOERIDIS ATTICISTAE ΛΕΧΕΙΣ ΑΤΤΙΚΩΝ ΚΑΙ Ἑλλήνων, *e Recenſione & cum notis IOH. HUDSONI: accedit TIMAEI SOPHISTAE* Λεξικὸν περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι Λέξεων, *e recenſione DAV. RHUNQUENII: curavit, notasque ſuas adiecit, & praefatus eſt, IOH. FRIDER. FISCHERUS.*

Lipſiæ 1756. ex Officina viduæ B. Gaſp. Fritſchii, 13 plag. in 8. min.

Gloſſographorum, Scholiaſtarum, atque eiusmodi Interpretum, magnam eſſe ad recte cognoſcendam linguam Græcam utilitatem ac præſtantiam, ſæpius docuerunt Viri

Digitized by Google

Viri linguarum ex his fontibus cognitarum peritiſſimi, & ex ipſa re facile apparet. Cum enim in aliis linguis, ubi eiusmodi Interpretes deſunt, verborum ſignificationes, artemque interpretandi magis ex ſubſidiariis rationibus, comparatione, ac contexto, utcunque eruere poſſimus, quam directa aliqua & omnino legitima via invenire: Græcorum verborum ſignificationes, non ex Scriptorum multitudine tantum, verum etiam ex Interpretibus, qui linguæ periti eſſent, ac verba ſtudioſe explicarent, diſcimus, eorumque lectione ac uſu ad Scriptorum veterum recte tractandorum conſuetudinem aſſuefieri poſſumus. Præclare igitur de linguæ Græcæ ſtudio meriti ſunt adiuvando, qui eiusmodi Interpretum Græcorum Scholiaſtarumque libros vel ſeorſim ederent, vel quocunque modo ornarent. Præſtitit hoc nobis eruditiſſimus, linguarumque peritiſſimus, Scholæ Thomanæ Lipſienſis Con-Rector meritiſſimus, Ioh. Frieder. Fiſcherus A. M. edendis Moeridis Atticiſtæ & Timæi Sophiſtæ gloſſis ad Græcas voces, illius quidem ad λέξεις Αττικὰς & Ελληνικὰς, huius ad πλατωνικὰς pertinentibus; quarum uſum iuventuti linguæ Græcæ ſtudioſæ hac editione nova, nec moleſta illa, aut ſumtuoſa, faciliorem, animadverſionum vero, ad ſanam lectionem maxime ſpectantium bonitate longe præſtantiſſimum, fieri curavit. Libellum ipſum adſcripſit Heuſingero, Schol. Guelferb. Con-Rectori, eaque præfatione de Moeride, eiusque libro, præcipue egit, ſuumque in edendo illo conſilium expoſuit. Aetas Moeridis, quem falſo quidam Eumoeridem vocarunt, incerta eſt: quod enim poſt Phrynichi tempora vixiſſe eum profeſſus ſit Hudſonus, ex loco quodam, ſed valde ſuſpecto, Moeridis, effici poſſe putavit. Continentur in hoc eius libro collecta vocabula Attica & Græca, reſpectis, ut factum eſt in talibus gloſſis, ſingulis ac certis Scriptorum Græcorum locis. De integritate libri dubitat, vel quod in Mſſ. libris, quos habemus, magna ſæpius varietas deprehenditur; vel quod ex aliorum gloſſographorum libris, multa in Moeridem translata ſunt, veluti e Timæo ac Thoma Magiſtro. Quam ſententiam probat contra Io. Alberti aliam, qui cum Menagio & Lamb.

Boſio

Boſio Thomam e Moeride locupletatum eſſe exiſtimat. E Suida quoque non pauca in Moeridem noſtrum veniſſe indicat, nempe e libris illis, quibus Suidas compilator in opere ſuo conficiendo uſus eſt. Atque ſic intelligi cupit omnia iſta loca, quibus e Suida Moeris ſumſiſſe dicitur. Codices commemorat Moeridis Coislinianum, Vaticanum, Voſſianum, Regium, ex diverſis exemplis, ut videtur, non ex eodem fonte, deſcriptos: tum editores, quorum, (poſtquam de eo Kuſterus cogitaverat,) primus eſt Ioh. Hudſonus A. 1712. cui addendæ ſunt curæ in Moeridis hunc librum Monteſalconii, in Catal. Bibl. Coisl. — Fiſcherus noſter in edendo hoc libro maxime lectionis ſanitatem curavit, collatis libris, quibus particulæ Moeridis ineſſent, additis virorum doctorum, ſuisque, coniecturis; advocatis quoque in conſilium ſimilibus Grammaticorum aliorum libris, Heſychii gloſſis præcipue. Vocabulorum ſignificationes copioſe exponere noluit, brevitatis ſtudio: Hudſoni notas adiecit, eiusque codicem ſecutus eſt, receptis quoque coniecturis illius falſis in textum, ſed admonito ubique errore. Timæi denique librum, de vocibus Platonis, adiecit huic operi, cum Rhunquenii animadverſionibus iis, quas maxime illuſtrando huic operi prodeſſe intelligeret. Inſeruit huc Hudſoni præfationem, Moeridi præmiſſam, & Rhunquenii ad Timæum, ex qua, quæ ad Timæi laborem melius intelligendum utilia viſa ſunt, repetemus. Platonis oratio tota, cum a vulgari ſermone recederet, magisque poetica viſa multis ſit, mirari non debemus verborum ac dictionum, quæ ſingularem vim habent, in Platone multitudinem. Has poſtquam Platonis amici, recentiori tempore intelligere ac interpretari curaverant, (e quibus Harpocration Argivus, quem Suidas laudat edidiſſe λέξεις πλατωνικὰς ἐν βιβλ. β. & Boethus, cuius ſcriptum duplex huc ſpectans Photius recenſet in Biblioth. Cod. 154. ſq. nobiles inprimis fuerunt, ſed ad noſtram ætatem non pervenerunt;) Timæus idem tentavit Seculo III. qua fere ætate vixiſſe eum ſuſpicamur. De eo enim, &, cui opus adſcripſit, Gentiano, ſatis certa diſcere non potuimus. Idem Timæus ſcripſit Συλλογὴν ῥητορικῶν ἀφορμῶν βιβλ. ξὴ,

quod opus Suidas male Timæo Tauromenitæ tribuit. Utrum plenius fuerit hoc noſtrum opus a Timæo ſcriptum, an plane idem, quod hodie eſt, non liquet. Hoc vero intelligi facile poteſt, non omnes gloſſas ad Platonem pertinere, plures ad Herodotum, nonnullas ad Scriptores alios, multisque interpolationibus hunc librum eſſe corruptum. Qua quidem interpolatione factum eſt, ut loca Platonis ſuſpecta mutare, vel perdita reſtituere, ex hoc opere non ſemper, neque ſatis tuto, poſſis, quod fieri ſæpius poſſe videtur, ſi ſuſpicio gloſſæ ad alium quem Scriptorem pertinentis abſit: ſed non omnis hic uſus huius lexici periit. Ubi enim idem vocabulum in Platonis quo loco ac Timæi gloſſa legi apparet, mutatis & corruptis quibusdam literis, poteſt tamen ex uno loco alterius emendatio commode ſuſcipi. Interpretatio Platonis vero multum profecto ab hoc opere adiumenti accepit, præſertim cum Timæi diligentia prorſus eximia in explicandis vocibus Platonicis appareret. Iuſto igitur libelli huius deſiderio, quod Dan. Heinſius ad Max. Tyr. Miſcell. p. 52. profeſſus eſt, ſatisfacere primum potuit, reperto Timæi codice in Biblioth. Coisliniana, nunc Sangermanenſi, Vir digniſſimus, qui hunc theſaurum reperiret, Bern. Montfaucon, eiusque codicis ſpecimina publicavit in Catal. Bibl. Coisl. p. 477. Eſt is codex membranaceus, elegantiſſimus, Seculi X, Apollonii Lexicon Homericum, Phrynichi Σοφιστικὴν παρασκευὴν, aliaque continens. Hoc igitur apographum, Claud. Sallierii, & H. Galles, ac Io. Capperonerii opera curatum ſibi ad deſcriptum Rhunquenius edidit, nec id ſolum recte expreſſit, verum etiam ex Photii MS. & Suida, & Etymologo M. qui ex hoc gloſſario plura ſumſerunt, ſupplevit, e gloſſis, ſuo quamque loco reſtituit, interdum de locis Platonis, eiusque imitatoribus fuſius diſputavit. Sophiſtas enim, & recentiorum temporum Scriptores plurimos, Platonis ſtudio incenſos, eumque quocunque modo imitatos eſſe, ſatis inter omnes conſtat, & Rhunquenius hic loci monuit, nominatis maxime imitatoribus his: Themiſtio, Syneſio, Dione Chryſoſtomo, Plutarcho, Maximo Tyrio, Philoſtratis, cui nomini acrem & fere inhumanam

addi-

addidit ille cenſuram God. Olearii, quod in edendo Philoſtratorum opere, loca, quæ Platonem imitarentur, non animadverterit. Quæ ſi recte monita a Rhunquenio ſunt, dignus tamen erat hic Vir, *non iniuſtae apud cives ſuos laudis poſſeſſor*, qui modeſtius tractaretur. Parcius iſta Viris. Cf. *Zuverlaeſſ. Nachrichten* P. CXCI. p. 829. ſq. Continent etiam notæ Rhunquenianæ plures ineditorum adhuc Scriptorum particulas. Iam vero, quæ ſufficere poſſunt ad notitiam Moeridis ac Timæi faciendam, iis plura ex hoc genere non addemus, ſpecimina animadverſionum, quas ad utrumque libellum Hudſonus, Rhunquenius, Fiſcherus dederunt, ſecundum genera quædam & claſſes propoſituri, a Moeridis opere initio facto. Ac in eo primum Fiſcherus noſter de Moeride, eiusque lectoribus, meruiſſe videtur, quod ſcriptorum loca, quæ vel reſpexerit Moeris, vel quæ voces certe a Moeride explicatas exhibent, notaverit. Eius rei exempla plura deprehendes, veluti in verbo ἀκμήν, ubi Iſocrates; in ἀκούσματα, ubi Aeſchines; in βελτίους, ubi Xenophon; in οὐχ' ἥκιστα, ubi plures laudati ſunt. Notavit etiam, quæ inprimis obſervatione digna ſunt, loca N. T. ea, in quibus verbum Græcum occurrit, a Moeride inter ἑλληνικὰ relatum, & a dictionibus Atticis diſtinctum: v. g. ad vocem κατεκαύθη locum citavit Apoc. VIII. 7. qui habet verbum ἑλληνικόν, κατεκάη; ad vocem κότινος, locum Rom. XI. 16. ubi ἑλληνικόν, ἀγριέλαιος; ad v. νουθέτησις, loca, quibus ἑλληνικὸν νουθεσία ineſt. Ex quibus iudicari poteſt, an Moeris Atticiſta orationem N. T. pure Atticam habiturus fuerit, quod recentiorum Interpretum quidam facere non dubitarunt. In voce παρακαταθήκη tamen Atticiſmus N. T. apparet, quo uſi ſunt eius Scriptores, cf. 2 Tim. I. 14. ubi Bengelius & Millius ſic legendum eſſe oſtenderunt. Male vero, antequam hæc lectio pateret, Critici quidam demonſtrare conati ſunt, παραθήκην eſſe Atticum; ex hac Moeridis gloſſa facile refellendi. Nec minorem profecto linguæ Græcæ, Scriptorumque probatiorum uſum oſtendunt animadverſiones Fiſcheri noſtri, eo directæ, ut ex locis Scriptorum v. g. Atticorum, auctoritatem Moeridis ſuſpectam redderet, qui iſtis certa verba Scriptoribus

Digitized by Google

bus abiudicaſſet. Factum hoc eſt in voce ἔχθιστος, ubi docuit, ἐχθρότατος bonis Scriptoribus ineſſe: in v. πανοικεσίᾳ, ubi voce πανοικοὶ Aeſchinem uſum eſſe monuit: in v. ἠχὴ Hudſon. ac Fiſcherus addunt ἠχὼ, æque Atticum: in v. παιδίσκη, auctoritate utitur Ammonii ac Phrynichi, qui hoc verbo tantum *liberam* atque *ingenuam feminam* apud Atticos ſignificari traderent: item in v. πρόσωπα. Gloſſas Moeridis aliunde ductas diligentisſime obſervarunt Hudſonus & Fiſcherus: veluti in ἀποφράδες, quæ gloſſa ex Suida, & ab hoc e Timæo ducta ſit: in v. ἀφηνιαστής; δελφίς; ἐυκταῖον, quod e Thoma Magiſtro; item in πάντοτε; πολλοῦγε; ποτνιώμενος, e Suida; ῥαψωδοὶ & σηκὸς, e Timæo &c. Omnino vero Suidæ, Thomæ Magiſtri, Heſychii, ſimiliumque Gloſſographorum opera, ad illuſtrandas Moeridis gloſſas eſſe adhibitas, ex ſingulis paginis apparet; locorum ex iſtis emendatorum exempla ſubiiciemus. E Thoma Magiſtro Hudſonus iam aliquoties Moeridem correxerat; eamque rem felici ſucceſſu noſter editor continuavit: veluti in v. ἀπέκτονεν, ubi pro: ἀπέκτανεν, e Thom. Mag. coniicit ἀπέκτεινεν: in v. δυσαπεῖθαι, pro ἐν Φαίδωνι, legit ἐν Φαίδρῳ: in v. κατεκαύθη, pro κατεκαύθη ſuadet κατεκάη: in v. παραθήσομαι, pro hac voce, ob contextum, verborumque ordinem, Thomæ lectioni favet, παραχήσομαι. Heſychio uſus eſt, eodem conſilio, eademque ratione, pluribus locis. In v. ἁλυκὼ, ἁλυκὸν, legit ἁλυκὸν. ἁλμυρὸν, addita hac ratione, ſolere Heſychium ſæpius verba Attica explicare per alia ἑλληνικὰ. E Suida in v. ἐπηλυγαζόμενος, vocem λύγη mutat in ἠλύγη. E Timæo, pro χαλαστραῖα, legit χαλάστρα. Nec loca deſunt, in quibus e Moeride, inverſa ratione, Thomam Magiſtrum, Heſychium, ceterosque emendat, veluti in voce ἰξοί. Sanavit loca aliquot, deſtitutus auctoritate Grammaticorum, ex ingenii, Græcæ linguæ aſſueti, facultate, vel etiam aliis rationibus, Hudſonus, & poſt eum, eadem ratione, loca non pauca Fiſcherus, veluti in v. γρῖφοι, pro προσβαλλόμενα legit προβαλλόμενα, quod hoc verbum, ut Latinorum *proponere*, de hac re, *quaeſtionibus* nempe *propoſitis*, frequentisſimum eſt:

in

in v. ἀχαρίζειν, quod mutat in ἀσκαρίζειν, cum Valquenario ad Eurip. Phoen. p. 480: in v. εἶξαν, pro hoc verbo legit εἴξασιν, ex Mſſ. & locis Scriptorum: in v. ὁμιλίαν, pro γυναῖκας mavult γυναῖκα, ex Mſ. Leidenſi, laudato Alberto ad N. T. p. 356: in v. πεπεράσομαι, pro περαθήσομαι, deleto σ ante θ, legit περαθήσομαι, quod e Phavorino, Lyſia, aliisque probat. Diſſenſit Fiſcherus ab Hudſono interdum, vel in eo, quod verba textus ab H. recepti mutaret, & gloſſam adderet: v. g. in v. ἐμπολήσαντες, gloſſam adiecit ex Spanhemio ad Ariſtoph. Plut. 1136: in v. χέατον, e Salmaſio de Helleniſtis p. 56: in v. τάγηνον & τιμωρία, e codice Coisliniano: vel, quod eius lectiones & animadverſiones reprehenderet, v. g. in v. κέοιτο, ubi, contra Hudſon. κέοιντο probat; κῆχος, ubi pro γῆ legit πῆ, explicata particula κῆχος, quæ idem eſſet ac πῆ; in v. λογικὸς, ubi λεκτικὸς legendum eſſe pro διαλεκτικὸς, ex vi atque uſu iſtius verbi apud Demoſthenem, Xenophontem, (cf. add. Fiſch. ad fin. libri,) demonſtravit; in v. ὥρα γάμων, quod ex Mſſ. & loquendi conſuetudine eſſe debet ὡραῖα γάμων, *puella viro matura.* Addimus his animadverſionibus, quarum indolem ac præſtantiam vel hæc pauca ſatis indicant, obſervatas a Fiſchero gloſſas Moeridis illas, quarum duas in unam mutatas eſſe docuit: v. g. in v. τήμερον εἶναι item in ἄχρος.

Timæi Sophiſtæ λεξικὸν Πλατωνικὸν ut eadem ratione redderet ſplendidius, eruditionis ſuæ luminibus admotis, noſter Editor, diligenter primum adiecit loca Platonis, quæ vocem a Timæo expoſitam continerent. Deinde verba, quæ apud Platonem reperiri neque a Rhunquenio, neque ab ipſo potuerant, notavit; quorum ſunt admodum multa, v. g. ἀγίαν; ἀγχώμαλος; δεκάζει; δικαιούμενος; θεσμοθέται &c. Ex illis cum non pauca eſſent Herodotea, obſervavit F. vel poſt Rhunquenium, vel ipſe primum, eiusmodi gloſſas, ad Herodotum pertinentes, v. g. ἀγαθοεργοὶ; ἄγος; ἀμφικτύονες; ἀνάρσια; γεωπεῖναι; ἔγκοτον; ζειραί, πύθιοι &c. Inſunt quoque Homerica, v. c. σφεδανόν, ex qua gloſſa emendat vocem Suidæ σφιγανὸν. Vindicata porro ſunt Platoni, quæ ei tribui

 poſſe

Digitized by Google

poſſe alii negaverant, quod vulgati libri fortaſſe non haberent, ex Timæo, aliisque emendandi: conf. v. ἀκταίνειν, quod Phrynichus Platoni tribuit; ὅα, quod Pollux vindicat, unde Rhunqu. locum Plat. Sympoſ. τὰ ὠὰ τέμνοντες, mutat in τὰ ὅα τ. quæ vel e Timæo ſumſerint Suidas, Photius, aliique, quod innumeris locis factum eſt; vel quæ intacta reliquerint; vel quæ Timæus aliunde ſumſiſſe viſus ſit, frequentiſſime obſervata ſunt, repetere nimis moleſtum foret. Lectiones vitioſas ſæpius mutavit, ut in ἀμόθεν ex loco Plat. contra Timæi Mſ; in ἀνοργίαστοι; κάταγμα, ubi Rhunqu. iam fecerat; in πρόβασις, pro κτίσις, e Suida, Photio, Heſychio, contra Mſ. Rhunqu. repoſuit κτῆσις. Longe plura extant loca, quæ vel ab aliis vexata vindicavit; vel pro ſuſpectis haberi voluit: ex iis ſuffecerit notaſſe v. ἀνεργήσει, cuius gloſſæ ſedes latet, ubi Kuſter. ἀνέρσει Valquen. ἀνέρξει. Rhunqu. probante; Reiske vulgatam commendat, ex analogia vocis συνέργειν, quod eſt *coercere*, & apud Platonem reperitur: adde v. διαγείρειν, ubi Suidas διασήθειν, Rhunqu. διαγράφειν, quæ omnia per παραπτᾶσθαι recte explicari poſſe non videntur. Reiskius legit διατείρειν, & παραπτᾶσθαι mutat in σπαράττειν. Rhunquenii ſententiam deſeruit F. interdum, veluti in v. λίσπαι, ex qua gloſſa Platonis locum Sympoſ. tentavit R. contra rationem, quæ in locis e gloſſa emendandis ſolet ac debet adhiberi. Verba nempe διαπεπρισμένοι in δίχα πεπρισμένοι mutat, quod his verbis vocem λίσπαι gloſſographus interpretatus eſſet: quam rationem recte reprehendit F. præſertim cum vocabulum exquiſitius, διαπεπρισμένοι, a librariis non facile proficiſci potuerit. Contra, ex Suidæ gloſſa eiusdem vocis noſter locus mutari poſſet, cum Suidas διαπεπρισμένοι habeat, & ἀστράγαλοι additum ſit: quod ipſum tamen F. non neceſſarium videtur.

FUNDAMENTA IURIS PRIVATI CIVILIS, IN Tabulas, ordine ſyſtematico redacta, a IOH. GODOFR. HAINIO, Regio-Electoralium Acciſarum, quae

Koe-

Digitized by Google

Koenigſteinii praeſtantur, Inſpectore, & Advocato Immatric.

Dresdæ 1757. in Officina Gerlachiana, 1. Alph. pl. 1. 4to mai.

Nulli dubitamus, quin hæc Fundamenta non modo in uſum Academicarum recitationum & examinationum, nec non repetitionum privatarum, ſed & cumprimis in emolumentum candidatorum iuris, (poſt exantlatos labores Academicos ad praxin forenſem adſpirantium, ſuorumque rationem ſtudiorum, in ſuſtinendis examinibus pro praxi, edendisque ſpeciminibus redditurorum,) non ſine fructu poſſint adhiberi. Conſultiſſimo Auctori videbatur, compendium eiusmodi repetitionum iuris ſyſtematicum, inque tabulas redactum, nuspiam comparere impræſentiarum, quamvis noſſet, Perilluſtrem Conſiliarium Imperialem Aulicum, Dn. Nic. Chriſtoph. Lib. Bar. de Lyncker, dudum eiusmodi tabulare compendium adornaſſe. Nam ut taceamus, foetum hunc Lynckerianum ex bibliopoliis non nudius tertius diſparuiſſe, Cl. Auctor magis ante oculos habuit ſtatum iuris & actionum forenſium, prout in Saxonia Electorali nunc obſervatur, ſepoſitis exterorum, iura prælegendi, & ius dicendi aut applicandi, modis. Gratus in operis præfatione profitetur, ex quibus ſua hauſerit, Noſter. Cui non dicta vel ignota ſunt, (at quanta iuris oracula,) *Lüderus Menckenius, Iac. Frid. Ludovici, Ioh. Balth. L. B. de Wernher,* alii, & ſuperſtes adhuc Lipſiæ, *Ge. Andr. Ioachimus?* Huius, ultimo loco nominati, Connexionem Iuris Privati Civilis in conſilium præ ceteris adhibuit cl. Auctor, ſicque adeo non macilentum aut elumbe ſceleton nobis dedit ſterilium iuris tabularum, ſed id exſequutus eſt, quod faciunt ii, qui terrarum ſitus pingunt, brevibus tabulis totum ferme Privati Iuris emenſus ambitum & conſpectum. Complexus eſt doctiſſ. Auctor tot iuris univerſi titulos Libris quatuor: horum primo de iure perſonarum; altero de iure rerum, ſpeciatimque de iure in re; tertio de iure ad rem; quarto denique de ratione & modo ius

ius ſuum proſequendi in iudicio, id quod alii, vulgari verbo, proceſſum ſolent adpellare, ſat copioſe diſſeruit. Methodus tabellarum, ab Auctore adhibita, vix patitur excerpta noſtra, brevitatis ſtudioſorum. Incuriam typothetarum, in tabellis typisque nonnunquam dormitantium, ordinis & adcurationis ſtudioſiſſimus Auctor amicis interdum revelat; quæ tamen levis notæ ſphalmata aut paroramata, ſcriptori, a typographia nimis remoto, & aliis diſtracto negotiis, non poſſunt imputari, quid? quod in recuſa forſan editione facile tollentur. Perplacuere nobis nitor & elegantia ſtili, quoad eius fieri potuit, ab Auctore ſedulo, inter ſcabros & horridos alias ICtorum terminos, perpoliti. Quodſi cuipiam allubeſcat, hiſce tabellis charta regia impreſſis, chartam puram ſ. virginem intercalare, poterit is ſibi conficere quoddam iuris repertorium, ſ. librum collectaneorum ac lemmatum, ad quæ ſemper recurrere poſſit labilis alioquin memoria.

OBSERVATIONES MISCELLANEAE IN LIBRUM Iob: praemiſſa eſt critica diſquiſitio, ubi operis totius indoles expenditur, cum Examine Oraculi de Goele.

Amſt. 1758. ap. Io. Schreuder & P. Mortier, in 8.

Etſi *Schultenſii* opera, in explicando libro Iobi poſita, eum doctiſſimorum hominum applauſum tulit, ut eius commentarium reliquis omnibus anteponendum iudicarent: facile tamen intelligitur, hoc iudicium non ad interpretationes eius in univerſum omnes referri, neque eo affirmari ac ſi nihil aliorum induſtriæ reliquiſſet. Nam quis ab uno interprete, libri talis, tam ſublimis atque obſcuri, expectet id, quod in nullo alio libro, vel humano tantum, interpretum plurium accurata induſtria efficere poſſit? Mirum itaque videri non debet, ſi in ipſis Schultenſii admiratoribus reperiantur, quibus non omnino eius rationes placeant, quique Virum tantum in multis locis reprehendere non dubitent, aliquando etiam merito eum reprehendiſſe aliis videantur. Atqui eadem de cauſa, is

is valde errarit, qui has novas obſervationes in librum Iobi, ſine ampliori examine, aut pro ſupervacuis habere voluerit, ob Schultenſii in eundem merita; aut doctrinam in iis deſiderare, ſi audiverit, non ubique interpretationes Schultenſii Auctori earum probari. Nos, qui longe abſumus ab eiusmodi iudicii temeritate, perlegendo hunc librum, intelleximus, eſſe utique dignum, cuius lectio ſacrarum litterarum ſtudioſis commendetur: in quo affirmando non verendum eſt, ne famæ Auctoris aliquid tribuamus, qui & ipſe latere voluit, & cuius neque nomen, neque merita, nobis cognita ſunt. Dabimus igitur hic paulo uberiorem harum obſervationum enarrationem, iudicium noſtrum modeſte in quibusdam explicaturi, in plurimis liberum iudicium Lectoribus noſtris relicturi.

Patet vero vel ex indice huius libri, & ab ipſo Cl. Auctore in præfatione monetur, ei propoſitum non fuiſſe, perpetuum commentarium in librum Iobi conſcribere, ſed difficiliores tantum explicare locos, & quæ inter tot interpretum in uno ſæpius loco diſſentientes interpretationes, maxime probabilis videatur, oſtendere. Cumque, ut diximus, Schultenſii commentarius præcipuus ſit & præſtantiſſimus, inde factum, ut eius explicationes ſæpius ſub examen vocentur, præcipue tum, ubi ſine magna neceſſitate, hic tantus Vir ex Arabiſmo ſubſidia interpretandi repetit, & locum haud adeo difficilem, tortuoſa, atque ſtylum orientalium nimis redolente verſione, difficultatibus iis involvit, quibus antea carebat. Atque ſic fatendum eſt, recte hæc duo vitia a Cl. Auctore in Schultenſio reprehendi: quorum alterum poſitum ſit in oratione turgida, quæ in omnibus eius ſcriptis faſtidium excitet, tribuenda fortaſſis aſſiduo eius cum orientalibus ſcriptoribus commercio; alterum vero cernatur in nimio eiusdem amore linguæ Arabicæ, quo commotus, ſignificationes verbis Hebraicis ubique adfingit prægnantes, ἐνεϱγίας atque emphaſes ubique videt, atque ex radicibus Arabicis non ſine acumine multo eruit. in quo facile quis operoſam Viri diligentiam miretur, utilitatem deſideret. His reprehenſionibus Viri ſummi, in eadem præfatione, accedit alia eorum, qui criticis coniecturis in textu

Digitized by Google

hebraico V. T. nullum plane locum concedendum eſſe affirment, quibus tamen Cl. Auctor profitetur, ſe in hoc libello hinc inde uſurum eſſe. Quod, quo ſucceſſu fecerit, & quo modo univerſum ſuum conſilium, ſummatim a nobis enarratum, aſſequutus ſit, mox videbimus, diſquiſitionis criticæ in totum hunc librum, & examinis loci de Goele, argumenta potiora prius allaturi.

Pag. 1 - 48. Ac primo quidem in critica diſquiſitione, quæ tribus atque viginti ſectionibus abſolvitur, de totius operis oeconomia, ſcriptorisque conſilio, præclare multa diſputantur. Iobi perſonam non fictam eſſe, ſed extitiſſe vere virum talem, id effici arbitratur non ſolum ex teſtimoniis Scripturæ, ſed inprimis ex ſimplici narratione vitæ Iobi, quæ duobus prioribus & ultimo libri capitibus continetur. Eius ætas etſi non ſatis certe conſtitui poſſit, antiquisſimum tamen fuiſſe tum ipſum Iobum, tum eius libri ſcriptorem, qui Moſes aut ei æqualis alius fuerit, apparere putat ex ipſa totius libri forma; neque eius antiquitati frequentes in hoc libro chaldaiſmos recte opponi, quoniam iam antiquiſſimis Abrahami temporibus lingua chaldaica in uſu fuerit. Sed hæc paucis tantum, tanquam nimis incerta, ab Auctore attinguntur, longiorem diſputationem, quam ipſa operis totius indoles requirere videbatur, ſuper eadem inſtituit, non ſimplicem Parabolam, ſed dramatici generis fabulam librum Iobi continere, oſtendens. In iis, qui nonniſi Parabolam Poema hoc eſſe affirmarunt, *Warburtonus*, Anglus nuper clariſſimus, ab Auctore numeratur. Sed hic, ab reliquis omnibus idem ſentientibus longe recedit, quod ad conſilium Parabolæ attinet eiusque auctorem, dum ponit, totum librum eſſe conſcriptum a Malachia, ſeu Eſdra, in gratiam Iudæorum, ex captivitate reducum, ut nimirum providentiæ divinæ ſub illuſtri imagine fides iis conſtaret, neque ſub tenuibus primordiis reviviſcentis reipublicæ ſuæ de ea ulla dubitatio eos perturbaret. Quam hypotheſin, ſpecioſam ſatis, quatuor potiſſimum rationibus, iisque, ut nobis videtur, graviſſimis, refellit. Warburtonum primo id ſumſiſſe, ait, tanquam certisſimum, quo nihil erat magis lubricum atque precarium,

nimi-

Digitized by Google

nimirum, quod quæſtio de Providentia, an ea erga omnes recte ſe gerat? non, niſi poſt reditum ex captivitate, a Iudæis moveri potuerit. Ablegat hic Warburtonum ad Pſalmos Davidis, quibus toties ea res tangitur, Davidesque non uno in loco quærit, quomodo impiorum rebus proſperis abundantia cum providentia divina conveniat? Addit præterea, ſi hoc foret Parabolæ conſilium, quo tandem modo Iobus, vir vere ſanctus, populi Iudaici, vitiis atque peccatis etiam poſt captivitatem babylonicam corrupti, typus conſtitui poſſit? Porro, ipſam totius allegoriæ per totum librum ductæ rationem urget, quæ, poſita Warburtoni ſententia, parum ſibi conſtaret, cum Iobus repente in meliorem priorique multo præſtantiorem ſtatum collocatus repræſentetur, quod Iudæis poſt captivitatem babylonicam nunquam acciderit, qui maxime ſub Davide & Salomone floruerunt, neque poſtea unquam talem maieſtatem experti ſunt. Neque tandem, quod Warburtono ſic videbatur, apparere dicit ullo in loco alluſiones ad leges & hiſtorias Moſaicas claras; easque omnes evaneſcere, ſi quis animo libero ad lectionem eius accedat. His omnibus presſius explicatis, ſequitur (§. XI. ſeqq.) ipſa Auctoris ſuper hoc opere ſententia, qua totus liber Poema Dramaticum eſſe perhibetur, ubi vera hiſtoria ſcriptori ſacro materiem Poematis dedit, ita tamen, ut alia hiſtoriæ, alia Poematis ei ſuperſtructi, ratio ſit. Ex nuda enim hiſtoria diſci, primum res adverſas æquo animo eſſe ferendas, deinde Deum piorum curam gerere. Sed ipſius Poematis ἠθικὸν, ab his generalioribus diverſum quid, atque magis ſpeciale exhibere, eoque moneri, providentiæ divinæ vias abditas eſſe, ab humano ingenio non perſcrutandas, ea tamen res humanas ſic adminiſtrari, ut præter expectationem felicisſimum rerum humanarum exitum ſæpius producat. Atqui ex his patere exiſtimat Cl. Auctor, cur neque mera Parabola, in qua omnia ficta ſint; neque mera rei geſtæ narratio eſſe posſit liber Iobi. Quam ultimam ſententiam, cum a multis defendatur, accuratius examinandam ſibi ſumſit. Eam vero multis magnisque difficultatibus premi copioſe docet, in quibus ei videtur hæc primaria eſſe, quod, ſi rei geſtæ narrationem

 tionem

Digitized by Google

tionem per totum librum explicari ſtatuamus, multa tunc forent repugnantia, & minus cohærenter dicta. Iobus, qui ſecundo capite maxime conſtans fuiſſe dicitur, mox capite tertio plane mutatus introducitur. Tribuuntur ei ſermones adeo longi, atque exornati, ut non credibile ſit, eos hominem tam perturbatum habuiſſe. Eius amici, per integros ſeptem dies, ei adſident taciti, ex quo ingens eorum luctus colligendus eſt, iidem tamen paullo poſt irati contra eum ſurgunt, & manifeſtis calumniis eum inſectantur. Hæc & alia multa nunquam ſatis explicari poſſe Auctor affirmat, niſi ubique id, quod mere hiſtoricum in hoc libro eſt, a dramatico diſtinguas. Utraque porro pars, hiſtorica atque dramatica, quomodo altera alterius fundamentum ſit, paucis adhuc explicat, ſatis accurate ea, quæ meram narrationem conſtituunt, a Poetæ divini fictionibus ſuperadditis, diſtinguens. Quemadmodum vero tota hæc diſquiſitio critica, magnum in recte intelligendo Iobi libro uſum habet, atque totius operis diſpoſitio in ea accurate definitur: ita facile quoque nos conſentientes habet Auctor Cl. quando pro dramate & morata fabula habendum eſſe librum Iobi exiſtimat. Optaſſemus tamen, ut Lowthi liber, de Poeſi ſacra, Viro docto in manibus fuiſſet: in quo cum Anglus ille doctisſimus etiam de libro Iobi multa egregie diſputaverit, cumque non eſſe iuſtum drama probare voluerit, adhuc aliquid deeſſe videbatur nobis huic Cl. Auctoris criticæ diſputationi, deſiderabamusque argumentorum Lowthi examen ulterius, etſi non ignoremus quid iis facile posſit opponi.

Sequitur, ut de ipſo examine oraculi *de Goele*, multorum diſputationibus celebrati, pauca quoque dicamus. In eo explicando ita verſatur induſtria Auctoris, ut primum proponat eius interpretationes varias, rationibus ſimul explicatis, quibus Viri docti eas confirmare ſoleant. Nam, uti duobus potisſimum modis eius ſententiam interpretes explicant, aliis de liberatione temporali hic agi, aliis reſurrectionem ultimam eo affirmari exiſtimantibus: ita utraque explicatio nititur rationibus eiusmodi, ut difficile ſit, fatemur enim, optimam eligere. Utramque igitur coniungendam cenſet Vir doctus, & præter

ter ſenſum litteralem de liberatione corporali, adhuc typicum, de ea quæ in reſurrectione mortuorum expectanda eſt, in hoc oraculo latere, argumentis idoneis probat. Sed ad ipſas obſervationes nunc narrando progrediamur. De his itaque ut eo accuratius lectores iudicium facere poſſint, earum ſpecimina quædam proponemus, ſive ex iis ſeligemus eas præcipue, quibus Auctor ipſe plurimum tribuiſſe videtur.

Cap. I, 8. Verba השמת לבך על עבדי vertit: *numquid conſideraſti ſervum meum Iob?* quæ interpretatio unice vera eſt, inprimis, quod miramur Auctorem non obſervaſſe, ob ea, quæ mox ſequuntur in textu. Itaque recte Schultenſii interpretationem, *an impetum affectumque hoſtilem quoque in ſervum meum direxiſti?* minus aptam huic loco eſſe exiſtimat; quamquam non æque nobis placeant rationes, quibus motus eam reprehendit. Eam primo contortam dicit: ſed nihil in ea contorti, ſi cogites, Φράσιν, שם לב על פלוני, *hoſtili animo contra aliquem eſſe,* multis in locis ſignificare, & ex hebraismo eam ſignificationem optime confirmari poſſe. Quærit deinde, quomodo Deus Satanam percontari potuerit, num id fecerit, quod ne quidem facere potuiſſet ſine voluntate Dei? Sed neque id Schultenſius ſua interpretatione unquam affirmavit, ex cuius ſententia Deus hoc ſolum quæſiviſſe dicitur, num Satanas in Iobum quoque hoſtili animo feratur? num contra eum quoque machinas excogitaverit? Et quis hoc neget, Satanam omni tempore animo infenſo contra pios eſſe, deque eorum cogitare pernicie? Itaque ſolus contra Schultenſium contextus urgendus erat, quem ſolum eius interpretationi repugnare videmus.

Cap. II, 9. Non placet hic Auctori Schultenſius, quem haud pauci ſequuntur, dum uxorem Iobi hæc ſine animo malo dicere potuiſſe exiſtimat, eamque adeo a crimine impietatis abſolvit. Contra hæc Auctor urget auctoritates magnorum interpretum, & ipſa verba textus clariſſima, ex quibus pateat mulieris a vero Dei cultu animus alienus. Recte, ut nobis videtur: quemadmodum etiam id, quod addit, rem eodem redire, ſive

 ברך

ברך bene, ſive contra male dicendi, imo leniore etiam illo valere iubendi ſenſu, ſumatur.

Cap. IV, 6. In poſteriore membro huius commatis transpoſitionem agnoſcendam eſſe iudicat, de qua tamen affirmare non audet, utrum ea ſcribarum errore, an ex occultiore metri lege admiſſa ſit. Ordo nimirum verborum ei ſic conſtituendus videtur, ac ſi legeretur, ותום דרכיך תקותך. Sed iudicent alii, qui fortaſſis nobiſcum nullam verba ſic transponendi neceſſitatem videbunt.

Cap. IV, 21. Schultenſii verſio huius commatis Auctori nimis coacta tortuoſaque videtur; quare ſimpliciter ſic vertit: *abripitur ipſis quicquid eximium habebant, moriuntur denique necdum ſapientiam edocti.* quibus poſtremis verbis aliud quid indicari vult, quam iis, quæ Pſ. XLIX, 13. 14. leguntur. Illa quæ in hoc ipſo capite de viſione Eliphazi narrantur, a Viro doctiſſimo vere ei accidiſſe putantur, & contra eos diſputatio inſtituitur, qui mendacii eundem reum egerunt.

Cap. V, 21. per שוט לשון id intelligit Noſter, quod Pſaltes (XXXI, 21.) per *contentionem linguarum* exprimit, vertens *flagellum linguarum.* Melius profecto quam alii, qui reddunt *excurſiones linguae.*

Cap. IX. 30. Vocabulum בר idem hic eſſe cum eo, quod alias plene ſcribitur בור *ciſterna*, qua pluviæ aquæ colliguntur, recte affirmat Auctor. Atque ſic melius omnino metaphora ſibi conſtat, quæ ſequente verſu ſequitur, ubi τῷ בור opponitur שחת *foſſae luto repletae.* Qui ſmegmatis notionem huic voci tribuunt, vim oppoſitionis non animadvertere videntur.

Cap. X, 8. 10. Quæ in his duobus commatibus a Iobo dicuntur, Cocceius atque Schultenſius ita interpretati ſunt, ac ſi peculiaris electionis gratiæ argumentum in iis lateret. Sed mirum Noſtro videtur, interpretes haud indoctos, hæc talia fingere potuiſſe, cum tota Iobi oratio huic ſententiæ repugnet. Hic cum a Deo ſe relictum queritur, & hanc perſuaſionem longa oratione ſuis declarat, quid minus probabile, quam ut exiſtimetur, eodem tempore de electionis gratia cogitaſſe?

Digitized by Google

taſſe? Plura in hanc rem Cl. Auctor diſputat, iis omnibus commendanda, qui ſuas opiniones ubique confirmatas vident; quorum quidem omnia plena eſſe, quis neſcit?

Cap. XII, 4. 5. Verſio utriusque commatis apud Noſtrum hæc eſt: *Ludibrium ſocio ſuo* (at *Deum appellabo qui ipſi reſpondebit,*) *ludibrium inquam ſocio ſuo iuſtus atque integer: is, qui in ruinam praeceps agitur, apud fortunatos pluris non ſit, quam lampas mox extinguenda.* Sed illa παρένθεσις in altero verſu nimis coacta & dura, quemadmodum alterius παράφρασις nimis libera, & qua vix verus ſenſus exhibetur. Per לפיד Auctor intelligit *lampada;* per עשתות *cogitationes:* quibus poſitis, vertit, quemadmodum diximus, primum plane mutando ordinem verborum, deinde aliam ſignificationem vocabuli עשתות exprimendo, diverſam ab ea quam ante confirmaverat.

Cap. XVI, 21. Miratur hic Auctor communem interpretum ἀβλεψίαν, quorum nemini in mentem venerit, בן hoc loco eſſe particulam, quæ plenius ſcribatur בין *inter;* adeoque totum comma hoc modo transfert: *& erit diſceptatio viro cum Deo, & inter hominem & ſocium eius.* Sed quamquam hæc permutatio particulæ בין, cum nomine בן *filius*, ob defectivam prioris ſcriptionem, nobis in aliis locis ſæpe in mentem venit: tamen prohibere videtur, quo minus hic de ea cogitemus, vocabulum גבר in membro priori poſitum, cui ſine dubio in poſteriori reſpondet בן אדם.

Cap. XXI, 3. Pro eo, quod in noſtro textu hebraico legitur, תלעיג *ridebis,* non male legendum putat Auctor תלעיגו *ridebunt,* ſic ut Vau, leviſſimo deſcriptorum lapſu, exciderit, ut in multis aliis locis. Schultenſius quidem, ne cogeretur tale quid admittere, ſubſtantivum eſſe iubet vocem תלעיג; ſed ſine exemplo id audet, recte propterea a Viro docto notatus.

Cap. XXIII, 17. Non æque placet lectio לו *ipſi,* quam hic pro vulgata לא *non,* in priore commatis membro reponi vult Auctor. Nam, *ipſi Deo exciſus ſum a facie tenebrarum,* quid hoc ſit, nemo facile intelliget. Plana omnia, ſi in membro altero

altero לא repetatur ſenſu hoc: *non perii propter tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* Sufficiat, hæc, ex magna obſervationum copia, ſpeciminis loco adduxiſſe. Nimis longum foret, ſi diſputationum, quæ in multis locis inſeruntur, ſummam hic enarrare; aut, quæ copioſe contra eos diſſeruntur, qui reſurrectionis mortuorum argumenta clariſſima in libro Iobi ſibi reperiſſe videntur, ea omnia proferre vellemus. Illud tamen ſilentio præterire non poſſumus, afferri in hoc libello multa, quæ in omnibus Iobi commentariis fruſtra quæras, non quaſi ea nimis longe arceſſita ſint, aut a conſuetudine obſervationum eiusmodi miſcellanearum alieniora, ſed quoniam paucis admodum datum eſt, quæſtionibus criticis atque grammaticis ea immiſcere, quæ ad fidem hominis chriſtiani confirmandam, moresque formandos, pertineant. Atque optime ab Auctore Cl. factum id eſſe iudicamus, quem, non ſine voluptate, longius aliquando in locum quendam doctrinæ chriſtianæ excurrentem ſecuti ſumus. Egregia nobis viſa ſunt, quæ ad C. XI, 7-9. de immenſitate Dei: ad XVIII, 4. de hominis ſua ſorte contenti felicitate: ad XXII, 1-3. de vero Dei cultu: ad comma huius ipſius capitis 21, de conſuetudine & familiaritate hominis cum Deo: ad XXXIII, 12, 13. de Dei iure in creaturas, cum multis aliis ad locos claſſicos quaſi huius libri, diſputantur. Iam ex his omnibus, breviter a nobis enarratis, ſatis Lectores intellecturos eſſe arbitramur, quale his obſervationibus ſtatuendum ſit pretium, & quam valde diligens earundem perlectio commendanda.

FASTI GYMNASII PATAVINI, IACOBI FACCIOLATI ſtudio atque opera collecti.

Patavii 1757. typis Seminarii apud Ioannem Manfré. Superiorum permiſſu & privilegio. TOMI II. Alph. omnino quatuor, in 4to.

Hiſtoriæ litterarum artiumque, qua earum enarrantur tempora & viciſſitudines, quæ initia habuerint, quando & a quibus ſint auctæ, ac veluti omnibus abſolutæ nume-

numeris, quæ deinde fecerint damna, & a quibus ſuo reſtitutæ ſint nitori, non mediocrem ſane navari operam volumus, imo ſuademus. Cognoſces enim inde, idque haud magno impendio temporis atque operæ, ſi cum uſu fructuque, quem exinde perceperis, compones, quos tibi duces ſequendos eligas, & quæ tibi ante oculos ponenda ſint exempla, quæ imiteris. Itaque ii tantum recte ſe inſtituiſſe ad tradendas artes & diſciplinas videntur, qui cuiusque illarum bene noverint hiſtoriam, atque, priusquam artem incipiant tradere ſuis, doceant, licet brevi, in qua terra domicilium illa quaſi habuerit ſuum, aut nunc habeat, qui ea colenda fuerint eximii ac nobiles, & quæ, ſcitu id digniſſimum eſt, ingenii ac doctrinæ monumenta ab eis relicta, illam artem adiuvent maxime. Sin doctores iſti, quod abominamur, ſentiant faciantque aliter, cum diſcipulis ſe errare patiantur per ambages, ſcopulos, ſentinas, & id genus alia offendicula, & ſero, ſi modo id eveniat, iſtis ſuperatis omnibus, ſuo damno ſapere diſcant. Non autem ſufficit modo noſcere exempla artium ac litterarum proba & laudabilia, quamvis id utile ac neceſſarium eſt; ſed, ab iſtis ut tibi caveas cautius, etiam prava, & barbariei quæ ſordibus contaminata ſunt, ignorari non debent. Quæ hic anteloquii nomine ſunt dicta, pertinent eo, ut impenſius Iac. Facciolati, V. C. opus, cuius indicem ſupra ſcripſimus, commendemus omnibus, qui artibus ac litteris ſtudent. Ille enim inter Italos hodie inprimis eruditus, atque aliis ingenii ac doctrinæ monumentis inſignis, poſt Ant. Ricobonum, Tomaſinum, & Papadopolum, quos hac quidem in re, diligentia an felicitate dicamus non ſatis nobis conſtat, longe poſt ſe reliquit, de Gymnaſio Patavino ſcribere eandem ingreſſus eſt viam, & inde ab anno C. n. CIↃ CC LX. ad noſtrum usque id perſecutus eſt tempus. Quod indicavimus, æque ac alia eiusdem generis, opus, non poſtremum ſibi merito vindicat locum in hiſtoria litteraria medii, quod dicunt, noſtrique ævi. Uſu enim comperimus, etiam ratio eius rei reddi, ſi eſſet opus, facile poſſet, ad litterarum artiumque Univerſitates ac Gymnaſia omnem eruditionis & doctrinæ ſtatum, per univerſum fere terrarum or-

Digitized by Google

bem, componi; imo Muſarum, longe hinc abite Eris, Barbaries, Luxuries, ſunt ſedes.

Etenim, ut ingenue fateamur, ſemper iis maiorem laudem tribuendam eſſe cenſuimus, qui alicuius artis ſingulas ſibi ſumſere partes, in quibus elaborarent, quam qui eius univerſæ ſummam, compendium dicunt, cogere ſunt conati. Illorum enim fit opera, ut penitius pluribusque artem cognoſcas; cum hi tantum ſuperficiem eius, & ne ſæpe hanc quidem, oſtendant. Exinde ſatis noſtrum animum ac ſententiam de Facciolati V. C. conſilio, & qui ſimile iniere ſtadium, intelligi credimus.

Quod autem ad externam operis attinet conſtitutionem & formam, ei nomen Faſtorum indidit, quod ſecundum Præfectorum Gymnaſio Patavino, Rectores vulgo appellantur, ſeriem, novi enim quotannis creari ſolent, omnem de Gymnaſio quod Patavii habetur maximeque olim floruit, hiſtoriam expoſuit utiliter. Qua in re recentiorum eſt ſecutus exempla, qui Faſtos Conſulares ediderunt: apud antiquos, in eo quidem ſignificatu, quod ſcimus, faſtorum vocabulum in uſu non fuit.

Facciolatus V. C. ad hoc cum ſe accingeret opus, recte de materia ante omnia fuit ſollicitus, atque nihil, quod ad rem ſuam faceret, prætermiſiſſe videtur. Latebras fere omnes, ubi aliquid inveniendi erat ſpes, percontatus, non adeo magna benignitate materiæ eſt uſus, cum prima Gymnaſii tempora illuſtraret. Tabulæ enim pleræque & litteræ, ut fere omnium rerum humanarum eſt conditio, vetuſtate & incendiis erant conſumtæ; quæ autem earum adhuc fuere reliquæ, verbis, quod magis tribuendum eſt tempori, cuius merito perhorreſcimus memoriam, verbis, aimus, ambiguis, obſcuris, ſæpe inanibus, erant conſcriptæ, ut Sibyllis ad ea intelligenda fuiſſet opus.

Omne de Gymnaſio Patavino opus in tres omnino diviſum eſt partes, quarum prima, quæ ibi acta ſunt ab anno C. n. CIↃCCLX. quo primum Gymnaſio Præfectum, Rectorem appellant, ſe inveniſſe ait Noſter, ad annum C. n. CIↃCCCCV. quo Principum Carrarienſium imperium deſiit, continentur;

ſecun-

ſecunda, ab anno CIↃCCCCVI. qui Veneti imperii erat primus, ad annum CIↃIↃVIIII. quo acroaſes propter bellum intermiſſæ ſunt; tertia denique, a reſtituto poſt bellum compoſitum litterarum artiumque Gymnaſio anno CIↃIↃXVII. ad annum huius ſæculi LVI.

Orationem ſi quæras Facciolati V. C. mirum eſt profecto, cum huic argumento, quod minime capax eſt ornatus, repugnat ei potius, tamen ſtilum accommodaſſe purum, terſum, atque elegantem, niſi faſtidias verba: Scholares, Rotulum, Bidellum, Iuriſtam, Artiſtam, Bachalarium, Licentiatum, & alia eiusmodi plura, quæ ſibi Noſter concedenda eſſe putat, quod iam ita ſint familiaria doctis indoctisque, ut obſcurus fiat, quisquis mutare ea velit. Qua quidem in re ipſi non omni ex parte conſentimus: dubitamus adeo, an ab omnibus iſta uſurpentur eruditis: imo nobis perſuaſum eſt, quo quis magis verſatus ſit in litteris latinis, eo iſtis abſtinere diligentius, ne eruditorum aures offendat; addit tamen ſæpe, ut ab popularibus intelligatur quoque, iſta nova & plerumque temere facta. Sed, quæ hic admonuimus, levia ſunt ſane, neque ita comparata, ut operi aliquid pretii detrahere queant. Ceterum librarius, vir honeſtus, minime pepercit ſumtui, cuius rei luculenta ſunt teſtimonia, litterarum forma, chartæque candor.

Herrn Johann Lockens Verſuch vom menſchlichen Verſtande, ꝛc.

i. e.

IOHANNIS LOCKII DE MENTE HUMANA Commentarius. Ex Anglico latine vertit, & Animadverſiones adiecit, HENRICUS ENGELHARD POLEY, Philoſophiae & Mathematum in Gymnaſio, quod Leucopetrae eſt, Profeſſor.

Altenburgi 1757. in libraria Richteria, Alph. 4. pl. 14. quaternis.

In iis, qui ſuperiore ſeculo, vindicandæ in veterem libertatem Philoſophiæ, pulcherrimum opus, ingenti conatu aggreſſi

greſſi ſunt, & glorioſo ad omnem memoriam ſucceſſu perfecerunt, magnum in primis in Britannis, *Iohannis Lockii* ingenium eminuit. Nam cum a natura incredibilem in perſpiciendis ſubtilibus rerum formis ſagacitatem, iudicandi autem de eo quod verum eſſet aut falſum, quod certitudinem haberet, vel probabilitatem, vim eximiam accepiſſet, eſſetque iure quodam ſuo earum impatiens tricarum, quibus omnem rerum naturam, de qua philoſophari fas eſt, non ille philoſophorum princeps, ſed qui ſe eius diſcipulos præpoſtero ſtudio profitebantur, obſcuraverant: eo Vir magnus decrevit penetrare, quo ſe excellentis ingenii curſus, ab alienis quibusque vinculis expeditus, duceret; effecitque eodem illo impetu generoſo, qui nuper *Carteſium* & *Gaſſendum*, *Grotiumque* cum *Puffendorffio* corripuerat, ut, cum illi mundi univerſi indolem, hominumque iura & officia, velut ex circumfuſis late tenebris eruerent, ipſe altius evectus, naturam animi humani, divinæque illius virtutis, qua immenſam rerum varietatem cognoſcendo & iudicando complectimur, vim inſitam mortalium omnibus, ignotam plerisque, apertis penetralibus conſpiciendam præberet. Huius *periculum* ſeu *tentamen*, quod modeſtia Philoſophi adpellat, ſatis ſcimus, quemadmodum Phidiæ ſignum, ſimul adſpectum & probatum fuiſſe. Propoſitum publice primum A. MDCXC. dialecto Anglo-Saxonum, poſtea iteratis curis editum, mox Gallico ſermone, denique etiam Romano veſtitum, lectum diligentiſſime, & a multis Scriptoribus compilatum, ferri adhuc in oculis omnium, qui ſapere plus quam ceteri cupiant, quis eſt qui hæc adeo vulgata neſciat?

Tenet etiam hanc illuſtris operis inter doctos frequentiam Vir doctiſſimus, cuius ſtudio prodire nunc nova forma iubetur; idem tamen conſulto ad obeundum hoc munus acceſſit. Atque ut ne temere credatur edendi iterum libri conſilium ſuſcepiſſe, de verſionibus quidem monet, *Coſtii* illam, quamvis ab ipſo *Lockio* examinatam, quamvis egregiam, nonnumquam archetypum deſerere, & ſententiam Auctoris obſcurius indicare, ſupplementisque & emendationibus recentiorum edi-

editionum carere: Latinam autem *Burrigdii*, (typis exſcriptam Londini 1701. & Lipſiæ 1709.) & ipſam additamentis illis deſtitui, ſermone præterea horrido compoſitam eſſe: quorum alterum correxerit Thielius, Rector Lubbenenſis, in editione Lipſ. 1731. publicata, conſectando quandam ſcriptionis elegantiam, alterum neglexerit. Hæc cum in Latina & Gallica verſione deſideres, optabile omnino erat, novam perfici & theotiſcam. Sed ex ipſo opere Lockiano maiora petiit *Poleius* noſter, quæ ſe ad ſubeundum hunc laborem excitarent. „Sæpius, inquit, intellexi, multos ſibi perſuadere, modo „hunc Lockii librum legant, philoſophos ſe repente & quaſi „per ſaltum fore, inprimisque apud Gallos inſignem eius eſſe „auctoritatem. Equidem largior, ſummis ingeniis parem „eſſe Lockium, qui, dedignatus aliena inventa, ſe ipſo duce ve„ritatem inveſtigavit. Verum hi tales viri eximia quidem in „lucem proferunt, proclives autem in lapſum ſunt. Ita quo„que acutisſimis Noſtri diſputationibus errores non raro miſti „ſunt. Scilicet, nimius aliquantum erat in contemnenda Phi„loſophia Scholaſtica Lockius, omnemque eius oppugnandæ „locum captabat. In quo rectius ſenſit *Leibnitius*, profitendo: „*Scholaſticos agnoſco abundare ineptiis; ſed aurum eſt in illo coe„no, quod ſcivit Grotius*, in epiſtola ad Bierlingium, collectio„nis Kortholtianæ T. IV. p. 5. Si qui autem ſunt lapſus „ingenii Lockiani, iis certe teguntur luminibus, ut tanto ma„gis operæ pretium eorum revelatione fiat, quo difficilius „ſentiuntur." Hoc igitur officium æterno operi præſtare hodie ſtudet Vir Clariſſimus, multis inde ab annis docendo præclare meritus, neque minus ab ingenii acumine & doctrinæ copia ſpectatus. Verſioni autem, ex Editione ſcriptorum Lockianorum Anni MDCCXXVII. concinnatæ, conſpicuæ illi & fide & perſpicuitate, adnotationes oppido multas ſubiecit, quæ partim audaces & aberrantes in viam reducerent Auctoris magni paſſus, partim ea, de quibus ille breviter nec plene ſatis dixit, uberius ediſſererent.

Nos harum animadverſionum exempla quædam minime negabimus curioſis Lectoribus; at eosdem rogare neceſſum

 habe-

habemus, ut, quoniam illarum copiam brevitas noſtra detrectat, ipſi librum adeant, ſi per ſermonis notitiam licet; ſin minus, ut ex paucis iudicent de omnibus, vel earum rationem haberi in nova libri editione Gallica curent. Quum a phyſica animæ humanæ contemplatione abſtinuerit Lockius, ſupplendam ſibi rem momenti non tenuis exiſtimavit Vir Cl. Igitur pag. 2. ſqq. in *eſſentiam animae*, quam vocant, inquirit, eamque demonſtrat eſſe facultatem, mundum vel tantum de mundo ſibi repræſentandi, quantum ſtatus corporis ſui & organorum ſenſualium indoles permittit. Hanc notionem *Leibnitius* in Monadologia primus applicavit, & clarius etiam poſt eum *Wolfius*. Ad Libri I. Cap. I. diſtinctius docetur Adnotat. VII. quænam ſit ſententiarum de *Ideis innatis*, earumque ratione exponenda, diverſitas. Nam Lockius Carteſii duntaxat opinionem oppugnat, qui prima cognitionis & virtutis principia humanis mentibus *innata* & quaſi impreſſa dixit. Verum alii ſingularem a Deo animis vim tributam ſtatuunt, qua ad recipienda principia illa ſumma flectantur. Sunt etiam qui naturalem hanc notitiam habitum dicant cum anima natum, vel *potentiam proximam*, celeriter intelligendi veritatem univerſalium illarum propoſitionum. Male utrique. Quid enim obſtat, quo minus naturalis animæ facultas, quæ in cognoſcendis rebus verſatur, hæc quoque principia illico perſpiciat? Pag. 12. reprehenditur Lockius, ubi fundamentalibus illis principiis univerſum genus humanum adſentiri negat, & ambiguis formulis utitur: mox iterum pag. 23. ubi ſtatuit, propoſitionem illam: *idem non eſt diverſum*, fundamentum eſſe huius: *fieri non poteſt ut eadem res ſit & non ſit*, additque, priorem facilius intelligi poſteriore. Contra id, quod ponit Lockius, veritates fundamentales practicas multo difficilius capi quam quæ ſola theoria nitantur, pag. 32. monetur, & has veritates ſuo lumine radiare, levique negotio ab iis recipi, qui nexum ſubiecti cum prædicato attendant: paucis vero interiectis docetur, veritates illas practicas non ſola contemplatione terminari. Sed pag. 34. defenditur illuſtris Vir contra eos, qui illum proprio gladio iugulari poſſe autumant,

mant, quod idem & ideas innatas reiiciat, & naturales quaſdam animæ propenſiones tueatur. Nam hæ propenſiones pendent a repræſentatione mali aut boni, quæ ſi abſit, nihil utique hominum natura vel adpetit vel reſpuit. Imo ipſa anima propenſiones illas vel averſiones producit: quippe unica tantum facultate gaudens, eaque continuo efficace. Repræſentationes autem boni & mali, a ſenſibus ortæ, *ſtimuli* dicuntur, oblectationi vel tædio ſuperſtructi, nec iidem apud omnes homines, pro diverſitate facultatis repræſentandi, aut naturæ corporis, aut primæ perceptionis quam animi noſtri ſenſere. Obſcuritas horum ſtimulorum inſtinctus naturales efficit. Sed qui ex his inſtinctibus Ius Naturæ & Moralis Philoſophiæ placita derivant, quod hodie nonnullis placuit, eos merito cum Leibnitio *ignavos philoſophos* dixeris. Denuo Lockio contradici videas p. 48. exiſtimanti nimirum, has propoſitiones: Virtus optimum Dei cultum conſtituit; & alteram: Aequum eſt, nos admiſſorum peccatorum poenitere, non poſſe dici innatas, quoniam pertenuis in vita humana uſus ſint. Ideam Dei humanis mentibus innatam non eſſe, probatur Adnotat. XXXI. quo loco præcipue ad antiquiſſimos Sinenſes, & ad Atheos provocatur. Memorabilis item dicenda eſt XXXII, quæ in modum repræſentandi ſibi Deum inquirit.

Sub initium *Libri Secundi*, p. 78. ſqq. ſententiæ Lockii, ſtatuentis, ideas omnes partim ex ſenſibus, partim ex operationibus animæ oriri, hæc opponuntur. Prius ex his idearum principiis nondum omnibus difficultatibus liberum eſſe: neque enim conſentire Philoſophos in definienda quæſtione, quemadmodum corpus in animam, quæ corporea non eſt, agere, eique ideas communicare poſſit? Itaque ſapienter iudicaſſe Leibnitium, Collect. Epiſtol. l. c. p. 402. de origine idearum non eſſe prius diſputandum, quam modus coniunctæ cum corpore animæ explanatus fuerit. Eam ergo diſputationem accurate hic tractat Clar. Poley. Nos verbo ſignificamus, eum acute pro *influxu phyſico* pugnaſſe: in quo ſollicite explicando cum verſatur, illud inprimis remotum ab eius natura vult, *realitates* ex anima in corpus, vel ex hoc in illam, tranſire.

Pag.

Pag. 85. ſqq. lectu digniſſima de origine animæ humanæ proferuntur, quam primitus ſtatim creatam, & cum exilibus corpuſculis copulatam, Vir doctiſſ. tuetur. Quæ ut illuſtret, de animalculis ſpermaticis diſſerit, quorum veſtigium ipſi Pſ. CXXXIX, 16. in voce גלם latere videtur. Tum Cl. Buffonii obiectiones diluit, eiusque obſervandi modum refellit, laudatis exemplis Lieberkühnii & Ledermülleri, noſtratium, Virorum præſtantiſſimorum: quorum ille, præmaturo nuper fato functus, multa primus in animalculis ſeminalibus vidit; hic ſcripto enarratis A. MDCCLVI. obſervationibus ſuis, docuit, nec microſcopia a Buffonio uſurpata fuiſſe eximia, quippe quæ a ſuo, ratione diametri 180. ratione ſuperficiei autem 3500. vicibus vincantur, & temporis ſpatium ad intuendum ſemen plus iuſto prolongatum ab eo fuiſſe. Pag. 132. oſtenditur, Lockium communem illam de memoriæ facultate notionem ſervare, qua promtuarium veterum idearum & ſenſationum ſtatuitur: & licet eam corrigat, tamen memoriam cum vi imaginandi miſcere; huic enim proprium eſſe, res ante perceptas revocandi. De veſtigiis rerum in memoria ſuperſtitibus ſingulare admodum pag. 138. exemplum producitur hominis octuagenario maioris, ſacris curandis in Saxonia noſtra præfecti. Is ipſe, (nomen erat viro *Ioh. Pitzler,*) Clariſſ. Auctori paucis ante ſupremum annis narravit, ſe olim, iuſſu magiſtrorum ſcholaſticorum, integrum Bucolicorum Virgilii carmen memoriæ mandaſſe, recitaſſeque promtisſime; idem ſibi ab annis inde triginta memoria excidiſſe, præter paucos illius verſus, ceteris notiores; cum extrema ſenecta duodecim annos oculorum uſu privatus viveret, magisque præteritorum recordatione, quam præſentibus, mentem paſceret, recoluiſſe ſe memoriam Bucolicorum, & clara voce primos illorum verſus recitaſſe, idque toties, donec plures ſuccurrerent: ea denique repetitione ſe effeciſſe, ut iterum univerſa Boculica teneret, eademque qua olim facilitate poſſet voce expromere, & hac ipſa exercitatione otium ſe fallere ſolere. An hic cum Leibnitio in Otio Hanover. p. 228. ſtatuendum, perceptiones animæ ſingulas æternum memoriæ impreſſas manere, quamvis

Digitized by Google

vis non ſemper recurrant? Adnotatio LII. huius argumenti eſt. Exiſtimare Lockium, ubi ideæ ſint, ibi etiam nonnihil *rationis* eſſe: igitur bruta quoque ratione quadam gaudere, licet ex ideis tantum ſenſualibus ratiocinentur. Verum hæc cum vera notione *rationis* pugnare, quæ quum in perſpiciendo nexu veritatum univerſalium & particularium poſita ſit, univerſales adeo ideas requirat, quas brutis ipſe ſupra negaverit Lockius. Pag. 154. contra eundem docetur, notionem ſpatii vacui viſu & tactu comparari non poſſe; & p. 169. utique in mundo omnia plena eſſe; pag. autem 174. arguitur, durationem cum tempore confudiſſe. Pag. 218. oſtendit V. Cl. quod Lockius non potuerit poſitivam infinitatis notionem formare, hoc inde eſſe, quia hanc vocem ſenſu grammatico ſumſerit, quo illa omnino negativam notionem exprimit: ſenſu autem logico & metaphyſico quomodo capienda ſit, Adnotat. LXXII. explicat. Pag. 232. potentia nuda a vi activa ſollicite diſtinguitur. Mox, ubi Lockius in ea ſententia eſt, libertatem non ſpectare ad voluntatem, ſed ſingularem animæ facultatem conſtituere, docetur, voluntatem eſſe facultatem compoſitam, quæ triplici potentia conſtet, intelligentia, libertate, & concupiſcentia. Pag. 360. & ſqq. de diviſione legis, de legibus poſitivis univerſalibus, & de inſtitutione diei dominicæ, plura adferuntur attentione digna. Pag. 372. oppugnantur definitiones Lockianæ, de ideis claris & diſtinctis. Claram v. c. ideam dicit eam, cum anima tam plenam & manifeſtam ſenſationem percipit, quam ab externo obiecto percipere poteſt, quod in bene conſtituta organa ſenſoria rite operatur. Satis obſcure. Copioſus itaque hoc loco Clar. Ed. eſt in eruendo interno idearum diſcrimine, quod iam in Philoſophia ſua quadripartita vidit Valerianus Magnus, enucleatius tradidit Leibnitius in Actis Erud. A. MDCLXXXIV. feliciſſime omnium noſtra ætate Illuſtris Wolfius ſtabilivit.

Pag. 426. diſputationes Philoſophorum de genere & ſpecie commendantur, utilitatis quippe certæ, modo diſtinctis notionibus fulciantur. Pag. 429. reprobata definitione vulgatiſſi-

Digitized by Google

ma: Homo eſt animal rationale, hæc ſubſtituitur in eius locum: Homo eſt ſubſtantia, in qua anima rationalis cum ſpectabili corpore organico, quod animæ eiusmodi conveniat, iuncta eſt. Miratur Vir Cl. pag. 434. Lockium, inimicum cetera Scholaſticorum argutiis, ipſum creaſſe diſtinctionem, non valde illis diſſimilem, cum eſſentiam in realem & nominalem dividat; tum ſubiungit, hoc pacto affectiones & eſſentiam rei miſceri. Proba eſt & elegans defenſio, quam Adnotatione CXXXI. pro Metaphyſica, repurgata ſcilicet, ſuppeditat. Veram demonſtrandi methodum pag. 542. ſqq. evolvit, iisque argumentis munit, ut ſatis tuta a calumniis videatur. Sed quis vel notet ſingula laudando breviter, in tanta rerum & ingenii ubertate? Nos ergo egregia multa quæ ſuperſunt commemoranda, ut v. c. illam de materia cogitationis experte p. 574. ſqq. diſputationem; aliam de generibus veritatis p. 614. ſqq. de principiis univerſalibus, p. 640. & 642. de modis evincendi, Deum eſſe, p. 662. de Idealiſmo p. 678. alia non minoris pretii, heic loci omittimus. Neque enim non intelligi exemplorum multitudine, quam propoſuimus, poteſt, dignum Lockio exegetam eſſe Poleium noſtrum, Philoſophum & doctum & acutum, &, quod non ultimam laudem credimus, modeſtum.

Parciorem in extrema libri parte, adſpergendis animadverſionibus, morbi moleſtia eſſe iuſſit Virum doctiſſimum. Qua niſi vexatus fuiſſet, non dubitamus illum v. c. ad Lockium de enthuſiaſmo differentem pag. 743. ſqq. nonnulla huic ætati adprime idonea, de Enthuſiaſmo Philoſophorum, adiecturum fuiſſe. De eo ſi placet adhuc publice diſputare, lubentes nos quidem Cl. Viro locum in his Actis conceſſerimus. Ceterum, nec minora libri ornamenta prætereunda ſilentio videntur, poſtquam de maioribus diximus. In illis itaque primum locum epiſtola ad Sereniſſimum Electoratus Saxonici Heredem, amantiſſimum doctrinæ liberalis Principem, tuetur. Accedit elogium Lockii, auctore Cl. *Coſtio*, depromtum illud ex præſtanti Belgarum Diario: *Nouvelles de la Re-*

publ.

Digitized by Google

publ. des Lettres, anni MDCCV. Legitur porro in fronte operis Compendium eius, & quaſi ſynopſis, a *Gilberto*, ſupremo apud Anglos iudice, Lectorum gratia concinnata. His tabulam, rerum memorabilium indicem, & imaginem Auctoris immortalis, artificis opera delineatam, iungimus. Fruetur Vir Clariſſimus, huius tam eximiæ editionis auctor, eruditorum hominum laudibus ampliſſimis; ſed ut frui commode liceat, incolumem vivere & vegetum, valde, ac litterarum cauſſa, cupimus.

ENTRETIENS, OU LECONS MATHEMATIQUES.

i. e.

COLLOQUIA MATHEMATICA, SEU PRAELECTIONES mathematicae, de methodo has ſcientias addiſcendi, & primariis utilitatibus quae inde percipi poſſunt. Accedunt Elementa Arithmeticae atque Algebrae, novo ordine, & absque calculo litterali, demonſtrata.

Lauſ. & Genevæ, ap. Marc. Mich. Bousquet & Socios. TOMUS I. pag. 372. TOMUS II. addito indice pag. 250.

Monſtri aliquid promittere videtur ultima pars libri huius, quæ Algebram absque calculo litterali docendam, novoque ordine digeſtam annuntiat. Neque hoc ipſum diffitetur Auctor; quam ſingularia ſint quæ lectores ſuos edocturus eſt, uberius in præfatione explicans. Duo interlocutores ſunt, Matheſius & Neander, doctor ille, hic diſcipulus. Quorum cum ille perpetuo fere loquatur, recte omnino ſentit auctor, nunquam fere viſa eſſe eiusmodi colloquia; & ne quis dicam ipſi de *colloquiorum* titulo adhibito ſcribat, alterum, *praelectionum*, addidit. In Elementis Arithmeticæ atque Algebræ, non diffitetur plura ſe omiſiſſe, quæ alioquin eo

Digitized by Google

referuntur, alia adieciſſe, quæ in his elementis plerumque doceri non ſoleant. Sed cum non conveniat inter mathematicos de propoſitionum elementarium numero, ſibi etiam eam libertatem relinquendam exiſtimat, ut, quas propoſitiones lectoribus ſuis maxime neceſſarias iudicaverit, eas operi ſuo insereret. Lectores vero, licet nominet tam eos qui totos ſe tradere volunt mathematicis, quam qui leviter ea deguſtare cupiunt, tamen haud obſcure nobis apparere videtur, ultimo potiſſimum generi opus eſſe deſtinatum. Neque enim qui multus eſſe vult in mathematicis, calculos litterales ita reformidabit, ut denudatam iis Algebram diſcere geſtiat. Hoc non ita intelligendum eſt, quaſi omnem omnino calculum litterarum auctor evitarit. Nam & eum adhibuit in propoſitionibus quibusdam demonſtrandis, & ſigna, quibus operationes arithmeticæ generaliter indicari ſolent, explicavit. Sed cum maxima pars ſcripti ſui hoc calculo careat, a potiori faciendam denominationem cenſuit. Ut autem melius lectores noſtri iudicare posſint, tum quid ſingularis hic Auctor præſtiterit, tum quis novus ille ordo ſit quo Algebram digesſit, ſingulorum colloquiorum capita recenſebimus. Itaque poſt priora VI. colloquia, quibus generalia, de natura quantitatis, de uſibus matheſeos, & ſimilia continentur, ſeptimo explicantur primaria totius matheſeos axiomata, *quantum quodvis ſibi ipſi eſſe aequale, totum aequari partibus ſuis*, & quæ reliqua ſunt. Deinde uſitati maxime arithmetices termini, *binomii*, *multinomii, producti, cet.* definiuntur, &, additione explicata, ex multiplicationis idea ſimplicisſimæ eius adfectiones, corollariorum ad inſtar deducuntur, adiectis potentiarum notionibus. Octava prælectio orditur ab hac propoſitione: Duorum factorum idem eſſe productum, ſive primus per ſecundum, ſive ſecundus per primum multiplicetur; deinde occaſione augmentationis numerorum, cuius ſpecies pertractatæ ſunt, de infinito aliqua diſſeruntur. Infinitum vocari adſerit, quod omnia quæ habere poteſt ſimul habet. Ita longitudo duorum pedum finita eſt, quia augeri poteſt, & exſiſtere, licet non ha-

beat

beat omnia augmenta quorum eſt capax. Sed infinito nihil amplius adiici poſſe contendit, itaque illud proprie quantum dici non poſſe. Quæ vero eſt mathematicis alia infiniti notio, eam contradictoriam & abſurdam eſſe exiſtimat, infinitorumque diverſos ordines myſterium eſſe, quod omnino comprehendi non posſit. His expoſitis, ſubtractionem, & ex ſubtractione reiterata diviſionem explicat. Nova prælectione de negativis quantitatibus agit, quas oriri dicit, ſi duarum quantitatum eiusdem generis altera ſub determinatione oppoſita alterius conſideretur, ita ut poſitio unius removeat & deſtruat poſitionem alterius. Ex hac notione, quæ utique vera eſt, perſpicue ſatis & accurate regulas demonſtrat, quibus quantitatum oppoſitarum calculus abſolvitur. Quinque lectionibus, quæ adhuc in Tomo I. ſequuntur, arithmeticam geometricamque rationem, & quæ inde pendent, pertractat. Tomus alter, prælectione XV, de rationum compoſitione agit, quorſum etiam ſpectat problema, quod ſub initium præl. XVI. ſolvere docet, ſcilicet, datis duabus rationibus inveſtigare quoties una altera maior ſit. His alia quædam eiusdem generis ſubiungit, & monſtrata methodo inveniendi duarum quantitatum communem menſuram maximam, in Præl. XVII. progreſſiones geometricas ſummare docet; quam materiam Præl. XVIII. continuat. Hæc omnia hactenus de quantitate in abſtracto conſiderata docuit, licet exemplis numericis, litteralibus etiam interdum illuſtrata. Iam pergit Præl. XIX. ad arithmeticæ, qualis nobis in uſu eſt, decadicæ, principia explicanda, calculumque in hac arithmetica uſitatum, quatuor vulgares ſpecies, radicum extractionem, cet. colloquiis XX, XXI, XXII, XXIII. docet. De incommenſurabilibus, & quæ huc ſpectant, nihil dicit, quod eſſentialem algebræ partem, ex eius ſententia, non conſtituant, & quod tiro, qui prima vice algebram pertractat, illis carere poſſit. Adiicit in eadem præl. XXIII. pauca quædam problemata Analytica; ſed non exiſtimat conveniens eſſe, ut, qui ingenii acuendi cauſſa matheſin tractat, problematum analyticorum ſolutione algebræ

Digitized by Google

ſtudio colophonem imponat. Quantumcunque enim hæ ſolutiones ex una parte intellectus vires augeant, tantum easdem ex alia parte illas diminuere contendit, cum æquationes tractando, calculumque peragendo ſecundum regulas quasdam, machinarum fere modo operari adſueſcamus. Quod dum profert auctor, ſatis prodit ſe ignorare, in quo vis & præſtantia analyſeos conſiſtat, quam ſummi eius artifices non in calculo rite tractando, ſed in æquationibus inveſtigandis, ponunt. Hoc vero tantum abeſt ut mechaniſmo aliquo calculi ad inſtar perfici poſſit, ut potius pauciſſimæ adhuc pro hoc negotio regulæ proſtent. Itaque Auctor hic ex eorum genere nobis eſſe videtur, qui ipſi vix tirociniis poſitis ad alios ore ſcriptisque docendos properant. Qua in ſententia confirmant nos generalia quædam effata, quibus libellum ſuum concludit; inter quæ eſt etiam longa ridiculaque penitus declamatio contra *infinite parva*, quibus a mathematicis noſtri temporis fucum fieri adſerit iis, quorum non ſatis magna circumſpectio eſt, eaque non magis ad matheſin ſpectare adſerit, quam tractatum *de digeſtis Romanorum* ad phyſicam. Hæc, aut magnopere fallimur, aut hominem indicant ultra elementaria vix progreſſum, & magna temeritate, dixiſſemus fere veſania, de rebus quas non intelligit iudicium ſibi ſumentem. Neque in ipſo ordine, quo Algebram quam vocat digeſſit, eſt quod multum mireris; neque conſilium eius, de his rebus absque litterarum calculo tractandis, adeo novum eſt ut ipſe ſibi perſuadet. Quid enim? nonne maxima eorum, quæ libellus hic continet, pars, ab antiquis iam cognita & rigoroſe demonſtrata eſt, antequam ſæculo præcedente litterarum calculus adoleſceret? Et quis eſt qui non perſpiciat, calculos, quos litteris peragimus, ratiocinia eſſe, quæ omnia verbis exponi poſſunt, ſed maiori & tædioſa prolixitate. Eius rei documentum eſt ipſa hæc Auctoris ſcriptio, quæ iuſto volumine, tam pauca, tam facilia, explicat, ut ſi eadem methodo ſyſtema aliquod Algebræ condere quis vellet, immanem

molem

Digitized by Google

molem liber ſit habiturus. Sed ſi Auctor, eius ſcientiæ, quam emendare vult, hiſtoriam ſaltim teneret, non lateret ipſum, prudenti conſilio calculum litteralem eſſe in geometriam introductum, cuius ope, unica pagina ſæpe integros libros alia methodo implendos complecti licet. Ipſe etiam fatetur, difficulter, quæ ad progreſſiones geometricas ſummandas ſpectent, ſolis verbis ſatis evidentia fieri poſſe; eaque de cauſſa illa calculo litterali oſtendit. Sed in infinito mathematicorum cum myſteria incomprehenſibilia reperit, transferre huc libet, quæ lectione XVII. pag. 89. Tomi II. de elementis materiæ ſentit. Illa non ſubſtantias eſſe credit, *ſed res non extenſas, quae numero ſuo atque intenſitate reciproca extenſionem corpoream producant, neque tamen eapropter ſubſtantiae ſint, ſed potius modificationes, quae una in aliam influant.* In his fideliter a nobis translatis qui ſenſum aliquem reperit, is, ſi infiniti mathematici notionem animo complecti non valeat, oportet felicior ſit in ſomniis ægroti animi intelligendis, quam in adſequendis notionibus difficilibus quidem, ſed tamen naturæ rei convenientibus, & invictis demonſtrationibus munitis.

NOVA LITTERARIA.

Cum adhuc Vir Clar. ANGELVS MARIA BANDINIVS, in pertexendo Catalogo Auguſtæ Bibliothecæ Mediceæ, quæ Florentiæ eſt, indefeſſus deſudaverit; tamen ipſa hieme proxima egregium opus ſermone hetruſco edidit: *de origine urbis Pratenſis, eiusque claris civibus, annexa vita Celeb. Cardinalis, Nicolai Pratenſis, qui ſub Benedicto XI. floruit.* Sed de eo libro, aliorum duntaxat indiciis, utpote nondum viſo, dicimus. Nunc autem idem Vir doct. in eo eſt, ut commercium epiſtolicum, quod ſummo quondam *Petro Victorio* cum præſtantiſſimis ſuæ ætatis in Italia & Germania viris interceſſit, prodire in lucem iubeat. Illius *Pars prima*, (abſolvetur autem *tribus*), propediem ſtudioſis litterarum tradetur.

Nos

Nos eo ardentiori deſiderio opus amplectimur, quo maior eſt & *Victoriani* nominis, & eorum gloria, quos cum eo per epiſtolas coniunctos fuiſſe accipimus.

Eadem urbs pulcherrimum amantibus antiquitatis eruditæ munus parat, *Theſaurum Diptychorum tam profanorum quam eccleſiaſticorum*, tribus Voluminibus, forma folii, cum figurarum ſcienter delineatarum adparatu. Inchoaverat illam Doctiſſ. *Gorius;* iam poſt fata egregii Viri, perficiendum, pro ſua erga illum amicitia, ſuſcepere *Bandinius* & *Paſſerius*, digniſſimi *Gorio* collegæ: fietque eius comparandi copia hoc ipſo anno Viris eruditis. Et quo parabilior liber ſit, Caietano Albitio, librario, *quinque ſcutati Romani*, ad exitum usque anni, numerabuntur; *totidem Scutati*, ubi liber lucem viderit, qui poſthac nonniſi *quindecim Scutatis* emetur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLVIII.

Pars I.

D. Chriſtoph Auguſt Heumanns Erklärung des Neuen Teſtaments, Neunter Theil.

i. e.

D. CHRISTOPH. AUGUSTI HEUMANNI COMMENTARIORUM in Novi Foederis Libros divinos PARS IX. qua quidem utraque D. Pauli ad Timotheum epiſtola explanatur.

Hanoveræ 1757. in bibliopolio Foerſteriano, Alph. 1. plagg. 20. octonis.

Redit nunc quaſi e diverticulo in viam Venerandus Auctor, vel potius, quem Parte priori deſeruerat Apoſtolicarum epiſtolarum ordinem, reſtituit. Nobis ſatis eſt cognoviſſe, quæcumque ille dona publice proponit, digna eſſe ingenio & doctrina largientis, libenterque ſequimur adeo veterani ducis auſpicia, quamvis a communi tramite deflectentis. Iucundum vero fuerit ſanctioris doctrinæ ſtudioſis, non ſolum adcnratius intueri huius Partis opes, quæ ſunt egregiæ, ſed etiam contendere cum illis, quas nuper in easdem Epiſtolas expromſit *Moſhemius*, ὁ μακαρίτης, ut, coniunctis ſummorum Virorum laboribus, & intelligantur utriusque dotes, & interpretandi Codicis divini peritia acuatur. Hic iam de Heumanno dicendum eſt, cuius præclaram & felicem exegeſin is neſciat qui omnia.

De Timotheo, & priore ad eum miſſa Epiſtola, Præſatio pagina-

Digitized by Google

ginarum XXII. diſputat. Docet v. c. ex *Timothei* (qui *colit Deum*, non Deos,) nomine effici non poſſe, illud a Chriſtiano proficiſci, non a parente Timothei: quot enim habet ethnica antiquitas Timotheos? Fuit autem ille Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſeu reliquorum doctorum, qui tum omnes Epiſcopi audiebant, Inſpector & Præpoſitus, nulla tamen civilis magiſtratus ſpecie. Nec obſtat quo minus Epiſcopum adpellemus eum Euſebio Timotheum, quod a coetus ſui cura iterum diſceſſit. Nam ſi munus ipſum geſſit, quod erat in conſtituendis presbyteris & diaconis, & generali quadam ἐπισκοπῇ poſitum, parum intereſt quamdiu geſſerit. Epiſtolæ vero ad illum hoc conſilio exaratæ videntur a S. Apoſtolo, ut dubitantibus forſitan Chriſtianis Epheſi, num quæ ageret Timotheus, nec iuventutem egreſſus, nec uſu rerum pollens, præceptis Pauli reſponderent, huius auctoritas ſcripto declarata oppoui poſſet. Itaque Vir Doctiſſ. ab illorum ſententia alienus eſt, qui reſponſa dediſſe his epiſtolis Paulum exiſtimant interroganti Timotheo, quemadmodum in adminiſtrando munere ſuo verſari debeat. Neque enim eſſe credibile ait, Timotheum eam in rem nullas ex ore Pauli leges accepiſſe. (Quid? ſi οἱ ἐξ ἐναντίας utantur verbis Apoſtoli 1 Tim. III, 14. 15. Ταῦτά σοι γράφω, ἵνα εἰδῇς πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεσθαι.) Ceterum hæ epiſtolæ quum de officiis doctoris eccleſiaſtici præcipiant, non immerito cum illa ad Titum perſcripta, *Paſtorales* vocantur.

Prioris Epiſt. Cap. I. v. 2. quid ſit τὸ ἔλεος quæritur. Videtur autem hoc loco, itemque 2 Tim. I, 2. & Tit. I, 4. idem eſſe quod χάρις, & notare *ſingularem gratuitamque gratiam*. Ita חֶסֶד non *miſericordiam* tantum ſed etiam *gratiam* deſignat, miſceturque cum חֵן. Quas v. 4. Apoſtolus improbat *genealogias*, Gnoſticæ illæ ſunt ſine dubio, quibus ſua & ſequente ætate religio Chriſtiana corrumpebatur; ἀπεράντους vero adpellat, quippe in quibus rite conſtituendis numquam finem cernebant auctores. Οἰκοδομία Θεοῦ eſt *aedificatio* in fide, *Deo accepta*, phraſi infrequentiore. Verba v. 15. *ego primarius peccatorum ſum*, Ven. Heumannus iudicium

Pauli

Pauli de ſe affectuoſum vocat. Hunc recordatione priſtini in Chriſtianos odii tanta moeſtitia preſſum fuiſſe, ut ſe unum peccatorem contemplaretur, & reliquos quaſi ignoraret. Eundem in modum eos qui vehementiore triſtitia angantur, exclamare: non eſt ullus meo dolore maior. Προαγούσας προφητείας v. 18. ſatis varie interpretantur viri docti. Prædixerant autem prophetæ, qui tum non rari per chriſtianos coetus docebant, Timotheum egregie contra hoſtes religionis Chriſtianæ pugnaturum, manſurumque firmiter in doctrinæ puritate: *Tradere Satanae* v. 20. quod & 1 Cor. V, 5. legitur, indicat gravem morbum ab Apoſtolo inflictum ope donorum miraculoſorum; eo quidem conſilio, ut Satanæ facultas adimeretur, corporibus horum hominum nocendi, animusque eorum ſervaretur.

Ad Capitis II. v. 2. obſervat V. D. τὴν σεμνότητα eſſe externos Chriſtianorum mores, inprimisque modeſtiam eorum, non ridentem aut convitiis perſequentem ſacra ethnicorum: quo ipſo horum animi emolliti fuerint. Huius temperantiæ hunc fructum ait cepiſſe Chriſtianos, ut longis nonnumquam halcyoniis lætarentur. Ita omni Seculo ſecundo nullius Imperatoris iuſſu vexatos fuiſſe. Quod ut probet, celebrem locum *Tertulliani* Apolog. C. V. & VI. producit, & *Euſeb.* H. E. Lib. V. C. VI. meritoque erroris arguit eos, qui præfectorum & magiſtratuum in Chriſtianos Sec. II. crudelia facta, qui inſurgentis in eosdem plebis motus, Principibus ipſis tribuant. Unicus fere eſt (liceat enim hoc addere) M. Antoninus Philoſophus, cui edicta in Chriſtianos adſcribi videntur apud *Euſebium* Lib. IV. C. XXVI. ſed multa ſunt quæ hunc Melitonianæ orationis ſenſum debilitant. Verba: ἐν Χριστῷ v. 7. cum in verſione antiqua Latina, tribusque Codicibus non reperiret Beza, tollenda cenſuit. Plures Codices, in quibus ea fruſtra quæras, Millius Wetſteniusque produnt, exiſtimantque adeo, ea ab aliena manu textui adſcripta fuiſſe ex Rom. IX, 1. Idem ſentiens Bengelius nullum illis in Verſione ſua librorum N. F. locum reliquit. Recte illi ſane ſe tuentur multitudine codicum. Sed quanto dignior Apoſtolo ſit oratio, ubi in eam ad-

admittantur hæc verba, omnes intelligunt. Quemadmodum Paulus v. 13. 14. doceat, feminarum eſſe parere viris, hac ratione declarat Ven. Auctor. Prior Adam creatus eſt, & a Deo dominium in omnes res accepit, antequam femina adeſſet. Hæc ex Adami corpore formata dataque ipſi in adiutorium eſt. Neque ergo maior eſſe viro poteſt, nec recuſare illius mandata, qui eius miniſterio ſublevandus eſt. Femina porro prior a lege divina deflexit, eoque poenam a ſupremo Numine accepit, Geneſ. III, 16. ut ſubiecta viro viveret. Quod innuit Paulus 1 Cor. XIV, 34. Utiliorem etiam fore Virorum principatum prævidit Deus, eosque aptiores ad illum gerendum effecit. Iam pergit Apoſtolus v. 15. Quamvis feminæ hanc peccati Evæ poenam tulerint, ut maritis obtemperent, & graves pariendis liberis dolores patiantur; ſciant tamen, hoc ſibi ſolamen supereſſe, quod in ipſo coniugio, quod partem poenæ complectitur, (διὰ τῆς τεκνογονίας, pro ἐν τ. τ.) ſpem ſalutis æternæ concipere poſſint, modo fidei & virtutum Chriſtianarum ſtudioſæ ſint.

Ingredimur Caput III. cuius quidem initium: πιςὸς ὁ λόγος, a nonnullis Capiti II. adiungitur, ſed iniuria. Omnino enim præcipui ponderis regulæ ſunt quæ ſequuntur, de officiis doctorum Eccleſiæ, & ſuperiores dogmati de feminarum erga viros obſervantia. Vera eſt ad verba continuo ſubſequentia obſervatio, eos qui Apoſtoli temporibus doctoris munus adpetierint, amantiſſimos religionis Chriſtianæ ſine controverſia fuiſſe, quæſiiſſe enim id, quod moleſtiarum & periculorum erat pleniſſimum. Commendatur etiam recte *Ioh. Iac. Lavateri*, Theologi apud Tigurinos Clar. Diſſertatio de miniſterii eccleſiaſtici dignitate, & recto modo illud adpetendi, A. MDCCXLV. publicata. Epiſcopum v. 2. eundem eſſe cum presbytero, hoc eſt quocumque Eccleſiæ doctore, ſatis vulgatum eſt ex ſcriptis Pauli, v. c. Tit. I, 5. 7. Act. XX, 17. 28. Addit Auct. Doctiſſ. hic tamen inprimis quoque deſignare eos doctores, quibus quædam in reliquos cura commiſſa fuerit, quos adeo Protepiſcopos, aut Epiſcopos Epiſcoporum, dici vult. Tum vero optat, ut nomen *Epiſcopi*, ſeu, quod proavi noſtri inde

inde formarunt, *Biſchof*, primi auctores repurgandæ inter nos religionis & ſacrorum conſervaſſent, nec cum Latino, *Superintendens*, mutaſſent, quod adhuc in coetibus noſtris obtinet. Hoc pacto omnem materiam accuſationi illi ademturi erant, qua negatur, Eccleſiam noſtram ab Epiſcopis regi. Sapienter hæc Vir Venerandus. Neque tamen neceſſe eſt nos nimium dolere abiectum hoc eſſe vocabulum, quod ſupereſt in Suecia & Dania. Occurri enim criminationibus adverſariorum confidenter a nobis poteſt iis ipſis verbis, quæ ſupra pag. 13. legimus: Quis illi nomen Epiſcopi denegaverit, qui Epiſcopali munere vere fungitur? Adpelletur Græco vel Romano nomine, dummodo vim nominis impleat. Unius autem uxoris maritum eſſe Epiſcopum quum iubeat Paulus, nullam doctoribus Eccleſiæ univerſis coniugii neceſſitatem imponit. Plerique tum doctores uxoribus iam iuncti erant, cum ad munus ſacrum vocarentur: neque enim iuvenibus credi hoc illa ætate facile poterat. Multi Iudæorum atque Ethnicorum ad Chriſtianam religionem accedentes pluribus uxoribus utebantur. Sed nullus Polygamiæ locus inter Chriſtianos dandus erat. Itaque Paulus huius generis homines vetat doctores coetuum eligi. Erant etiam in Ex-Iudæis, qui iniquo olim divortio uxorem dimiſerant, quæ ſi ſuperabat, digami illi dicendi erant, & ipſi ab eccleſiaſtico munere arcendi. Neque tamen eſt quod credamus, Chriſtianis ante veriora ſacra recepta polygamis, abiiciendas fuiſſe plures una uxores. Denique hoc loco nequaquam polygamia ſucceſſiva, qua ſcilicet uxores uxoribus fato functis ſuccedunt, prohibetur. Πλήκτης v. 3. non eſt *percuſſor:* id enim nomen in Orbilios potius cadit, quam in epiſcoporum quempiam; ſed *contumelioſus*, & aſperitate linguæ gravis. Verſus 13. hæc traditur commode ſententia: Diaconi qui aliquamdiu munere ſuo recte functi ſunt, gradum ſibi ipſis egregium parant adſcendendi ad munus epiſcopale, potiunturque fiducia, religionem Chriſtianam publice docendi, exerciti quippe in διακονίᾳ ſua frequentibus docendi, cohortandi & comminandi occaſionibus.

Eiusdem Capitis III. v. 15. Eccleſia Chriſtiana univerſa dicitur

Digitized by Google

citur ϛύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας; hoc eſt ſuperſtructa fundamento veritatis divinæ, a Chriſto & Apoſtolis propoſitæ. Epheſ. II, 20. Nec ulla eſt eccleſia vera, id eſt, veritatis coeleſtis tenax, quæ ſibi id nomen non iure vindicet. Ita Heumannus noſter cum interpretum antiquiorum plerisque verba hæc cum v. 15. coniungit. Sed recentiori ætate permulti eadem verba: ϛύλος κ. τ. λ. principium v. 16. conſtituerunt. Quod quo primum conſilio factum ab illis ſit, inquirit & oſtendit V. D. Utebantur, inquit, Eccleſiæ Pontificiæ promachi, Bellarminus & Becanus, his honorum titulis, quæ univerſali eccleſiæ tribuuntur, ad auctoritatem ſuæ ſtabiliendam. Suam eccleſiam prædicabant ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, & qui ab ea alieni eſſent, hæreticos iure adpellare ſibi videbantur. His egregie quidem a Beza iam reſponſum fuerat, male eos gloriari honoribus, Eccleſiæ duntaxat *verae*, h. e. doctrinæ purioris obſervanti, propriis, cum a primæva veritate coetus eorum longiſſime diſceſſerit. Hæc talia autem Pontificiis exprobrare Reformati in Galliis doctores non audebant. Ergo modum comminiſcuntur, ſpeciem quoque omnem præſidii adverſariis ſuis ex hoc loco adimendi. Quid multa? Iac. Cappellus, Andr. Melvinus, Ioh. Camero & Ioh. Fabricius in eo conſentiunt, verba ſæpius laudata non Eccleſiæ, v. 15. ſed doctrinæ de Chriſto, v. 16. attribuenda eſſe. Venit Lutetiam ad Caſaubonum Melvinus, eique narrat inventum. Parum autem illi placuiſſe declarant Caſauboniana pag. 92. edit. Wolf. ubi poſtquam rem retulit, Mira novitas! inquit. Itaque hæc interpretatio, ignota veteribus, formidinem habuit parentem, poſtea ſumma diligentia ab amicis ſuis ornata fuit. Diſiicit eorum argumenta Ven. Heumannus, monetque tandem, ſæpius erroneam interpretationem, ſed eandem ſpecioſam, pro vera reputari, præſertim, ſi ea dogmatibus Script. S. conſentanea, prætereaque utilis ſit ad confirmandas ſententias alias. Hunc eſſe v. c. fontem vulgaris interpretationis loci Ioh. V, 39. ubi τὸ ἐρευνᾶτε manifeſto Indicativus ſit. Εὐσέβεια v. 16. non eſt *pietas*, ſed *religio*, quo ſenſu eadem vox Cap. VI. v. 5. apud *Theophilum* Antioch. ad Autolyc. Lib. II. C. I. aliosque complures,

Digitized by Google

res, legitur. *Myſterium pietatis* quid ſit, nemo videt; *myſterium religionis* omnes capiunt. Proſequamur potiores huius verſus phraſes: Ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι; miraculis edendis clariſſime demonſtravit, ſe eſſe filium Dei. Ὤφθη ἀγγέλοις; viſus eſt ab angelis: quod factum non ſolum tum eum referunt Evangeliſtæ, ſed repetitum ſæpius a ſanctis geniis, admirantibus has ſervatoris ærumnas, vexationes, mortem denique humani generis cauſſa ſuſceptam. Ἀνελήφθη ἐν δόξῃ; de adſcenſu Chriſti in coelum poſtremum dicit Apoſtolus, ut maxime memorando & divino Servatoris inter homines opere pondus orationi, attentionem lectoribus, adderet.

Cap. IV. v. 1-5. defectio Eccleſiæ Romanæ a prima doctrinæ Chriſtianæ ſinceritate prædicitur. Quæ explicatio communis Proteſtantium, non temere adoptata eſt, facileque & ſolide probatur. Id præſtitit *Hunnius*, libro de apoſtaſia Eccleſiæ Romanæ, *Ioſeph. Medus*, de apoſtaſia noviſſimorum temporum, alii; idem feliciter docet Auct. Doctiſſ. p. 280. ſqq. qui etiam cauſſas acute inveſtigat, cur ex tantis R. Eccl. erroribus ſolum coniugii & ciborum quorundam interdictum producatur: ſcilicet utrumque graviſſimorum peccatorum & malorum foecunda mater exſtitit. Prælectio Scripturæ Sacræ v. 13. non privata eſt ſed publica, a Timotheo in coetu Chriſtiano facienda.

Cap. V. v. 11. 12. hoc modo illuſtratur. Viduas iuniores ad munus diaconiſſarum admitti Paulus non vult. Fieri enim poteſt ut captæ laſcivia, deſint voto ſuo, iterumque animum ad ineundum coniugium adpellant. Quodſi revera agant, multum fama earum patitur, quippe quæ ſanctis promiſſis ſuis non ſteterint. V. 17. 18. V. D. exiſtimat, presbyteros ſeu Seniores, muneri ſuo ſatisfacientes, eſſe Diaconos, eos autem quorum opera in docendo verbo Dei verſatur, Epiſcopos & Presbyteros, proprie ſic dictos. Τιμὴ non *honorem* denotat, ſed *praemium*.

Sunt ante oculos ex reliqua huius Voluminis parte bene multa, commemoratione noſtra digniſſima. Sed iam paucis con-

Digitized by Google

contenti ſimus ex *poſterioris Epiſtolae* exegeſi. Cap. II. v. 6. 7. ænigmatico & parabolico ſermone utitur Apoſtolus. Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν. Νόει ἃ λέγω· δῴη γάρ σοι ὁ Κύριος σύνεσιν ἐν πᾶσι. Audiamus Heumannum has nebulas diſpellentem. Cohortatur Timotheum Paulus, ut primus ſit qui doctrinæ ſuæ fructus metat, h. e. ut virtutes Chriſtianas, quas coetui ſuo commendat, primus exemplo ſuo ſpectandas exponat. Hoc monitum voce ab agricolis petita expreſſit Apoſtolus, ut pudori diſcipuli ſui parceret, quem ætas ſua nonnumquam a ſeveritate officiorum abducere poterat. Unus ex omnibus interpretibus Clarius eandem his verbis ſententiam tribuit. Ὀρθοτομεῖν v. 15. plerique de recta legis & evangelii diviſione, doctoribus Chriſtianorum obſervanda, capiunt. Sed vox τέμνειν in compoſitione non ſemper ſecandi & diſſecandi notionem retinet. Veluti ergo καινοτομεῖν eſt: novas res moliri, ita ὀρθοτομεῖν erit: recte aliquid facere. conſ. *Suicer.* Th. Eccl. T. II. p. 508. qui etiam addit, τοὺς ὁ Prov. III, 6. & XI, 5. ישר quod eſt *rectum facere*, reddidiſſe ὀρθοτομεῖν. Cap. III. v. 1 - 7. parallelam cum Cap. IV. prioris Epiſtolæ explicationem inſtituit & roborat Ven. Heumannus. Subiungimus denique v. 13. Capitis IV. ubi Paulus: ἐρχόμενος φέρε καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας. Hæc Noſter iam Parergor. Göttingenſ. L. IV. p. 125. ſqq. explicata dedit, hoc autem loco breviter repetit. Βιβλία ſtatuit eſſe Biblia Græca, hoc enim illis nomen fuiſſe, Syracidis præfatio docet, in qua libri divini in tres claſſes diſpeſcuntur: ὁ νόμος, καὶ αἱ προφητεῖαι, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν Βιβλίων; ita enim hæc vox ſcribenda, non βιβλίων. Τὰς μεμβράνας vero interpretatur Biblia Hebraica, quæ nonniſi membranis inſcribere licebat, demonſtrante *Schickardo* de iure regio Hebræorum pag. 89. Nec aliter *Theodoritus* ſentit apud *Suicerum* T. II. p. 341. Paulus certe, vir copia docendi a Spiritu S. inſtructus, non potuit hoc loco alios libros poſcere tamquam neceſſarios, quam Textum Hebræum, & Verſionem Græcam; illum quidem ad convincendos Iudæos, hanc ad erudien-

dos

Digitized by Google

dos ethnicos, Hebrææ linguæ ignaros. Dicit autem *μάλιϛα*, ut ſignificet, Hebræum textum ſibi maxime curæ eſſe. Ex locis *Chryſoſtomi* duobus, excitatis a *Suicero* T. I. p. 687. 696. patet, a Græca Eccleſia omnem Script. Sacram *Βιβλία* dictam fuiſſe, nomine primum Verſioni duntaxat Alexandrinæ proprio. Igitur & verſu noſtro maiuſculo B ſcribenda vox fuerit.

His nos exemplis, e tanta multitudine, docte atque ingenioſe in hac Parte obſervatorum, depromtis, adquieſcimus. Sed quo propius præclari operis exitum ſpectamus, eo cupimus magis, nihil ut Venerandum Auctorem in curſus parte reliqua moretur, moleſtiæ nullæ, nulla ætatis ſenilis incommoda. Qui omnem vitam litterarum & rei ſacræ commodis dicatam voluit, dignus is omnium iudicio habetur, qui laudibus perfecti operis excellentis tranquillus & vegetus interſit, quod extremis annis coeptum, incredibili alacritate urſit, quod nemo intelligendi Codicis S. inter nos ſtudioſus non vehementer optet primo quoque tempore plenam attingere maturitatem.

ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΦΟΙΝΙΣΣΑΙ. *EURIPIDIS TRAGOEDIA, Phoeniſſae. Interpretationem addidit H. GROTII; Graeca caſtigavit e mſctis, atque adnotationibus inſtruxit; ſcholia, partim nunc primum evulgata, ſubiicit, LUDOVICUS CASP. VALCKENAER.*

Franequeræ 1755. typis & ſumptibus Iacobi Brouwer, Alphab. 4. plagg. 18. in 4.

Inſcribitur hæc editio regiæ Principi, Annæ, Belgii Foederati Gubernatrici. Et merebatur tam ſplendide in lucem emitti hæc Euripidis Tragoedia, ſiquidem præceptis ad vitam bene informandam referta eſt. Eadem de cauſſa *H. Grotius* eam latino verſu expreſſerat, quæ quidem hic ſimul repetitur. Editiones anteriores recenſentur in Præf. p. 7. ſeqq. ubi inter cetera, laudibus, quas in illam multi congeſſerunt, plane indigna eſſe iudicatur editio *Barneſii* Cantabrigien-

 ſis.

Digitized by Google

ſis. Inter reliqua ſubſidia, eſt inſigne exemplum Scholiorum Hervagianum, a *Tryllitſchio* cum Auguſtano Codice MSto collatum, & a Cl. *Reiskio* cum Editore communicatum. *Georgius Fridericus Tryllitſchius* ille natus fuit in agro Lipſienſi anno 1688. & poſtquam ſuæ quædam divulgaſſet doctrinæ monumenta, conſilio quod ceperat edendi Γzetzæ Προομηρικὰ, Ὁμηρικὰ & Μεθομηρικὰ, intermortuus eſt Wittebergæ A. 1715. Sed de his Scholiis, quæ in calce comparent, ſuo loco plura monebimus.

Grotii igitur verſio opponitur contextui Euripidis Græco. Fuit autem Grotius feliciſſimus, ubi verba veterum poetarum Græcorum in latinos verſus transferenda eſſent; non æque felix in corrigendis librariorum erroribus. Textui ſupponuntur adnotationes criticæ Cl. Valckenarii, plenæ interioris eruditionis. Excerpimus ex iis, quæ lectorem φιλέλληνα ad lectionem ipſius operis excitare poſſint. Itaque p. 5. obſervatur, Ioſ. Scaligerum, in Tragicorum Latinorum ad Græca comparandis reliquiis, verſatum fuiſſe feliciſſime. Pag. 10. ille verſus Euripidis

Ὁ δ' ἡδονῇ δοὺς, εἴς τε βακχεῖον πεσὼν,

ſequentibus illuſtratur. Vinum non raro dicitur βάκχιος, ut in Eurip. Cyclope v. 517, 572. Oeneo, ap. Athen. XV. p. 666. c. in Stobæi Phyſ. *Grot.* p. 147. Moſchio: βακχίου γλυκεῖα πηγή. poculum Antiphani memoratur βακχίου παλαιγενοῦς, Athen. XI. p. 472. A. loco, quem ex Epit. protulit *Caſaub.* Anim. in Ath. XI. c. 6. p. 781, 55. in quo ſi poſueris παντελῶς ἐςεμμένοι, proderunt ad emendandum verſum ſecundum *Valerii Flacci* I. 260. *valido ſpumantia pocula Baccho.* Pag. 12. ad verſum illum,

[Ὅθεν νιν Ἑλλὰς ὠνόμαζεν Οἰδίπουν]

obſervatur, amare Tragicum noſtrum ἐτυμολογεῖν, atque ob eam inſaniam merito quoque fuiſſe a Comicis irriſum. Nimium ſtudium Etymologiarum deinceps exemplis docetur. Pag. 25. de *Io. Kingio*, cuius editionem omnium emendatiſſimam ſibi in primis expoliendam ſumſit Editor, ſequens reperitur iudicium. „Quid in Anglicis (codicibus) invenerit Kingius, latet; nam

Digitized by Google

nam eas tantum ferme memorans e ſuis Codd. lectionum diverſitates, e quibus metrum poterat in choricis refici, reliquas, tanquam minutias, neglexit, iudex ſanequam in his cernendis minus idoneus, & metricarum rationum longe quam Græce peritior.

Poſt Prologum Iocaſtæ p. 32. etiam paraphraſis Græca Textus ſubiicitur: quod magnam utilitatem habet. Locus dein memorabilis occurrit p. 73. ad hæc verba Euripidis:

Τύριον οἶδμα λιποῦσ', ἔβαν
Ἀκροθίνια Λοξίᾳ
Φοινίσσας ἀπὸ νάσου.

Iter hoc veteres Grammatici ſibi deprehendiſſe videbantur impeditiſſimum: nam quomodo Tyro Thebas profectæ, per Ionium mare vectæ, Siciliam præternavigaſſent Phoeniſſæ? Euripidea verboſe ſibi ſumſit, alieniſſimo loco, tractanda *Samuel Petitus*, Comment. in leges Att. p. 50. 51. 52. multa præfatus, *Φοινίσσας νάσου* nomine non Tyrum, ſed inſulam quandam, (Melitam, vel Gaulum,) intelligendam eſſe, ſitam inter Africam & Siciliam, & *Φοίνισσαν* dictam, quia Phoenicibus habitaretur colonis. Verum, utique Tyrum appellari *Φοίνισσαν νᾶσον* cenſet Cl. Valckenaer, & ſententiæ ſuæ vadem dat Hemſterhuſium in Lucian. I. p. 87. Porro, ſententiæ Euripidis:

Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακά,
Ἐτεόκλεες, πρόσεστιν·

lux p. 194. adfertur ex Eraſmo in Adag: *Eam auſculta, cui quatuor ſunt aures.* Sed & alius ſimul locus Euripidis, qui legitur vitioſe apud *Stobaeum* Tit. CXIV. p. 585. v. 15. ſic reſtituitur pag. 195.

Ὦ παῖ, νέων δρᾷν εὐτονώτεραι χέρες·
Γνῶμαι δ' ἀμείνους τῶν γεραιτέρων πολύ.

Acerbiſſimo (p. 204.) ioco, ſuis in Phoeniſſis, traduxit Euripidea *Strattis* Comicus, loco, quem Polluci debemus, IX. 124.

Εἶθ' ἥλιος μὲν πείθεται τοῖς παιδίοις
Ὅταν λέγωσιν, Ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε.

Ita invitabant pueri ſolem ad emicandum, ſi quando nubibus tegeretur, inquit *Io. Camerar.* utriusque ling. Comm. p. 326.

52. Ad quem vero locum Euripideum pertineret illud Strattidis, vidit nemo præter *Grotium* in Proleg. p. 18. ſed qui nimis ingenioſe philoſophatur. „Quantum intelligo, ait Cl. Editor p. 204. poſtremum illud verſus Euripidei,

Εἶθ᾽ ἥλιος μὲν, νύξ τε δουλεύει βροτοῖς,

de Sole Lunaque poſitum, δουλεύει βροτοῖς, Comico riſu videbatur excipiendum; nec enim Solem magis dici poſſe δουλεύειν βροτοῖς, quam pueris πείθεσθαι, quando, his inter ludendum clamantibus, ἔξεχ᾽ ὦ φίλ᾽ ἥλιε, nubibus tandem emicaret.

Ad verba Euripidis:

— — ἀληθῶς δ᾽ ὄνομα Πολυνείκην πατὴρ
Ἔθετό σοι θείᾳ προνοίᾳ νεικέων ἐπώνυμον.

p. 244. ſui nominis quoque hominem dici Nabalem, ait, in Alexandrina verſione 1 Reg. XXV. 25. κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ αὐτός ἐστι· Νάβαλ ὄνομα αὐτῷ, καὶ ἀφροσύνη μετ᾽ αὐτοῦ. כבל
שמו ונבלה עמו. Pag. 283. dicit Euripides, ſibi nomina ſeptem ducum Thebanorum ediſſerere non eſſe otium. *Grotius* Prolegom. p. 31. putat, Aeſchyli reverentiam eo demonſtraſſe Euripidem, quod de ſeptem Thebanorum ducibus locum præteriret, ab illo eximie tractatum, (in Septem adv. Theb. v. 413 - 680.) Contra, R. P. *Brumoy* in Theatro Græcorum T. IV. p. 178. dicit, „ſi l'on y regarde de près, il paroit qu' Euripide donne ici un trait de ſatyre aſſez fin a ſon prédeceſſeur." Verum eſſe iudicat Editor V. C. quod ſuſpicabatur Brumoy, addens, quod hic fieri paucis poſſe deſperarit Euripides, quinque verſibus artificioſiſſimis complexum eſſe *Statium* Theb. VIII. 353. Ogygiis it ſorte Creon; Eteocla mittunt Neïtæ; celſas Homoloïdas occupat Hæmon; Hypſea, Proetides; celſum fudere Dryanta Electræ; quatit Hypſiſtas manus Eurymedontis; Culmina magnanimus ſtipat Dircæa Menoeceus.

Pag. 321. Augmentum ab Atticis Poetis non omitti, monet *Rich. Dawes* Miſcell. Crit. p. 267. Sed, quod ſcribit p. 346. *hoc nos primi fortaſſe monemus*, recte notatur. Addit enim Noſter: qui recentiorum ſcripta perpauca legimus, multa tanquam nova miramur, quæ dudum aliis venerant in mentem.

Pulcerrimum Euripidis verſum 1252. Ἔστιν

Digitized by Google

"Εσαν δὲ λαμπρῶ, χρῶμά τ' ἐκ ἠλλαξάτην,
non minus pulcre reddidit Grotius: *Stabant micantes (manſerat vultu color.)* Hic laudatur *Muretus*, V. L. 5, 17. cum hoc verſu conferens illud Horatianum: *furit te reperire atrox Tydides;* qui Euripidea quoque more ſuo ita venuſte convertit: *Steterunt coruſci, vultu eodem quo prius, Haſtam furentes mittere alter in alterum.*

P. 426. illuſtratur igniſpicina. In igniſpiciis flammam potiſſimum ſpectabant, quo modo ſe per auras explicaret. *Seneca* Oed. v. 309. Utrumne clarus ignis & nitidus ſtetit, Rectusque purum verticem coelo tulit, Et ſummam in auras fuſus explicuit comam? An latera circa ſerpit incertus viæ, Et fluctuante turbidus fumo labat? *Statius* Theb. X. v. 593. Sanguineos flammarum apices, geminumque per aras Ignem, & clara tamen mediæ faſtigia lucis Orta docet; tunc in ſpeciem ſerpentis inanem Ancipiti gyro volvi, frangique rubore Demonſtrat dubio. Ignium flammas, ſive flammarum apices, etiam crines appellabant. *Valer. Flaccus* I. v. 205. Protulit ut crinem denſis luctatus in extis Ignis, & adſcendit ſalientia viſcera tauri. Dicebantur etiam πώγων πυρὸς, barba ignis, &, ſi vigor flammæ deſineret in acutum, obeliſcus.

Pag. 453. monet Eruditiſſ. Editor, illud ἐκ ἔτ' εἶναι, vel ἐκ εἶναι, veteribus tritiſſimum, quum de vita functis forte legeretur Matth. II, 18. effugere non potuiſſe, quin ſimilium exemplorum oneraretur acervis; in quibus congerendis infructuoſe diligentes ſint collectores lectionum variantium, a quibus negligantur alibi lectiones multo meliores, e quibus contextus erat expoliendus, & centena negligantur in Paullinis tenebricoſa. Idem, pag. 519, minime diſſimulans peccata Auctoris ſui, obſervat, Euripidem Oedipum, ut huius fugam partem faceret luculenti dramatis ultimam, quam rectius fortaſſis prætermiſiſſet, triſtiſſimam quidem illam, ſed commovendis ſpectatoribus minus accommodatam, quam fuere priora, ſub finem Tragoediæ in ſcenam producere. Suadet poſtea p. 529. pro verbis Poetæ: v. 1561. ſq.

Τέκεσι μασὸν ἔφερεν, ἔφερεν,
Ἱκέτις ικέταν ἀιρομένα.

 legi:

legi:

῾Ικέτις μ᾽ ἱκέτιν ἀνόρϑωσα.

& adiicit, eam quidem matrum fuiſſe, filios a periculis vel flagitiis, ſupplice velut mamma, dehortantium conſuetudinem, quæ in vulgata lectione indicatur. Sic Hecubam, ut Hectoris flecteret conſtantiam, nudum ſinum reduxiſſe: Κολπὸν ἀνιεμένη, ἑτέρηφι δὲ μαζὸν ἀνέχεν, *Hom.* Il. x. v. 80. Clytæmneſtram idem facientem, quum iamiam eſſet ab Oreſte contrucidanda, induci ab Aeſchylo. Sic Chereæ matrem, in Charitonis L. III. p. 52. προτείνουσαν τὰς ϑηλὰς, τέκνον, φησὶ, τάδε τ᾽ αἴδεο, καί μ᾽ ἐλέησον. Per Editoris emendationem verſus evadit Paroemiacus, ac multo aptior huic loco. Denique ad v. 1659.

Ναὶ πρὸς σὲ τῆσδε μητρὸς ᾽Ιοκάστης, Κρέον.

hæc adferuntur: Ναὶ in talibus obteſtantis eſſe; vid. *Caſaub.* in Matthæi XV, 27. & *Dan. Heinſii* lect. Theocrit. c. IX. p. 325. b. *Quinimo Creon, per ego te matrem Iocaſten iſta rogo.* Ubi Tibullus, ſeu quis alius ſuaviſſimi carminis auctor, L. IV. El. V. v. 8. per te, dulciſſima furta, Perque tuos oculos, per geniumque rogo. *Broukhuſius*, elegantiæ, inquit, Romanæ eſt, ubi præpoſitio a ſuo caſu disiungitur, inſerto prænomine. Adiicitur *Virgilii* locus in Ciri, v. 326. Per te ſacra precor. reliqua. Librum deſcribere oporteret, ſi, quidquid hoc commentario elegans & exquiſitum eſt, excerpamus. Igitur hic excerptorum finis eſto.

Sequuntur Scholia veterum Grammaticorum, ex Codd. Mſtis, Leidenſi Codice, & præſertim Auguſtano, ſuppleta, emendata, & nunc primum locis plus quam ducentis locupletata, & notis inſtructa. Ex Adnotationibus hæc delibamus: Errorem Bibliothecæ Græcæ Fabricii emendaturus, de Ecphanto, „Cur hæc ſcripſerim (ait p. 598.) adparebit *Fabricii* B. G. conferenti T. I. p. 659. ubi tanquam ſcriptor antiquus proſtat Ecphantus, [qui erat ſocer Laii]. Eſt in iſtis indicibus hoc errorum genus nimis frequens." Ad ἀπαιδίας τὴν αἰτίαν, ait: „Grammaticum, (p. 599.) ſcripſiſſe ſuſpicabar, τῆς ȣ παιδογονίας τὴν αἰτίαν — Iſta talia ſunt in Alexandrina V. T. converſione nonnulla, ducta tamen ex Hebræo fonte: II. Paralip. XV, 3. ἡμέραι πολλαὶ

λαὶ τῷ Ἰσραὴλ ἐν ὀ θεῷ ἀληθινῷ, καὶ οὐχ ἱερέως ὑποδεικνύοντος, καὶ ἐν ὀ νόμῳ. Vid. Devter. XXXII, 21. Hoſeæ VIII, 6. Ieſaiæ LV, 2. Ierem. Thren. I, 6. Pſalm. CVI, 40. Eccleſ. VII, 18. X. 11. Quos Ignatius vocat ψευδιερεῖς, aliis οὐχ ἱερεῖς, & μὴ ἱερεῖς dicebantur, recentiorum corrupta pronuntiatione μιερεῖς. vid. *Car. du Cangius* Gloſſ. M. & I. G. in Μιερεὺς, & *I. B. Cotelerius* ad Epiſt. Barnabæ c. IX. p. 28. ad Conſtit. Apoſtol. II. c. XXVIII. p. 245. Ad πάντας οἴακας (p. 615.), emendando πάντως, ita ſcribit: „Duo in una nave fuiſſe gubernacula, quia Lucas meminerat τῶν πηδαλίων, a multis ſæpe fuit oſtenſum; illa Philopatoris Ptolemæi ναῦς τεσσαρακοντήρης, quæ quatuor habebat, δίπρωρος erat, καὶ δίπρυμνος, atque adeo mirifica.“ Ad p. 691. notat: Ἀμύνασθαι poni pro χάριτας ἀποδιδόναι, gratiam referre. Addit: Cum Thucidideis rectius, Budæo citata, contuliſſent *Ariſtotelis* verba e Problem. Sect. XXIX. p. 206. v. 6. verum ſermonis elegantiæ minus ſtudioſum Philoſophum, non adhibent, in talibus, Grammatici.

DISQUISITIO CANONICO-PUBLICA DE CAPItulorum Metropolitanorum & Cathedralium Archi- & Epiſcopatuum Germaniae origine, progreſſu, & Iuribus, Regimine praeſertim territoriali interimiſtico, ſede vacante, eiusque uſu & abuſu, Auctore M. C. ICto.

Amſtelodami, Francofurti, & Lipſiæ 1758. impenſis Palatinianis, plagg. 13. in 4.

Iura hæc Capitulorum duplicis ſunt generis: alia, quæ *ſede occupata*, alia quæ *vacante* aut *impedita ſede*, competunt. Quæ priore caſu Capitulorum partes ſint; quin & quo usque ſede vacante vel impedita in exercitium iurisdictionis eccleſiaſticæ ſubintrent, Canones clare definiunt. At vero de adminiſtratione interimiſtica, ſede vacante, mire variant Doctores. Quare operæ pretium Auctori viſum eſt, de hac diſquirere.

Iam Canonicorum *in genere* originem S. Auguſtino tribuunt; in Eccleſia autem *occidentali*, primos huius inſtituti fontes aperuit S. Chrodogangus, Epiſcopus Metenſis, Seculo VIII. Sum-

Summa regulæ Chrodogangi hic ſiſtitur ex *Boehmeri* I. Eccleſ. T. II. Differentia præcipua inter Monachum & Canonicum hæc eſt, quod Monachus paupertatis voto obſtrictus ſit, quum Canonico permittatur, pro Miſſis & confeſſionibus aliquid accipere. Vivebant tamen Canonici, ut Monachi, primum in vita communi, utentes communi dormitorio, communi refectorio; ſed hic mos eorum pedetentim in deſuetudinem abiit. Temporalia autem bona Epiſcoporum, a Capitulis, primum ſede vacante non adminiſtrabantur, ſed cedebant ea nomine Regaliarum Imperatoribus; quas Regalias Reges Galliarum hodienum indubio uſu habent. Sed in Germania Otto IV. a. 1198. huic regaliarum iuri renuntiavit. Eodem tempore ius ſpolii quoque ab Imperatoribus amiſſum eſt. Tum demum Capitula, conniventibus & tolerantibus Imperatoribus, ſede vacante temporalia Epiſcoporum adminiſtrare coeperunt. Imperatoribus vero nihilominus liberum manſit, Regaliarum & iurium territorialium exercitium etiam aliis committere; unde Conſultiſſ. Auctor cogit, Capitulis cathedralibus neque in ſacris, neque in profanis, vicariam regiminis poteſtatem, ex radicato quodam & proprietario veluti iure, competere; idem & de poteſtate vicaria in ſecularibus negotiis evictum it. Unde Capitula, ex iure quodam accreſcendi, ad adminiſtrationem interimiſticam vocari negat, & eorum poteſtatem, ſede vacante, potius tutoriam atque adminiſtratoriam eſſe, contendit, remota obiectione, qua Capitulum tamen, vivo etiamnum Epiſcopo, in partem ſollicitudinis vocatum, & unum velut cum eo corpus conſtituere, videri poſſet. Reſtringit deinde hanc poteſtatem ad ea tantum, quæ ſunt iurisdictionis, & moram haud ferunt: ad ea autem, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, ſe extendere negat; ſicut nec ad ea, quæ ex privilegio, aut iure ſpeciali, perſonæ Epiſcopi competunt, eam pertinere vult. Sede igitur vacante, Regalia & territorialia iura, ſub ſolis auſpiciis Cæſareis adminiſtrari concludit: qua occaſione Regiminis Capitulorum Interimiſtici naturam & indolem uberius explicat. Oſtendit deinceps, ipſis Epiſcopis, ſedis vacantis regimen interimiſticum ſalutaribus

Digitized by Google

bus Conſtitutionibus ordinare, integrum eſſe; ſimul cauſas recenſet, reſtringendæ poteſtatis Capitulorum, ſede vacante. Docet tum, relinquenda omnia in eo ſtatu, in quo fuerint tempore defuncti Epiſcopi, neque in regiminis territorialis forma quidquam immutandum. Adumbratur ex his ita dictis iuſtum vicarii Capitulorum regiminis territorialis exercitium, ubi ex Moſero obſervat Conſultiſſ. Auctor, ſeculo ſuperiori, ſede epiſcopali vacante, Capitulum Bambergenſe ius monetandi exercere voluiſſe, ſed fiſcum Cæſareum, interveniendo, actutum, ut a coepto deſiſteret, effeciſſe. His conſequenter ei fructus & reditus Cameræ Epiſcopalis, ac Regalium, futuro Epiſcopo aſſignandi; Capitula autem, ſede Epiſcopali vacante, ad Comitia vocanda videntur. Decidit nunc quæſtiones, p. 35. I.) An ſede vacante Capitula immediata fiant? II.) An inter Status Imperii connumeranda ſint? negative, ex ea inprimis ratione, quod Capitula Tutorum inſtar ſint bonorum Epiſcopalium, omnis autem tutor maneat in priſtino ſuo ſtatu, nec ſubeat in locum dignitatis pupilli patris defuncti. Contrariam ſententiam defenderant *Boehmerus* I. Eccl. Proteſt. L. III. tit. 9. §. 23. & *de Meiern* Act. P. Weſtph. T. II. p. 649. ſeqq. Addit, multo minus Capitula ad Statuum Imp. qualitatem evehi, aut ius Auſtregarum proprio nomine exercere poſſe. Enumerantur ulterius quædam Principum Eccleſiaſticorum Regalia, Iura, & prærogativæ, quæ ſede vacante a Capitulo haud exercentur. Tale eſt ius eligendi Imperatorem, ius Archicancellariatus, Directorii comitialis & circularis, utpote quæ Principum perſonis inhærere intelligantur; expoſita ſimul ratione, cur nihilominus directorialia Epiſcoporum munia, ſede vacante, a Capitulis continuentur. Sequitur differentia Epiſcopatuum Germaniæ ab Epiſcopatibus aliorum regnorum. Enumerantur ultimo loco XX. abuſus poteſtatis vicariæ Capitulorum, ſede vacante. Abuſus I. eſt, quando Capitula, ſede vacante, ius ſpolii ſibi vindicant. Abuſus II. eſt, quando Aerarium Principis & Eccleſiæ a Capitulo dividitur. Abuſus III. eſt, cum leges a defunctis Principibus latæ abrogantur: aut, qui Abuſus IV. eſt, novæ plane conduntur, perpetuo valituræ. Abu-

ſus V. eſt, quando Capitula, ſede vacante, ad Archiva Principis ſolitarium acceſſum ſibi vindicant, aut ex ſcriniis publicis Cancellariæ Acta depromunt. Abutuntur VI. Capitula poteſtate ſua ſede vacante, Conſiliarios aliosve Principis Officiales & Adminiſtros ab officiis amovendo: ubi deploranda atque miſera Epiſcopatuum conditio graphice deſcribitur in §. XL. & obiectio, quod alias Officialium delicta ſæpe impunita maneant, eliditur. Abuſus VII. eſt, quando Capitula Conſiliarios, aliosque Officiales, a Principe iuſtis ex cauſis ab officiis amotos, ſede vacante reſtituunt. Abuſus VIII. eſt, quando eadem, amotis ab officiis Officialibus & Adminiſtris, ſede vacante, a tempore amotionis ſalaria exſolvunt. Abuſus IX. eſt, quando Capitula ſede vacante Conſiliarios, aliosque Officiales, de novo creandi poteſtatem ſibi ſumunt. Abuſus X. eſt, quando ſede vacante Collectæ, tum Imperiales, tum Circulares, ad debitos fines haud impenduntur. Idem XI. de Collectis Provincialibus ſit iudicium. Abuſus XII. eſt, quando Capitulares, vacante ſede, ſe ſuosque a conſuetis oneribus eximunt: præſertim XIII. ſi exemtiones illas perpetuas intendant. Abuſus XIV. eſt, quando Capitulares, ſede vacante, cauſas iudiciales arduas ſententia definiunt. Abuſus XV. eſt, quando novas Proedriæ leges condunt. Abuſus XVI. eſt, quando Regalia Principis, venationum & foreſtarum diſtrictus devaſtant. Abuſus XVII. eſt, quando in Ius Politiæ novas ordinationes intrudunt. Abuſus XVIII. eſt, quando delinquentibus gratiam faciunt. Abuſus XIX. eſt, quando a rationibus ſucceſſori reddendis immunes ſe credunt. Abuſus denique XX. quando futurum ſucceſſorem, ad ratihabenda durante adminiſtratione vicaria geſta, iniquis Capitulationum nexibus adſtringunt. Anneſtuntur deinceps: I.) Conſtitutio Clementis XII. pro bona directione Conclavis, ac rerum ſede Apoſtolica vacante agendarum. II.) Reſcriptum Cæſareum anni 1698. ad Epiſcopum Wirceburgenſem, de Capitulatione eius cum Capitulo ſuo inita. III.) Concluſum Epiſcopi Wirceburgenſis contra Capitulum, puncto prætenſi Condominii. Laudem cordati, & rerum, quas tractat, peritiſſimi viri, nemo invideat,

deat Conſultisſimo Domino Auctori, & certe legi dignisſimum eſt Scriptum hoc ab omnibus, qui Statum hodiernum Archiepiſcopatuum & Epiſcopatuum in Germania penitius perſpectum habere cupiunt. Igitur avide exſpectamus alteram Diſquiſitionem, in præfatione promiſſam, *de Iuribus Capitulorum Metropolitanorum & Cathedralium circa Capitulationes, quas neo-electis Archi- & Epiſcopis praeſcribere ſolent, earumque abuſibus.*

Des teutſchen Reichs Münz-Archiv, ꝛc.

i. e.

ARCHIVI MONETALIS GERMANIAE, EX ARchivis & Actis Publicis fide dignis collecti a IOHANNE CHRISTOPHORO HIRSCH, PARS IV.

Norib. 1758. Alphab. 5. plagg. 14. tabell. 2. fol.

Prodeunt hoc Tomo 172. Ordinationes Monetales, quæ ab A. 1611. ad A. 1666. incluſive editæ fuerunt. Iacet hoc belli tempore res monetalis, ut fere omnes reliquæ pacis artes. Sed redibit pax, & tum demum acceptisſima omnibus, & utilisſima futura eſt hæc collectio, ubicunque ſeria remedia perditæ rei monetariæ parabuntur. Nec operæ nec ſumtibus pepercit Ill. Collector, quocum præclara hæc documenta, ex Archivis diverſorum Principum & Electorum, communicata fuerunt. Promittuntur hic etiam Supplementa huius & ſuperiorum trium Tomorum. Quædam enim nimis tarde ad Editorem venerunt. Solent nimirum vereri Archivarii Principum, ne publicatione Documentorum ſuorum Arcana domus evulgentur: qui metus certe vehementer improbandus eſt, propterea, quod arcana domus magnopere differunt a rebus iis omnibus, quæ Actis Publicis, qualia hæc ſunt quæ hoc libro egregio leguntur, continentur; fit etiam ſæpe, ut arcana domus putentur, quæ non ſunt, potius domus ſplendori inſervitura, ſi publicentur. Ordo Chronologicus ſi requiratur in hoc

 opere

Digitized by Google

opere a quibusdam, cogitent, eum non eſſe ſufficientem. Debent enim eiusmodi documenta ſecundum regiones æſtimari. Ne id adhuc fieret, impedivit Archivariorum iam commemorata tenacitas. Sed poterit id obtineri bonis indicibus. Archiva, e quibus depromtæ ſunt hac Ordinationes, nominare ſæpe vetuerunt ipſi illi qui cum Editore communicarunt.

Valuit A. 1622. Scutatus decem florenos. Contigit vero eodem anno Auguſtæ Vindelicorum, ut Reinmundus Imhof, Conſul Civitatis, civi cuidam 3000. Scutatos loco 30000. florenorum mutuo daret, interiectis autem ſex menſibus, 3000. Scutatos pro hac ſumma recipere nollet, contra quem reſponderunt duo Advocati Cameræ, tum Spirenſis, ex quorum Informato Extractus hic præmittitur. Sequitur I. Evalvatio præcipuarum ſpecierum auri & argenti, in pretio ſemper creſcente, ad valorem noviſſimæ Conventionis Auſtriacæ; II. Tabula, ex qua intelligi poteſt, quid detrahendum ſit, ſi præcipue nunc obviæ ſpecies auri arroſæ ſint, ad valorem quatuor aſſium, ubi rurſus creſcit valor ſpecierum. Idem III. in alia Tabella ratione Gallicarum ſpecierum maiorum argenti fit. Subiectus eſt etiam huic Tomo Index rerum locupletiſſimus, ex quo, quam multa rerum Germanicarum capita, iſtius Operis beneficio, illuſtrari poſſint, facili negotio intelligitur. Nos illuſtrem Editorem, cui vires & vitam precamur, vehementer rogamus, ut a coepto tramite demoveri ſe nulla re patiatur, laturus & noſtræ ætatis, & quæ ſequentur omnium, æquiſſima doctrinæ atque aſſiduitatis iudicia.

ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ Ο ΠΡΟΣ ΛΕΠΤΙΝΗΝ ΛΟΓΟΣ. *Harangue de Demoſthéne ſur les Immunités, ou contre la Loi de Leptine, traduite par GED. LE COINTE.*

Goettingue & Leide 1756. chez Elie Luzac Fils, 10 pl. in 8.

Operæ pretium faciunt, qui Scriptorum antiquorum libros, a noſtra ætate nimis remotos, vernaculis verſionibus,

Digitized by Google

tibus, ſed recte concinnatis, donant, atque noſtro ſeculo quaſi propius admovent, ut antiquæ eloquentiæ, doctrinæ, omnisque elegantiæ ſpecimina, tanquam veſtitu recentiori ornata clarius eluceſcant. Cui conſilio ſi Criticæ artis, ac Philologiæ ratio acceſſerit, qui illis inſtructus fuerit, peritis non minus linguarum, doctrinæque antiquæ Viris, operam ſuam mirifice commendabit. Atque hoc præſtitiſſe nobis viſus eſt, in edenda Demoſthenis hac oratione, *Ged. Cointius*, uſus ea ratione, eamque viam ingreſſus, ut tum linguæ Græcæ rudibus elegantiæ Græcæ aliquem ſenſum impertiret, tum peritis ingenium doctrinamque ſuam non leviter probaret. Is vero in præfatione huic libro præmiſſa conſilium ſuum ita aperuit, ut in Scriptorum Græcorum libris legendis intelligendisque recte diuque verſatus fuiſſe, ac de oratoria inprimis gravitate, vel elegantia, iudicandi facultatem, ex conſuetudine cum Græcis Latinisque Oratoribus hauſiſſe, videatur. Cum nempe verſionem Gallicam orationis Demoſthenicæ, ad Tourrelii & Oliveti exempla inſtituiſſet, hoc ſe caviſſe maxime, ait, ne a ſimplicitate veterum nimis deflecteret recentiori tempori accommodatior oratio; loquendi vero uſum ſtudioſe, quantum potuerit, ſervaſſe, ut ipſa illa antiqua ſimplicitas, quemadmodum in ſtatuis, vetuſto more factis, ornatisque, ita in doctrinæ ingeniique monumentis placeret. Commendat hoc loco inprimis variandæ commutandæque orationis artificium hoc, ut ſimplicem moderatamque fortiori ac vehementi (παθητικὴν vocant) apte interſeras, nec minus vehementis, quam ſimplicis orationis, perpetuitatem atque μονοτονίαν effugias. Qua de re eleganter ita præcepit, ac ſubtiliter, ut naturali ſenſu, veterumque diligentiori uſu videas adiutum. Tum, quæ ad noſtram orationem certius intelligendam pertinerent, de Senatu ac Magiſtratibus Athemenſium, omnique legum proponendarum abrogandarumque ratione, expoſuit, ipſiusque orationis argumentum ſubiecit. Leptines nempe, cum legem propoſuiſſet, ne quis dives eximeretur a ſumtibus publicis, ludis, χορηγίαις & talibus, de abroganda hac lege quæſtio orta eſt. Quæ cum ſpatium anni egreſſa

 eſſet,

Digitized by Google

eſſet, Leptines quidem, exacto hoc tempore, ex conſuetudine Athenienſium, immunis erat a poena, ſed ipſa quæſtio continuari poterat, & continuata eſt ab Aphepſione & Cteſippo. Demoſthenes igitur, qui Cteſippi cauſam defendere ſuſceperat, de abroganda lege hanc orationem habuit, eaque, quod ſcimus e Dionis Chryſoſtomi loco aliquo, ut abrogaretur impetravit. Sed ad ipſam rem venimus, quid noſter Editor praſtiterit oſtenſuri.

Verſio igitur huius orationis Gallica eam nobis tum diligentiam, ſi cum Græco textu compares, tum elegantiam ipſius idiomatis Gallici oſtendit, ut, qui ea uti velint, non minus delectatione aliqua frui, quam ad intelligendum verborum Græcorum ſenſum, eius ope pervenire poſſe videantur. Senſum verborum, ac ſententiam verbis pluribus incluſam, diligenter oratione Gallica expreſſit, ſingulorum quoque verborum notionem, quantum poſſet, non deſeruit. Habet autem lingua Græca admirabilem hanc brevitatem, ut paucis verbis, quorum nempe ſignificatio ac vis late pateat, ſententiam totam abſolvere poſſit, eademque verborum complexione aliquot ſententias comprehendat: quam brevitatem noſtrorum temporum ingenia ac linguæ non facile aſſequantur. Quapropter fieri non potuit, quin interpretatio hæc Gallica ſæpius copioſior eſſet textu Græco; duabus, vel pluribus comprehenſionibus, eandem Græcam periodum efferret; verba, quæ Græcus textus non habuit, adderet; ordinemque eorum inverteret, omninoque, ne nimia brevitate laboraret, ſenſum ſubinde augeret. In quibus non textum deſeruiſſe, ſed perſpicuitatem adiuvare voluiſſe, nobis viſus eſt. Natura autem linguæ Gallicæ quandam copiam deſiderat, cuius linguæ indolem ſpectare, & elegantiæ conformare orationem, Interpretis officium erat. Fecit autem interdum hoc, ut, quando Gallica verba Græcorum vim ſatis exprimere non viſa erant, notis margini adiectis, Græcarum vocum ſignificationem ac vim propriam diligenter exponeret. Quemadmodum vero diverſæ ceteroquin ætate ac regionibus linguæ, ſimilitudine hac inter ſe convenire quandoque ſolent, ut verborum quorundam

pecu-

Digitized by Google

peculiarem notionem alterius dialecti unum quoque verbum exhaurire poſſit: ita Gallicæ linguæ voces ac phraſes quasdam idiotiſmis Græcis eiusmodi reſpondere, ex hoc opere diſci poterit. Sic διορίζειν Græcorum, origine & ſignificatu, admodum ſimile eſt Gallorum *determiner:* ταράττειν ſubinde commode reddi potuit: *embarraſſer:* μέγα φρονεῖν ἐπὶ τινὶ, *ſe piquer d' être &c.* πολὺ μᾶλλον ἥρμοττε, *il ſeroit bien plus à propos:* τοῦτο ἐςι τὸ ἐπιτήδευμα τῶν &c. *c'eſt là un etabliſſement de gens:* μηδὲν φιλονίκει &c. *ne vous opiniatrez pour* &c. cuius generis plura alia exempla non addimus. Monuiſſe ſufficiat hæc, ut operæ pretium appareat, ſi quis elegantisſimam verſionem cum Græco textu comparare, illiusque ope huius elegantiam melius ſentire voluerit.

Sed occupabimus nos adhuc *Notis Criticis ac Hiſtoricis*, quas huic libello adiecit, recenſendis. Verſio enim ipſa cum maxime inſerviat commodis eorum, qui linguæ Græcæ diſcendæ operam impendunt: notæ Criticæ, de quibus dicemus, peritisſimis tantum linguæ Græcæ viris, exercendæ facultatis ingeniique ſui materiam ſuppeditant. Sunt illæ eius generis, ut *vel* de lectionibus ſervandis mutandisve decernant; *vel* verſionis rationem reddant; *vel*, quæ ad hiſtoriam orationis huius, omninoque reipubl. Athenienſis, pertinent, illuſtrent, ſingulisque verbis lucem interdum aliquam affundant. Ex priori genere, critico nempe, propoſitæ obſervationes, plerumque ea repetunt, atque confirmant, quæ *Marklandus*, *Taylorus*, *Wolſius*, in græco textu mutaſſent: quorum ſententiis nonnunquam ponderis aliquid, ex non contemnendis rationibus, addit. Quæ, quamvis maximam partem animadverſionum abſolvunt: tamen, quia non tam ad noſtram hanc editionem, quam ad eorum, qui antea de Demoſthene bene meruerant, opera pertinere videbantur, repetere hic noluimus. Sed in quibusdam aliis lectionibus iudicandis ſententiam illorum deſeruit, atque vel in novas conicctuτas abiit, vel textus vulgati lectionem defendit: v.g. ad p. 50. l. 13. οὐ μόνον ἱκανὸν σῖτον ἀπέςειλεν, ἀλλὰ τοσοῦτον κ. τ. λ. *Wolſius* mutaverat: τοσούτου, *tantillo pretio;* quam lectionem cum neque rei, nec texto

con-

convenire, certe neceſſariam non eſſe, noſter exiſtimaſſet, ſervavit τοσῦτον, *tantam copiam,* eiusque rei rationem ex contexto ac hiſtoria ſatis diligenter & copioſe reddidit. Ad p. 54. lin. 17. τότε, quod *Marklandus,* melioris ſenſus efficiendi cauſa, transpoſuerat, ſuo loco vindicavit, effecitque translatione Gallica, ut recte illo loco collocata hæc particula appareret. Ad p. 69. l. 17. ἐψηφίσασθε — ἐυεργεσίαν, *Taylorus* lectionem, in margine aliquo deprehenſam, ἐπιγαμίαν, (*ius matrimonii*) in textu collocaverat, deleto ἐυεργεσίαν. Quam coniecturam *Taylori* reiecit noſter, addita hac bona ratione, non debere textum temere mutari, niſi aut necesſitas poſtulaverit, aut ſuaſerit aliqua auctoritas: quod negligere ſæpius ſolent, qui, linguarum cognitione ſatis inſtructi, & ingenii naturali quadam facilitate, commodas elegantesque lectiones vulgatis, ex ingenio ſubſtituere poſſunt. Quo tamen loco vellemus, editorem noſtrum ex conſuetudine loquendi demonſtraſſe, ψηφίσασθαι τινὶ ἐυεργεσίαν, ſignificare poſſe: *tribuere alicui nomen ac dignitatem Evergetae,* ne cui *Taylorus,* ob hanc difficultatem, ſubſtituiſſe alteram lectionem videri poſſit. Ad p. 90. l. 15. &c. verba quædam vindicare texto ſtuduit, quæ *Taylorus,* tanquam e margine illata, demi voluerat: qui locus difficilis viſus eſt. Ad p. 136. l. 19. ὅπως — γενήσωνται, Indicativum cupit γενήσονται: quod non videmus. Ad p. 138. l. 19. cum negatio bis poſita difficultatem feciſſet, a *Tayloro* ſublata utraque erat. Vindicavit noſter alterutram, eamque ferri debere ſatis copioſe docuit. Oſtendunt hæc, Editorem noſtrum ſaluberrimis eſſe artis Criticæ præceptis inſtructum, nec ab ingenio deſtitutum. Admiſcuit his, ut diximus ſupra, eiusmodi obſervationes, quibus interpretationis ſuæ rationem redderet. V. gr. ad p. 51. l. 18. *quels, penſez-vous, que ſeront les ſentimens, quand &c.* ubi in Græco erat: *que penſez-vous, qu'il.* Solent enim verba *faciendi, dicendi, ſentiendi,* in eiusmodi contexto Græcis nonnunquam omitti. Ad p. 71. l. 9. vocem συκοφάντης illuſtrat, ac per *Traitre* reddi potuiſſe docet; quæ vox ſi non ſatis reſpondere videatur, tribuendum hoc eſſe linguarum in eiusmodi verbis peculiari

ratio-

rationi, obſervat. Ad p. 124. l. 9. verba: ὡς ἔπος εἰπεῖν, tanquam plane inutilia, non reddita eſſe, monet. At ſi quis eorum interpretationem tamen deſideret? Ad p. 129. l. 6. λέγειν, quod ſimpliciter poſitum erat, reddidit: *triompher.* Idem enim eſt ac: *dictitare, ſouvent dire.* Ad p. 141. l. 2. in verbo νεμεσᾶσθαι vidit *indignationem divinam, l' indignation du Ciel;* iisque putat reſpici ſuperſtitionem communem, quæ Nemeſin crederet humanis rebus proſperis invidere. Vis verbi hæc non deſiderat: de quacunque enim humana invidia, vel ira, dicitur; neque ſic ceteri Interpretes intellexerunt; contextus tamen non repugnat.

Hiſtoricas Notas addidit non paucas, intelligendis melius temporibus, quibus hæc ſcripta erat Oratio, & antiquitatibus Athenienſium profuturas: v. c. ad pag. 35. l. 6. de XXX. Tyrannis: ad p. 55. l. 12. de ἀντιδόσει, ea nempe conſuetudine, ut, ſi quis detrectandi ſumtus publici cauſa, ditiorem aliquem nominaſſet, isque, ſe ditiorem eſſe, negaret, huic ille permutationem opum offerret: ad p. 59. l. ult. de Democratia Athenis ſublata ac reſtituta: ad p. 63. l. ult. de pace Antalcidæ: ad p. 77. l. 29. de moenibus Athenienſium extructis, eluſaque, Themiſtoclis dolo, Lacedæmoniorum invidia: ad p. 79. de Chabria: ad p. 107. de Lyſimacho. Philologicæ obſervationes appellari poſſunt, quibus verba iudiciaria interpretatur: v. g. δίκη, εὐθύνη, διαδικασία ad p. 129. item: ἔνδειξις & ἀπαγωγή ad p. 136. vel, quibus imprecationum formulam ex Sophocl. Oedip. Tyr. repetit ad p. 136.

His indicatis, non dubitamus iucundum fore lectoribus noſtris, quod in Præfatione promiſit Editor, velle ſe, ſi hæc Interpretatio placuerit, edendis eadem ratione pluribus Demoſthenis Orationibus operam impendere. Quos eius labores tum ad intelligendam linguam Græcam idoneos; tum doctorum virorum ingeniis exercendis aptas; tum denique ob doctrinæ elegantiæque non rara veſtigia, cuivis idoneo lectori iucundiſſimos fore ſperamus, quinimmo confidimus etiam.

Digitized by Google

DE ALEXANDRO KNIPS MACOPPE, PRIMARIO in Patavina Academia Medicinae practicae Profeſſore, ac de duobus Remediis ab eo maxime illuſtratis, Mercurio, & Aponenſibus thermis, Commentariolum.

Patavii, typis Seminarii, plag. 9. 4 mai.

Plus iuſto tardius ad nos liber hic venit, iam ante tredecim annos typis vulgatus. Tamen, ne videamur voluntati eorum, qui ad nos ut perferretur curarunt, non obſequi, præcipua eius capita lectoribus exponere æquum fuit. Auctor libelli, *Nicolaus Scanagatus*, Veronenſis, tantopere a Macopio, omni vita adamatus fuit, ut tandem & fi-
Pag. 11. lii loco haberetur. Fuit autem *Alexander Knips* ex Germania oriundus, unde eius familia, cum altera Macoppiorum, olim Patavium migravit; ibi cum matrimonii iure inter ſe coaluiſſent, atque poſterior deficeret, prior, adeoque Alexander,
12. etiam in nomen & bona eius ſucceſſit. Isque hanc vitam Patavii 1662. ingreſſus eſt, & primis iuventutis annis Rhetoricam ab Octavio Ferrario, Philoſophiam & Mathematicam a Carolo Rinaldino & Geminiano Montanario, didicit, Anatomen a Dominico Marchetto. Ubi vero animum ad medendi artem applicuit, Ioanne Forti, Lycei Patavini Primario Profeſſore, & in Chirurgicis Antonio Marchetto, ducibus uſus eſt. Hinc, patre Ioanne Franciſco, Medicinæ faciendæ cauſſa, Raguſium accito, in diſciplinam Petri Florii, Medici Veneti, tranſiit; cuius commendatione cum Alexandro Farneſio, equeſtrium copiarum præfecto, primum in Dalmatiam, de-
13. inde in Hiſpaniam profectus eſt. Ut vero hic in primis gallici morbi; ſic apud Belgas, ad quos mortuo Farneſio mi-
14. gravit, ſcorbuti curationi vacavit. Ex Belgio Lutetiam, & inde Montem Peſſulanum adiit, atque hic potiſſimum tum aquarum medicatarum cauſſa, ut nempe earum virtutes cognoſceret, tum chymicæ artis exercendæ gratia, per biennium commoratus eſt. His doctrinæ, & in re medica ſcientiæ, opibus ornatus & auctus Macoppius, 1694. in patriam rediit; ubi

mox

mox oſtendendæ medicæ ſcientiæ occaſionem illi dedit Caroli Patini morbus, quem, contra reliquorum Medicorum Pag. 15.
ſententiam, Aortæ polypo laborare admodum fidenter pronuntiavit; quod ubi ſectione mortui Patini corporis confirmatum fuit, Alexander de Polypo diſſertationem edidit, quæ Auctori tantum Venetiis profuit, ut ei ſimplicium ſchola 1703. Patavii committeretur. Cum vero propter hanc cauſſam in- 16. ſq.
vidiæ telis patuit; tum, quod contra vulgarem opinionem, medicamenta tanta virtute prædita eſſe negaret, ut vitioſa a puris cum disiunxiſſent, hæc retinerent, illa eiicerent, eaque contra fluida quæque tantum pervadere ac ſolvere doceret, aut ſtimulis concitato ſolidorum motu, vehementerque aucto, ex denſis & pinguibus ſubtilia & tenuia reddere & eiicere. Ob eam doctrinam, cum adverſarii Alexandrum inter Spa- 18.
giricos & Alchymiſtas referrent, de Spagirica arte Diſſertationem conſcripſit, qua, ut Scanagatus refert, apud quem ea eſt, Medicum Spagiricum oſtendit certam exploratam & tutam medendi rationem ſequi, nec ſine momentorum pondere remedia parare: immo Spagiricam artem eos ipſos commendaviſſe, qui ceteroquin Hermeticam & Alchymicam iure optimo meritoque vituperarint. Hanc igitur ſimplicium 19.
Profeſſionem, ubi per tredecim annos exercuerat, 1716. ad ſecundam Medicinæ Theoricæ ordinariæ ſedem evectus eſt; qua occaſione Oratione de Empirica ſecta reſtituenda habita, quo magis iterum in hominum offenſiones incurrit, eo plu- 20.
res, ex omni fere Europa, auditores & diſcipulos nactus eſt. Atque in medicina facienda lui venereæ curandæ in primis operam dedit, & quæ ex mercurio fiunt, inaudita antehac 21.
Patavii ratione, ita diſpoſuit atque paravit, ut per os ſumerentur. Mercurio autem venereos morbos vincendi virtutem, 22.
propter gravitatem, tenuitatem, & velocitatis momentum, ineſſe iudicavit; per quæ nimirum, ad aperienda vaſa, & fluida quæque ſolvenda, diſcutiendaque, aptus ſit; eoque intus ſumto, 23.
ubi, poſt ſalivam motam, ſolutiorem celerioremque hominibus ſanguinem eſſe, eosque ex macris pingues evadere, animadverterat, tum & tutiorem venereis morbis medendi hanc

 viam

viam eſſe intellexit, tum eam in omnibus morbis, ex viſcida lympha exortis, & de quorum ſanatione medici deſperabant,
Pag. 24. curandis, ingredi non dubitavit. Ex omnibus vero mercurium parandi modis placuit ei is, quo per ſublimationem repetitam, & amalgamationem, ut Scanagatus ait, purus ab omni
25 ſq. fæce, & dulcis mercurius efficitur. Ac primo quidem, quantum ad curandi rationem attinet, ſanguinis miſſione utplurimum uſus eſt; cumque eam cachectici & hydropici vix ferant, ab
26. horum cacochymia gallicam ſollicite diſtinxit. Deinde in more habebat, ſale neutro vel polychreſto uti, & humectantia remedia, atque gingivas emollientia, per decem dies, ægro hunc in finem præbere, ut mercurius, niſi ad os, digredi non poſſet, & liquida omnia fluidiora redderentur. Porro, ut de balneo, plantis nervinis referto, quo in caſu nervorum reſolutionis atque dolorum utebatur, tumque de claro amplo & undique clauſo conclavi nihil dicamus, in quo ægrum eſſe iubebat: tamen ipſum miramur, cibum, qui maxime nutritius eſſet, præſcripſiſſe, ut quem omnes tardandi imminuendique mercurii virtutem habere, non tam opinantur, quam
27. gravibus argumentis oſtendunt. Dedit vero mercurium tragacantho & aqua florum aurantiorum ſoluto conſtrictum, primo die ad duodecim, altero ad octodecim, tertio ad viginti quatuor, quarto non raro ad triginta grana, ex iure pulli aut vituli, niſi ſuboriretur aliquid, quod aliam medicinam requi-
28 ſq. reret. Atque ab illa poſtrema doſi mercurii, ſi æger per nycthimeri ſpatium tres quatuorve libras phlegmatis viſcidiuſculi, nec bene olentis, exſpuebat, non, niſi multos poſt dies, ſenſim receſſit; contra vel plane ab eo abſtinuit, etiam iuſculis carnium dilutis, aqua lacti immixta, decoctionibus cornu cervini, guaiaci, aliisque lignis reſinoſis debilitavit, & in ſpiritus difficultate cucurbitulas dorſo admovit, cute prius inciſa. Omnem itaque curationem triginta vel quadraginta diebus abſolvit, mercurio, ne corpus læderet, levioribus pharmacis expulſo. Dicitur præterea oris & faucium ulcera colatorio, ex vulnerariis plantis in vino vetuſto decoctis parato, vel alio ex duabus unciis mellis Hiſpanici, quatuor

tuor unciis aceti albi, & puri, pondere ſucci ex ſarmentis & viridibus vitis albæ foliis expreſſi, inter ſe mixtis, facto, perſanaſſe. Neque ullum fere excogitari malum poteſt, quod, Pag. 30. ſq.
ex venerea lue ortum, hac medendi ratione non ſuperatum ſe vidiſſe Scanagatus adfirmet; cui rei plures fortaſſis fidem adiungere dubitabunt. Inter quæ memorabile nobis id viſum 32.
eſt, quod de infantibus, viginti vel triginta dies natis, atque ob gallicam luem, cum ulceribus in ore, cruſtulis in cute, ſavi ad modum flaveſcentibus, prurigine permoleſta, & alvi fluxu, emarceſcentibus, tribus quatuorve granis mercurii dulcis, in lacte cum ſaccharo, alternis diebus, per menſem exhibitis, perſanatis, dicitur. Laudatur præterea Macoppius, quod a mer- 32. ſq.
curii uſu abſtinuit in iis, qui ægre ad ptyaliſmum coguntur, qui ob gracilitatem naturalem facile tabeſcere poſſunt, lepra, ſcorbuto calido, febre hectica, tremore artuum inveterato, frequenti ſanguinis profuſione, aut angina inflammatoria adfectis, & in quibus anevryſmatum ſuſpicio eſſet. Venereum 38.
autem venenum, etſi cuius indolis ſit nunquam auſus eſt dicere, tamen id glutinoſas & mucoſas lymphæ partes cogere, & a ſeroſis ſeparare, fibrasque ſanguinis, iam diu e medicina eiectas, globuloſarum partium excluſione, denſare coniecit. De quo ipſe vel propterea taxari non debet, quod ipſe tantum pro coniectura habuit. 39. ſqq.

Ab his antequam Scanagatus ad thermas Aponenſes tranſit, Macoppium 1727. ad primum Medicinæ practicæ locum eductum eſſe refert, & ab aliis inde Medicis perſæpe conſultum, inque alias urbes non raro ab ægris advocatum. Fons ille Aponi antiquiſſimus, uberrimus, calidiſſimusque, ſeptem locis protuberans, quinque ferme millia paſſuum ab 43.
urbe diſtat; cuius etſi plures ex veteris & recentis ævi ſcriptoribus mentionem fecerunt, eumque præſertim *Ioannes Gratianus*, in ſuo Patavinarum thermarum examine, 44.
deſcripſit: tamen, ut eas aquas Macoppius accurate examinare poſſet, Aponi ædes ſibi comparavit, & quoties a munere ſuo vacaret, ſe eo contulit. Præter hoc igitur, quod halitus ſulphureos emittere, & ſalſedinem aquæ, in qua ſal marinum ſolutum fuerit, non abſimilem habere, depre-

Digitized by Google

Pag. 45. hendit, ex variis quoque, cum iisdem, experimentis inſtitutis cognovit, aquas eas ſaponacea præcipitare, ſanguinemque ad-
46 - 53. huc calentem aliquantulum immutare, vel ſolvere. His Scanagatus longam morborum ſeriem ſubiecit, quibus his aquis mederi ſolitus Præceptor fuerit: capitis morborum, tabis, ex flacciditate pulmonum ortæ, leviorum ulcerum pulmonum, morborum quibus melancholici & ſcorbutici vere & autumno adficiuntur, chloroſeos, torminum, colicæ adfectionis, alvi ſiccitatis, articularis morbi, alvi deiectionum epidemicarum, aliorumque; ex quibus Macoppius iudicavit, aquas Aponenſes, non minerali cuidam, ſed ſucco terræ glutinoſo, non diſſimili therebinthinæ, aut aliarum plantarum gummi,
53. virtutem ſuam debere. Venerea autem lue adfectis non tam utilem harum aquarum uſum eſſe oſtendit, quam potius per-
54. nicioſum. Et frequentius alio ex Euganeis fontibus utebatur, cui a b. Virgine nomen eſt, quod eum ob elaſticum ſpiritum, modicique cum ſulphuris tum ſalis mitisſimas vires, ſputo ſanguinis, & mictu cruento vel purulento, urinæ vel ſeminis nimio diſpendio, fluore albo, ſanguinis ex utero fluxu
55. ſqq. laborantibus, ſterilibusque, utilem futurum eſſe iudicavit. Laudatur etiam a Scanagato, quod tum cauſſas aperuerit horum fontium ſine ſucceſſu potorum; tum, cum quibus medicamentis miſceri debeant, indicaverit, ut varios morbos ſupe-
60. ſq. rare poſſent. Neque uno modo his aquis externe uſus eſt: nam ſtillicidium variis capitis adfectionibus, ac præſertim oculorum vitiis, adhibuit; adſperſione ſcabiem, lepram, ulcera verminoſa, prurigines inprimis contumaces, probabiliter per inſecta quædam productas; enemate inde parato, ulcera fi-
62. ſq. ſtulasque inteſtinorum, ſanavit. Tandem etiam ob laudatorum horum fontium alium uſum, præcipue ad tremores & imbecillitates nervorum, paralyſin, ſtuporem, ſenſus abolitos, ſimiles-
64. ſq. que morbos ſanandos, Alexander ſuo merito celebratur. Lutum enim fontium adhibuit, ut firma corpora, febre carentia, primum ter in luto S. Bartholomæi volutaret, idque exſiccatum aqua fontis tepenti ablueret, & partem unguento oleoſo, modo atrophia abeſſet, per quinque dies oblineret; ab hoc vero ad

illud

Digitized by Google

illud S. Helenæ, tandem ad aliud S. Petri tranſire ægrum iuberet. Hoc per tres continuos annos facto, niſi aliquam opem æger inde retuliſſet, nihil amplius ſperandum eſſe ſignificabat. Et propter has aquas Macoppius pariter, ac propter Pag. 66. ſq.
omnes fere difficilis curationis morbos, frequenter admodum per litteras conſultus, omnibus humanisſime, ſed paucis verbis, ſine ulla oſtentatione, & ita reſpondit, ut in explicando morbo ſui minus, quam eius qui ſcripſerat, rationem haberet, qualecunque is ſyſtema ſecutus fuerit. Quæ ut omnia, 67. ſq.
ita & hoc illi gloriam parit, quod non tam multa, quam ſelecta medicamenta, adhibuit. Neque ipſe unquam ullo me- 69.
dicaminis genere uſus eſt, ſola diæta contentus. Obiit IV. 70.
Id. Auguſti 1744. poſtquam per quatuor dies lateris dolore, febri, & ſputis cruentis laboraſſet.

D. EUSEBII AMORT IUS CANONICUM VETUS ac Modernum. Accedunt Vindiciae Iurisdictionis Eccleſiaſticae.

Ulmæ 1757. impenſis Ioan. Fried. Gaum. Continet Tomus Primus, una cum appendice duplici, 4 Alphab. 3 pl. Tomus Secundus 3 Alph. 5 pl. Tomus Tertius, Vindiciæ, pl. 17. in 4.

Exhibet Auctor, mutato priore conſilio, Tomo I. *Ius Canonicum Modernum*, compendium Iuris Canonici diceris, ſecundum ordinem Decretalium; Tomo Secundo autem *Ius Canonicum Vetus*, quo nomine quid comprehendat, poſtea dicemus. Medii Aevi Ius Canonicum, cuius ille epocham a nono ad medium ſeculum decimum tertium conſtituit, cur omiſerit, huius quidem rei hanc in *prooemio* reddit rationem: *Cum in illo Iure Canonico Medii Aevi magnam partem expleant Canones Poenitentiales, hoc tempore in Dicaſteriis Eccleſiaſticis pro foro externo vix ullius uſus; Epiſtolae Decretales Summorum Pontificum, quae ab eruditis etiam optime Catholicis paſſim habentur pro ſuppoſititiis; & ſententiae SS. Patrum, etiam inter ſe diſcordantes; vel textus Synodorum par-*

particularium, nullibi in authoritatem legis evecti: nolui ea legum, ad ſummum pro caſu raro directivarum, farragine confuſa, exonerando crumenas diſcipulorum, gravare ingenia.

Ipſi commentario in Decretales, vel potius compendio illarum, præmittuntur *Prolegomena de origine, progreſſu, authoritate, obligatione, & uſu Iuris Can. nec non de modo citandi textus Iuris Can. & Civ.* In his, Decretales ab Iſidoro editas, paucis exceptis, ſuppoſititias eſſe, Gratiani Decreto vim legis haud ineſſe, fatetur. De *obligatione Iuris Can.* „*Corpus Iuris Can.* a nullo præſulum Romanorum *toti Eccleſiae inſtar legis univerſalis praeſcriptum,* ait, *ſed — uſu tandem univerſali Eccleſiarum, quoad legibus nationum particularibus non repugnaverit, receptum, & a Maximil. I. — — a. 1507. in Dicaſteria etiam Civilia invectum eſſe, nec tamen illi inhaerere eam invariabilem firmitatem, quae legibus directe in ſubditos latis convenit. Indirecte nihilominus omnia tribunalia Eccleſiaſtica adſtringi ad leges Canonicas in Corpore Iuris contentas vel adnexas, in quantum partes litigantes vel id tacite petant, vel iure deſiderent, ne feratur ſententia, in appellatorio ſupremo Romae indubitate reformanda.* De uſu eius in foro has fere tradit regulas: 1) ſequendam eſſe *legem apertam Iuris Canon. Moderni;* hac deficiente, 2) Decreta Veteris Codicis Canonum, non abrogata, pro lege eſſe; 3) his quoque deficientibus, Legem Civilem regionis, nullo Canone Eccleſiaſtico correctam, eſſe conſulendam; porro 4) ad conſuetudines locorum, & *ſtylum ſupremorum tribunalium,* reſpiciendum; tandem 5) nulla omnino lege extante, ius partium eſſe dividendum. Cetera, in his Prolegomenis occurrentia, tralatitia videntur.

Poteſtatem legislatoriam ac iudiciariam Papæ quam aſſerat, ipſius verbis indicare fas eſt: Ait, titulo de Conſtitutionibus, §. 2. poſtquam ib. §. 1. Papæ ius ſupremæ directionis univerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ, ex illo, *Paſce oves meas,* vindicatum ivit: „*Cum Chriſtus non venerit in mundum ad condendam novam legem, ſed tantum ad legem veterem, quoad ea, quae praefigurative dicebantur, vel agebantur, adimplendam* (Matth. 5.), *tota vetus religio Iudaica, praeciſis illis figuris, & repurgatis*

gatis Phariſaeorum expoſitionibus, ad Gentiles Iudaeosque in Chriſtum credentes a veteri Synagoga translata eſt. Hinc in Eccleſia Chriſtiana tota vetus Hierarchia Eccleſiaſtica, tota Levitarum, Sacerdotum, & Synedriorum, ad Summum Sacerdotem ſubordinatio, ſacrificii ratio, expiationum obſervantia, unctionum, veſtium, & caeremoniarum multarum, mutata ſolum ſignificatione, multitudo, ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus retenta eſt. Hinc etiam cura legum ſacrarum, a Sacerdotio Veteris Teſtamenti, ad Sacerdotium Novi Teſtamenti transiit. Si enim conteſtante Apoſtolo ad Hebr. c. 7. translato ſacerdotio neceſſe eſt, ut legis translatio fiat: *aequum eſt, ut quae ante translationem iuſſu divino fuerant Sacerdotio adiuncta, etiam poſt translationem relinquantur adiuncta* (C. Translato 3. d. Conſtit.). Cum enim utriusque Teſtamenti Sacerdotia, ab eodem Deo, ſub eadem ſponſione (Devt. 17. v. 8. Matth. 18. v. 15.), *ratum habendi quod ligaverint vel ſolverint*, data ſint, neceſſe eſt, ut, quod de uno dicitur, *puta, habere poteſtatem iudicandi,* etiam de altero intelligatur. Hucusque Auctor: qui tamen hoc novo conamine nil magis profeciſſe videbitur, quam ut vetus querela, de Eccleſia Romana Iudaizante, novo inſtruatur argumento. Sed concludit ille inde §§. ſqq. *Sacros Canones in foro Eccleſiaſtico ſequendos eſſe prae Iure Naturae nudo, ſenſu proprio explicato, & prae Legibus Civilibus; nec leges Principum in ſacra, aut contra iura Eccleſiae, valere, licet in caſu particulari eſſent in bonum particularis Eccleſiae.* Gemina his fere ſunt, quae de auctoritate Papae, titulo *de Maior. & Obed.* diſſerit, ubi §. 2. p. 14?? *Summo Pontifici,* ait, *in ſpiritualibus ſubiiciuntur omnes fideles, quoad ſupremam directionem, nec ab ea ſuprema directione eximuntur Imperatores, Reges ac Principes, cum etiam ipſimet oves Chriſti ſint, indigentes illius directione, cui Salvator e terris diſceſſurus curam ſuarum ovium his verbis commiſit,* Paſce oves meas. *Conſiſtit autem illa ſuprema directio in docendo, exhortando, reducendo, iudicando, in quantum ignorantes circa rectum uſum gladii materialis inſtruit, torpentes admonet, aberrantes a fine ſuperno per ſacramentum poenitentiae in viam revocat, & incorrigibiles*

 legum

Digitized by Google

legum divinarum praevaricatores, ab uſu ſacramentorum, usque ad tempus correctionis, ſeparat. En interpretationem, quam addit C. *unam Sanctam* 1. *d. Mai. & Obed. Extrav.* Sed nec prætermittendus videtur §. 6. *de Iudiciis p.* 175. ubi illo: *Quamvis ad Papam non pertineat, iudicare de feudis & aliis iuribus temporalibus regum & principum, quando ius eſt vere dubium, ita ut nulla firma iudicii ſententia quidpiam poſſit definiri; pertinet tamen ad Papam, quando reges aut principes notorie, ſcandaloſe, & graviſſime, praeſertim cum maxima perturbatione Eccleſiae, incorrigibiliter peccant, ita ut eorum peccatum nulla tergiverſatione excuſari queat, ut iuxta praeceptum Evangelicum, poſt praeviam Epiſcoporum, vel aliorum Principum admonitionem ſeu correctionem, &, ſi nulla ſequatur ſpes emendationis, poſt factam Eccleſiae coram Papa denuntiationem, eos paterne admoneat, & quatenus opus, diſciplinae Eccleſiaſticae, per ſuſpenſionem ſeu excluſionem praeciſe perſonalem a divinis, ex motivo correctionis ſubiiciat. Similiter, ſi certum, atque ſine ulla excuſationis invincibilis ſpecie evidens ſit, fracta eſſe a principe iurata pacis foedera, delata a partibus laeſis, ad Papam de violata religione iuramenti querimonia: ad Papam, tanquam ad ſucceſſorem Petri, in ſuprema paſtorali cura commendatarum ovium non ſolum pertinet, periurum ac evidenter foedifragum principem admonere, ac corrigere modo ſuperius explicato; ſed etiam ad eum pertinet, tanquam legum defenſorem, & cauſarum a fidelibus ad ſe delatarum generalem arbitrum* (1 Cor. 6.), *poſtquam pars laeſa iudicium Sedis Apoſtolicae contra foedifragum imploraverit, de violata iuramenti religione per modum arbitri ferre ſententiam, relictaque aliis executione arbitrii, renitentem, ſi eius contumacia nullo ignorantiae invincibilis titulo videatur in populo ſubdito excuſari poſſe, per excluſionem perſonalem a divinis ad obſervantiam iuramenti ac iuſtitiae revocare.* Quid autem, ſi Pontifex ipſe frangere foedus ſuaſerit? aut foedifragum a iurisiurandi religione abſolverit? — Pergit A: *Idem modo conſimili proportionaliter obſervandum in caſu, quo duo reges movent in ſe invicem bellum, circa iura temporalia vere dubia, ita ut neuter principum de certo gravi peccato iniuſtitiae aut periurii evidenter convinci poſſit. Si enim in tali caſu, unus colliti-*

gan-

gantium catholicorum principum confugiat ad iudicium Papae, in eumque tanquam generalem fidelium arbitrum compromittat; tenetur etiam alter rex ſeu princeps permittere, ut Papa de iuſtitia querimoniae per ſuos delegatos ſummarie cognoſcat, & eius ſe conformare iudicio, niſi coram Papa vel eius delegato ſufficientem in contrarium rationem oſtendat, puta, rationem contra arbitrum excipiendi, vel eius ſententiam ob defectum ſubſtantialem recuſandi. Ita commentatur Noſter *in C. novit ille X. de Iudiciis.* Habes L. B. loca, quae ut integra tecum communicarentur, digna viſa ſunt. Ceterum Auctor, argumentum cuiuslibet Tituli perſpicue atque ordine ſat dextro exponit, non opiniones interpretum aut ſuas, nec controverſias DD. tractat, nec quaeſtiones mere Theologicas, quod plerisque Eccleſiae Rom. Scriptoribus ſollemne eſt, diſputationi de iure immiſcet; ſed theſin Iuris Can., ipſis plerumque Canonum verbis ſollicite ſervatis, ſincere ſatis ac modeſte proponit: laudandus vel ideo, quod ab iniuriis & maledictis in eos, qui ab Eccleſia Rom. alieni ſunt, conſtanter ſibi temperavit, adeo, ut contrarios plurimorum mores vel tacite improbaſſe videatur. Stilo uſus eſt, ut vel ex excerptis ſupra exhibitis adparet, fere eo, quem inde a medio aevo per manus traditum accepit.

Accedunt huic Tomo Appendices binae, quarum altera ſiſtit: *Praxin Eccleſiaſticam Curiae Romanae, Henrico Aburlys Presbytero dictatam per DD. Philippum Monaldinum, in alma urbe Romana Procuratorem; Anno Incarnationis Domini MDCCXXXI.* Exponitur de Conciliis, Synodis, de Collegiis, Tribunalibus, ceterisque officiis Curiae Romanae. Altera inſcribitur: *Modus facilis inveniendi Textus & Titulos ex Iure Canonico & Civili. Hic Modus iam fuit impreſſus anno 1735. Viennae, ſed ob raritatem exemplarium, & ob commoditatem, quam affert non ſolum tyronibus, ſed etiam expertis, dignus videtur, qui hoc loco iungatur.*

Tomus Secundus exhibet *Ius Canonicum Vetus*, i. e. usque ad ſeculum nonum conſtitutum. Diſpeſcitur in duas Partes, quarum prior ſiſtit Codicem Dionyſianum ex MSC. in Bibliotheca Canoniae Regularis ac Cathedralis Chiemenſis reperto. Hunc Codicem ad ſeculum octavum, vel etiam praecedens, re-

Digitized by Google

fert Editor, conjectura a caracterum forma atque orthographiæ genere ducta. Hanc exprimi paſſim curavit Editor, paſſim vero immutavit, *reſecatis*, ut ait, *innumeris barbarismis, imperitis interpunctionibus, & verborum corruptionibus ſenſum turbantibus*: quo ipſo, an magnam initurus ſit gratiam apud eruditos, alii viderint. Convenire dicitur hoc Codicis Dionyſiani MSC. cum ceteris paſſim editis, niſi quod ad calcem Concilii Nicæni ſubſcriptio viginti Epiſcoporum Dacienſium occurrat, quæ in ceteris Codd. hactenus editis deſit. Hanc ſubſcriptionem, prout ea p. 100. impreſſa eſt, adiecisse iuvabit:

Provinciæ *Dacias*

Protogenes	*Sardicenſis*
Marcus	*Metropolitanus*
Piſtos	*Marcianopolitanus*
Cydianos	*Metropolitanus*
Alexandros	*Theſſalonicenſis*
Dacus	*Macedoniae*
Piſtus	*Athenenſis*
Marcus	*Boias*
Stradedios	*Efeſtias*
Claudianus	*Thetalias*
Budion	*Stribon*
Domnus	*Metropolitanus*
Nicheius	*Duxias*
Theophilus	*Guthias*
Camdos	*Boſforon*

Adiecit Editor huic Parti, Supplementorum nomine, varia, in Codice Chiemenſi non extantia, ſed ex binis Codicibus MSC. in Bibliotheca Canoniæ Regularis Dieſſenſis repertis, quos ille ſeculis octavo & nono exaratos opinatur, depromta, ſcilicet: 1) *Statuta Eccleſiae antiqua, ſaeculo quinto vel ſexto ab incerto authore collecta ex Decretis Conciliorum.* 2) *Concilium Nicaenum XX. Epiſcoporum, qui in Graeco non habentur, ſed in Latino eſſe inveniuntur tantummodo.* De hoc Concilio Editor

in

in Præfat. T. II. §. IV. ita diſſerit: — *notatu dignum eſt, quod in Codice Dieſſenſi, ante Concilium Nicaenum Oecumenicum, ponatur aliud Concilium Nicaenum XX. Epiſcoporum, quod vocatur ſecundum. In hoc Concilio indefinite aſſeritur ius appellationis ad Epiſcopum Romanum. Cum autem hoc Concilium numero & ſententia ferme coincidat cum Concilio Sardicenſi, plus quam viginti annis celebrato poſt Nicaenum Oecumenicum, & utrinque praeſideat Hoſius Epiſcopus Cordubenſis: coniecturae locus relinquitur, Epiſcopos Occidentales, ante adventum vel diſceſſum Imperatoris, & maioris partis Patrum Nicaenorum, celebraſſe Synodum particularem Epiſcoporum Occidentalium viginti, tacite a Synodo Oecumenica, & poſtmodum a Concilio Sardicenſi expreſſe & per extenſum, adoptatam. Si quibus haec coniectura placeat, facile abſolvi poterunt Romani Pontifices, Zoſimus & Iulius I, qui Epiſcopos Africanos, recuſantes ius appellationum adeo indefinitum ad Sedem Apoſtolicam, remiſerunt ad Canones Nicaenos, a Patribus tamen Africanis, cum ſolum in Oriente, & tantum Canones Concilii Nicaeni Oecumenici, indagarent, nullibi repertos. Iure autem Epiſcopi Africani ad Concilium Nicaenum viginti Epiſcoporum Occidentalium remitti poterant, cum etiam ipſimet ad Patriarchatum Occidentalem Epiſcoporum Romanorum pertinuerint.* Nos, quam prope ad veritatem accedat hæc Noſtri coniectura, Lectoribus noſtris diſpiciendum relinquimus. Verba ipſa Canonis, quo ius adpellandi ad Epiſcopum Romanum conſtitui dicitur, ſunt: *VI. Hoſius Epiſcopus dixit: ut abiectis Epiſcopis, ſi volunt cauſam iterari, ad Romanum Epiſcopum liceat.* v. p. 248. 3) *Subſcriptiones Patrum in Concilio Sardicenſi.* 4) *Canones Arelatenſes ſub Sancto Maurino Epiſcopo, tempore Conſtantini Imperatoris.* 5) *Catalogus Patrum Nicaenorum a.) ex MSC. Chiemenſi: b.) ex Binio: c.) ex Coleto: d.) ex Seldeni ICti Commentario in Eutychii Origines p. 472. usque 498: e.) ex MSC. Dieſſenſi ſecundo.* Hos diverſos ſatis catalogos ideo Auctor iunctim imprimi curavit, ut ex eorum comparatione, numerus ille 318. Nicaenorum Patrum inveſtigari forſan poſſit. 6) *Canonem Scripturae Sacrae, ex Concilio Laodicenſi.*

Digitized by Google

Parte II. ex MSC. Dieſſenſi ſeculi octavi, ut vult Editor, *Codicibus Colbertinis & Crabbeanis ſimillimo*, eduntur *Variae Epiſtolae Decretales Summorum Pontificum, a Siricio Papa usque ad Gregorium Magnum, nec non varia Concilia*, in Galliis habita, *& Acta Eccleſiaſtica Saeculi quarti, quinti, & ſexti.* Notat editor in Præf., *Documenta* quædam hic edita, *oſtendere, iam ſaeculo quinto ordinem hierarchicum, per haereſes & ſchiſmata ipſorum Metropolitarum ac Patriarcharum, adeo fuiſſe turbatum, ut morbo iam immedicabiliter invaleſcente, neceſſe fuerit, ut Summi Pontifices pro conſervanda unitate Eccleſiae* attulerint *remedium, & curam paſtoralem pro tota Eccleſia Petro per Chriſtum conceſſam explicatius ac fortius a Summis Pontificibus, praeſertim a S. Leone & S. Gelaſio, etiam in Orientem extenderint. Notari etiam merentur*, pergit, *illae conditiones, quas S. Gelaſius ad hoc requirit, ut Summus Pontifex quidpiam, per modum regulae immobilis, ex Cathedra definiviſſe vel decreviſſe cenſeri poſſit.* Ex his & ſimilibus conſilium Editoris haud obſcure colligi poſſe videtur.

Tomo III. autem, qui Vindicias Iurisdictionis Eccleſiaſticæ pollicetur, quid ille molitus fuerit, proxime dicemus.

PLANTAE VERONENSES, SEU STIRPIUM, QUÆ in agro Veronenſi reperiuntur, methodica Synopſis, Auctore IOANNE FRANCISCO SEGUIERIO. Accedit eiusdem Bibliothecae botanicae Supplementum. VOL. I. II.

Veronæ, Alph. 2. pl. 21. Tab. eneæ XIIX. in 4.

Magno in honore habendæ ſunt plantarum enarrationes, quæ bona quadam methodo, licet arbitraria, firmis tamen regulis ſtabilita, fulciuntur, terminis ab antiquitate ad nos translatis utuntur, nec vocum novitate & conceptuum ſublimitate horrent, uti nunc moris eſt ſcribi, ut nemo intelligat, niſi qui ſcripſit, vel pauciores, iique eruditi, mentem aſſequantur eius, cui, proiecta & conculcata optimorum auctorum locutione, ſua ſeſquipedalia plantarum nomina

ſub.

Digitized by Google

ſubſtituere nimis arroganter viſum eſt. Gratulamur reipublicæ herbariæ de novo antiquæ dictionis Vindice, magno ſane viro, cuius auctoritas, novaturientis unius alteriusve pruritui opponitur. Loquitur cum Dioſcoride, quousque eius mentem aſſequi quispiam poteſt; deinde Caſparis Bauhini, Fabii Columnæ, Moriſoni, Raii, Tournefortii, explicationibus utitur; nova nomina, ſi quæ habet, pauca ſane, Michellio, Pontederæ debet, quibus licuit novas a ſe primum viſas ſpecies nomine donare; nova Linnæi nomina parum curat, uti ſectatores adeo multos ingenioſiſſimus ille novæ methodi novæque dictionis conditor per Germaniam Italiamque habiturus haud eſt, ubi dulce eſt intelligenter ſcribere. Univerſam agri Veronenſis hiſtoriam vegetabilem condidit non ſimplici quadam enarratione plantarum, ſed curioſiſſima earum in claſſes & genera diſpoſitione, generumque definitione. Id enim ab unoquoque, qui methodi optimæ in re herbaria gloriam aſſequi velit, efficiendum eſſe noverat, ut ſtabiliantur characteres plantis proprii, conſtantes, faciles, luculenti. Hos ex flore potiſſimum decerpſit, eorundemque indole atque ſtructura. Primarium illi viſum eſt, in ſtatura plantarum ſuæ diviſionis argumentum quærere: proinde, ad mentem Raii, vegetabilium duas ſummas claſſes ordinat, earum, quæ gemmas extra terram haud ferunt, herbarum ſcilicet ac ſuffruticum, hinc extra terram gemmipararum, lignoſoque corpore inſtructarum, fruticum ſcilicet, atque arborum. Quamvis enim multi frutices, multæque arbores, ſuas congeneres inter herbas habeant; ſiquidem & altheæ ſint herbæ aliæque frutices, Xylon aliud herbaceum aliud arbor, colutæa quædam annua, aliæ perennes inveniuntur lignoſæ, ita ut A. disieciſſe videatur plantas affines, quibus una ſerie ſtandum erat: nullam tamen hac qualicunque anomalia ſuæ methodo imperfectionem intulit, cum illa ad plantas Veronenſis agri ſaltim ſit accommodata. Herbas & ſuffrutices ad unius Floris normam in familias diſiicit: in qua diviſione ita progreditur, ut Floris abſentiam uti in fungis conſideret, eiusdem præſentiam pro definitionis fundamento adoptet in reliquis. Numerantur floris petala, &

&, quod ad definitionem & diſcrimen plantarum efficaciſſimæ virtutis eſt, ſtamina. Quæ ſtamina apicibus donata ſint, quæ in filamentum exeant, quæ petalis adnaſcantur, quæ piſtillo, in quibus floribus abſint, explicat ubique. Calycem explicat, eius integritatem vel in petala aut ſegmenta diviſionem perpendit, an ille unius an diverſorum generum flores vel floſculos amplectatur diſpicit, abſentiam in multis floribus notat: piſtillum, in quo fructus rudimenta ſunt, in definitione quavis adducit; embryones, qui illi adſident, numerat; tandemque fructum, ſecundum omnes eius differentias, exquiſitisſime enucleat. In multis foliorum creſcendi modos haud negligit; uti ſane in quamplurimis exemplis papilionacearum plantarum vel arborum fieri aliter nequit. In illis omnibus ita progreditur, ut viginti unamque ſui regni vegetabilis Claſſem conſtituat. Prima continet *Herbas & ſuffrutices, qui ſunt inter petalodes & apetalos medii.* Huc refert Fungos, eſculentos, boletos, pſeudoboletos, coralloideos, qui ex arborum truncis naſcuntur, agaricos pulmatos, criſtatos, auritos, lycoperda, tubera terræ, tam æſtiva, quam brumalia. Omnium characteres deſumuntur a modo creſcendi. Muſci, quos antiquitas Brya, Hypnos, Splanchna appellavit, ſunt CAPITATI, ſeminibus in capitulo congeſtis, vel ab eodem remotis, capitulis monopetalis, tetrapetalis, calyptratis, ſeſſilibus, villoſis, aliis: NON CAPITATI ſemina habent ſuperficiei plantæ vel foliorum plantis innaſcentia. Muſcos folioſos ulvas; laciniosſos Lichenes; clavatos Lycopodia appellat: utut dubium naſcatur auctori, an, qui ex muſcorum capitulis vel ſegmentis aut clavis ſpirat, pollen, ſeminis dotes obtinuerit; cum, an harum plantarum ſpecies ex iſto polline naſcantur, ipſi compertum haud ſit. Huic etiam claſſi inſunt plantæ quæ dorſo foliorum ſemina gerunt, epiphylloſpermæ aliis dictæ, Filicula, Lonchitis, Trichomanes, aliæ, quarum characteres a foliorum forma & poſitu explicantur. Hac familia ſimul continentur Osmunda Lunaria, ophiogloſſum, Lenticula.

Altera Claſſis complectitur *plantas flore gaudentes apetalo.* Hoc ordine militant Acetoſæ & Lapatha: illæ ſæpe ſterileſcunt,

cunt, uti fit in oxalide arvenſi, & quod flos aliis viſum eſt, habetur pro calyce. Atriplex flores fert duplicis generis, ſtamineos alios pentaphyllo calyce, alios ſtamine nudos, bifolio calyce contentos, utrumque tamen fertilem. Chenopodium ſtaminibus gaudet tribus, vel quinque, pentaphyllo Calyce; Herniaria quinque gerit ſtamina, monophyllo calyce excepta. Pimpinella Sanguiſorba ſtamina plura gerit, pentaphyllo colorato calyce. In Blito ſterileſcunt flores, qui ſtaminibus inſtruuntur tribus, triphyllo calyce; fertiles ſunt, quibus piſtillum eſt. Ita procedit noſter in determinandis differentiis reliquarum plantarum, quibus ſtamina ſunt nuda, vel calyce excepta, uti eſt in Potamogetone, Myriophyllo, Hippuride foetida, Equiſeto, Mercuriali, Cyperis, Scirpis, Pſeudo cyperis, Typha, & Iuncis, quos, utut floridi a Tournefortio dicti ſint, ad hoc apetalorum genus noſter revocat.

Tertia Claſſis habet *Herbas & Suffrutices, flore monopetalo, campaniformi, infundibuliformi, & rotato;* quas de forma florum ideas Tournefortio debet. Numerantur florum nomina, petalorum laciniæ, calycis inciſuræ. *Campanulatorum florum* numero ineſt ruſcus, aſparagus, cuius alii flores piſtillo ſunt vacui & ſteriles, alii baccam ferunt. Convolvulum quinque, Perſicariam ſex, Oxym decem ſtamina definiunt; plurima ſunt in malvaceis, nec niſi foliis diſcrepant Malva, Althea, Alcea, petalis affixa ſtamina ſunt Campanulæ. Quadrifidus flos eſt Rubeolæ, Cruciatæ, Gallio, Aſperugini, Mollugini, Aparini; ſex laciniis notatur Rubiæ flos. Infundibuliformium florum eſt, tubo anguſto, qui piſtillum cum ſtaminibus includit, ex calyce oriri. In his ſimiliter definitiones capiuntur a ſegmentis florum atque calycis, ſtaminumve numero, aut florendi modo, prout vel ſolitarii, vel gregarii flores caulibus innaſcuntur. Breviſſima ſunt Pervincæ ſtamina, reliquis longiora. Quadrifidus flos Plantagini, Pſyllio: tria Valerianæ ſtamina ſunt, Bugloſſo quatuor, quinque Aſperugini, totidem, aſt petalis affixa, Pulmonariæ. Rotati ſunt flores

Digitized by Google

res, qui tenui tubo exſurgunt, & ſtellæ in modum laciniis diſſecti, explicantur. In horum numero ſtant: Borrago *quatuor*, Numularia *quinque*, Heliotropium, quod Echioides eſt noſtris, decem ſtaminibus pollentes, ita quidem, ut, ſi forte longum nimis ſit fructum expectare, florum textura ad definitionem inſtruendam ſufficiat.

Quarta Claſſis colligit *Herbas & ſuffrutices flore monopetalo anomalo*. Plantas hoc capite comprehenſas, notat character a ſtaminum & laciniarum floris conditione deſumptus. Quatuor inſunt Digitali ſtamina, quibus Ariſtolochia caret; aſt quatuor imparis magnitudinis ſtamina inſunt Antirrhino, aliisque floribus clauſis, ſeu perſonatis, Linariæ, Cymbalariæ, Elatini, quas Linariæ ſpecies eſſe, cum Tournefortio aſſerere licet. Pedicularem diſtinguit calyx monophyllus integer, qui Criſtæ galli, ſeu Alectorolopho, quadrifidus habetur. In reliquis galeas barbaſve, uti diviſæ ſunt, vel integræ, numerari fas eſt.

Quinta Claſſis deſcribit *Herbas & ſuffrutices flore monopetalo labiato*. Uti pluribus ſtamina inſunt quatuor, ita facile notatur Salvia, atque Lycopus, quæ duobus ſaltim gaudent ſtaminibus. Meliſſophyllum calyx bilabiatus, Marrubium multifidus, ſeu ſtellatus, Meliſſam ſtamina apicibus inſtructa, definiunt. In reliquis attenditur ad floris galeam, eandemque vel ſurrectam, uti in Betonica, ac Sideritide; vel excavatam, uti in Sclarea, Galeopſide; vel deficientem, uti in unilabiatis, Scordio, Teucrio, Chamædry. Attendendum porro, ad optimam definitionem obtinendam, in hoc plantarum ordine eſt ad verticillorum naſcendi rationes. His denſi ſunt, uti Marrubio; aliis laxi, uti Calaminthæ; quibusdam pauci flores caulem circumſtant, uti Lamio atque Galeopſidi.

Claſſis Sexta inſcribitur *de Herbis & ſuffruticibus flore dipetalo non frumentaceis ac frumentaceis*. Ut hanc diviſionem ſtabiliret, inductus fuit obſervationibus a Malpighio, Michelio, & ſe ipſo factis, quibus deprehenſum eſt, Gramina cerealia

omnia,

Digitized by Google

omnia, ſeu frumenta, flore uti dipetalo; hinc, uti in prima huius Claſſis ſectione, præter Circæam & Stellariam nihil eſt, ita altera univerſam amplectitur agroſtographiam, quam ad mentem Clariſſimi Montii inſtruit. Enumerat enim Gramina, uti ſunt glumis ariſtatis vel muticis, ſpicata vel paniculata, loliacea, phalaroidea, typhina, miliacea, avenacea, alia.

Brevis eſt, quæ Herbas ac ſuffrutices flore tripetalo continet, Claſsis, qua exhibentur Morſus ranæ, ſeu hydrocharis Linnæi, ſtaminibus decem ab Aliſmate, cui ſex inſunt, diſcernendam. Sagitta duplicis generis flores alit, alios multis ſtaminibus, ſed nullo piſtillo inſtructos, id eſt ſteriles, alios autem fertiles, quibus flos eſt ſtaminibus nudus, at piſtillo inſtructus.

Longe fertilior eſt Claſsis octava, quæ *Herbas & ſuffrutices* tradit *flore tetrapetalo*. Hæ definiendæ ita ſunt: quadrifidus omnibus calyx, præter quod diphyllus ſit Papaveri atque Chelidonio, nullus Clematitidi. Stamina diſcrepant in multis: uti enim plerisque ſunt ſex, in quibusdam apicibus donata, uti in Rapiſtro; ita tamen ſunt qui octo alant, uti Paris atque Chelidonium, illi calyx concolor flori, & conſtans, huic deciduus. In plerisque tamen plantis, ad hanc claſſem referendis, reſpicitur ad fructum, qui ſemper eſt bilocularis & ſegmento diviſus, cuius formæ in omnibus diſcrepant: iniuſtum enim foret, fructum, qui ultimus eſt naturæ finis, a definitione plantarum excludere velle, cum in illo conceptus habeantur ita perſpicui ac infallibiles, ut & hortulanorum familia Braſsicæ ſemen a Rapæ vel Erucæ ſeminibus haud difficulter dignoſcat.

Claſsis nona exhibet *Herbas & ſuffrutices flore pentapetalo.* Luculenta plantis, hac claſſe contentis, inſunt diſcrimina. Alſine decem inſtruitur ſtaminibus, qui numerus quidem & Caryophyllis ineſt, aſt calyx tubuloſus differentiam efficit: Lychnides, foliolo ad unguem petali enaſcente, hinc piſtillo multifido cognoſcuntur; ex quibus ſunt flore androgyno præditæ, ac ſteriles. Geo piſtillum bicorne eſt, uti & Saxifragiæ,

Digitized by Google

quæ tamen fructum ex medio calycis fert, dum Geum in ſummo calyce fructificat. Plurima ſtamina ſunt Androſæmo, Hyperico, Barbæ Capræ, Populagini, Helleboro; calyce tamen deſtituuntur Helleborus atque Populago, cum Anemone ac Anemonoide, in quo hæc a Ranunculis diſcrepat. — Primo volumini appendicis loco annectuntur *Herbae ac ſuffrutices flore hexapetalo.* Triphyllo calyce ac novem ſtaminibus facile dignoſcitur Butomos; nullo calyce gaudet Pulſatilla, & ſtaminibus utitur plurimis in apices deſinentibus, dum pentaphyllus calyx eſt Adonidi, triphyllus cum ſtaminibus plurimis Hepaticæ. Decem ſunt ſtamina Salicariæ; Nymphæam deſignat locus natalis, ut comparem ſibi ex hac claſſe nullam inventura ſit.

Quod reliquum eſt de agri Veronenſis hiſtoria vegetabili, alterum volumen expedit. Claſſis decima enumerat Herbas & ſuffrutices flore pentapetalo, umbelliferas, quibus mos eſt in ſummis radiorum uno petiolo communi ſurgentium apicibus innaſci, & bina ferre ſemina conglutinata, & per maturitatem dehiſcentia; uti Moriſonus illas primus hoc nomine induxit: magnum ſane, niſi ad ſemina eorundemque formas in ſingulo genere diſcrepantes reſpicias, eſt negotium, ex florendi modo definitionem plantæ invenire. In quamplurimis tamen decidunt calyces communes umbellam cingentes, qui folioſus mollis eſt in Aſtrantia, rigidior in Eryngio, in Dauco nidi formam refert. Quibusdam umbella connexa eſt, uti Angelicæ; in aliis excavata, uti Oreoſelino; quibusdam anomali flores ſunt regularibus mixti, uti in Coriandro, Oenanthe. Conſulenda etiam ſunt plantæ folia, quibusdam coniugata, aliis cultellata, aliis caule folium tranſeunte, efficta, aliis alia.

Claſſe undecima exponuntur *Herbae & Frutices flore Liliaceo.* Utut enim parum ſit ſimilitudinis inter Ornithogali Liliique flores, fructificandi tamen, quæ omnibus his intercedit analogia, cum ſint capſulis inſtructæ trifidis utplurimum vel ſexpartitis, easdem uno ordine ſtare iusſit. Ex his pleræque

que bulboſa vel tuberoſa, aliæ tamen fibroſa radice gaudent, uti Phalangium. Colchici piſtillum trifidum eſt, uti & Croco, aſt hunc ſpatha deſignat, ex qua flores erumpunt. Iris itidem ex ſpatha floret, aſt piſtillum habet triphyllum, nec niſi barba ac corolla ad florem referuntur. Anomalus eſt Gladioli flos, tribusque inſtruitur ſtaminibus; Phalangium calyce caret, quo differt ab Ornithogalo, cui calyx eſt non deciduus.

Claſsis duodecima exponit *Herbas ac ſuffrutices quibus flos eſt leguminoſus*, Tournefortio papilionaceus tetrapetalus, anomalus aliis. In his floribus numerantur variæ partes, quæ ad definitionem inſtruendam haud parum conferunt, vexillum ſcilicet, carina, duæ alæ, & vagina novemfida, ita ut ex ſtaminibus novem coaleſcentibus facta eſſe videatur, uti in Loto clarum fit, ubi ſtaminum iſtorum apices evidenter conſpiciuntur.

Peculiare genus conſtituitur Claſſe XIII. quæ plantas continet flore polypetalo anomalo. Huc refert A. plantas determinato licet & conſtante petalorum numero gaudentes, Violam, Aconitum, Delphinium, Refedam, alias. Aconito flos pentapetalos anomalos, ſtylo binis apicibus foliaceis donato, ſtaminibus plurimis: Violæ quintum petalum in caudam exit, & quinque flos ornatur ſtaminibus: Fraxinellæ decem ſunt ſtamina, calyx monophyllus: Aquilegiæ petala omnia in caudam exeunt: Orchidi petala ſunt ſex, in galeam & barbam compoſita.

Claſſis XIV. agit de *Herbis & ſuffruticibus flore floſculoſo.* In hoc genere regnant conceptus de calycis forma. Hic ſquamatus & aculeatus eſt Carduis; ſquamatus nec aculeatus *Cyano*, cuius floſculi marginales ſterileſcunt; Iaceæ, quarum quæ nigra dicitur, de Cyano habet floſculos marginales ſteriles, proinde Cyanoides appellatur. Cnicis calyx eſt aculeatus & ſquamatus. Petaſitidem flos in ſpica collectus, præcox; Elichryſum calyx ſplendens coloratus, notat. Senecioni

Digitized by Google

calyx datur multifidus, maturitate deorſum inclinans. Minimis in hoc genere floribus utuntur Abſinthium, Abrotonum; illi villoſus calyx, huic nudus. Scabioſæ quadrifidi donantur floſculi, uti & Dipſaco, qui in cono floret.

Claſſis XV. exponit *Herbas & ſuffrutices flore ſemifloſculoſo.* Hic itidem calyx definitionis argumentum eſt: in quibusdam maturitate contrahitur, clauditque ſemina papposa, uti mos eſt Hieraciis: in aliis maturitate expanditur. In his æqualibus conſtat ſquamis, uti Tragopogoni, quæ inæquales ſunt Scorzoneræ; in Rhagadiolo eſt ſeminis conceptaculum.

Claſſis XVI. agit *de Herbis & ſuffruticibus flore radiato.* Harum character generalis eſt, quinquifidos habere duplicis generis floſculos, marginales anomalos, centrales, regulariter diviſos. In his definiendis mox reſpicitur ad Thalamum, qui faſtigiatus eſt in Bellide, planus in aliis; mox calycis ſquamæ conſiderantur, uti ſunt inæqualiter aut æqualiter digeſtæ. Hic multis eſt coloratus & membranaceus, uti Xeranthemo, Catananci, Carlinæ, cuius ſemifloſculi ſterileſcunt, ſecus ac in reliquis. Modus florendi dirimit Virgam auream ab Aſtere. Veluti Arbores & Frutices ab herbis & ſuffruticibus diſtinxerat, ita Claſſem XVII. de Arboribus & fruticibus inſcribit, flore apetalo gaudentibus. In hac claſſe cum multæ arbores ſterileſcant, utut floriferæ ſint, veluti Caſtanea, Betula, dicendi mos fuit apud plures, arbores quasdam mares eſſe & floriferas, alias feminas ſeu frugiferas. Sed noſter adducit in eadem arbore ſemper & piſtillum eſſe cum embryone, & ſtamina, a fructu tamen ſemper remota. In Buxo flos fertilis eſt, triſtylus, ſterilis, ſtaminibus apicatis utitur quatuor. Singulare quid eſt in Ficu. Clauſus huic in fructu flos eſt; eſt tamen & Ficus genus, cuius Embryoni inſiſtit piſtillum. Hinc tres adducuntur Ficuum per agrum Veronenſem ſpecies: Ficus unifera vel bifera; Ficus fructu immaturo & deci-

Digitized by Google

deciduo, quæ Caprificus; Ficus fructu maturo, ſtaminibus reconditis.

Claſſis XVIII. exponit ſeriem arborum & fruticum flore amentaceo. In his ſtamina ſuperſunt Embryonibus, aſt Iuli Nucamenta, ſeu amentacei flores, a fructu procul diſtant. In hoc ordine militant Carpinus, Oſtrya, Quercus, Ilex, Fagus, Caſtanea; quibus ſingulis diverſa eſt amenti fabrica, longitudo ſtaminumque numerus diſcrepans. Coniferas folia dirimunt: Abies ex una theca foliolum unum, Pinus duo, Larix plurima ducit. Longum foret expectare florem & fructum in iſtis arboribus, cum ſero fructificent. Bacciferæ, amentaceo flore utentes, ſunt pauciores, Iuniperus atque Taxus: utrumque genus foliorum habitu notatur.

Claſſis XIX. in familias diſponit *Arbores & frutices Flore monopetalo.* Ex his aliæ flore utuntur quadrifido, Rhamnus, Thymelæa, aſt quatuor gaudent ſtaminibus, dum Phillyrea ex alis, Liguſtrum in ſpica florent, & duplici ſaltim ſtamine pollent. Aliæ florem ferunt quinquifidum, Ledum, Sambucus, Vitis Idæa; anomalo flore ſunt Caprifolium atque Chamæceraſus, quem gemelli ſemper flores diſtinguunt.

Claſſis XX. exponit ordinem arborum flore tetrapetalo atque pentapetalo. Tetrapetalo flore utuntur: Cornus, glomerato inter calycem quadrifidum flore uſus; Celtis, quæ calyce deſtituitur; aſt Fraxinus duplici flore gaudet, ſterili, qui embryonibus caret, fertili, cui in calyce tetrapetalo quatuor ſunt petala floris, totidemque ſtamina. Arbores flore pentapetalo pleræque ſunt bacciferæ ac pomiferæ, ſi Cotinum Tiliamque excipias. In his numerantur ſtamina floris. Prunus, & Ceraſus, ac Punica, numeroſa gerunt ſtamina, Pyrus viginti, reliquis calycis floriſque petala, ac ſtaminum numerus, par eſt.

Claſſis

Digitized by Google

Claſſis XXI. Agit de *arboribus ac fruticibus flore leguminoſo*. Geniſtæ, Siliquaſtro, Cytiſo, ſtamina inſunt decem; Coluteæ atque Emero novem. Quo maior igitur Auctoris eſt in dirimendis plantarum familiis induſtria, ingeniique felicitas, eo magis commendandus eſt liber noſtris: cum, quod ſingulare, noſtra provincia, ſi hortos cultiſſimos adeas, eaſdem plantas, quas libellus deſcribit, nutriat.

Accedit *Franciſci Calceolarii*, Veronenſis, Iter montis Baldi, & Bibliothecæ botanicæ Auctoris ſupplementum.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLVIII.

Pars II.

DACTILIOTHECAE UNIVERSALIS SIGNORUM exemplis nitidis redditae Chilias ſive ſcrinium milliarium primum & ſecundum, *delectis gemmis antiquo opere ſcalptis plerisque, eisque fere hodie praedicatione & notitia multorum in omni Europa clariſſimis, exemplo de muſeis in maſſa quadam terrea candida petito, expreſſit, ordinavit, edidit, PHILIPPUS DAN. LIPPERT, Dreſd. Stilum accommodabat intellegendisque per coniecturam argumentis litteras nonnullas praefatus quoque de Rei gemmariae veteris gratia ſingulari IOH. FRIDERIC. CHRISTIUS, Prof. Artium publicus.*

Lipſiæ 1755. ex officina Breitkopfia, quaternis; paginis, plagas dicunt vulgo, omnino XVII. cum dimidiata, Chilias prima; altera vero XIII. cum dimidiata.

Fuit ea ſuperioris temporis felicitas, quæ hodie quoque nonnullorum virorum principum favore, atque eruditorum opera ac ſtudio ſervatur, ut nempe exiſterent ingenia ſane præclara, quæ exemplo & doctrina præirent ceteris, ut iſti mallent in regenda vita formandisque moribus, atque in omni comparanda eruditione, artiumque intelligentia & facultate, Græcorum ac Latinorum docta monumenta

Vu ſequi,

ſequi, quam recentiorum acta & inventa, ſemper prava, ſi quidem ab illorum ratione deflectunt, & ſi interdum ſubtile præ ſe ferunt iudicium, ſeu potius ſpecioſum nihil. At, proh dolor! quanta adverſariorum grex illos optimos præclareque de omni humano genere meritos, quippe humanitatem, artes, litteras, unde illa conſit, tandem ex antiquis ingeniorum monumentis reſtituebant, petiit tantum non dentibus canum rabidorum more. Pars ex iſta grege, quod genus hominum erat peſſimum, malevolentia & invidia ducebantur: tales nihil probant, laudant, prædicant, aliisque commendant, quaſi circulatores circumforanei, niſi ſuum; nihili faciunt virtutes, quibus ornati ſunt alii, quod careant ipſi. Alii, deſidioſum erat pecus, fugiebant laborem, qui neceſſario impendendus eſſet monumentis veterum conquirendis, ordinandis, legendis; contexebant contra ex ſe ſibi, araneæ ut tela, his erat iſtis bene: aliis vendebant aurum commentitium pro vero, ut corpus tantum paſceretur. Feremus quidem iſtos, atque cum ſuis valere culeis turgidis, vento impletis, vitreis fractis, iuberemus, niſi caperent iuventutem imperitam, ſuoque exemplo corrumperent miſere. Reſtat genus adverſariorum aliud: videbant nempe iſti pulcrum in antiquis monumentis, aliter fuiſſent cæci, nolebant tamen præ pudore decedere a ſua conſuetudine, atque inſtituto audacter antea defenſo.

Sed iſta hominum perverſa ratio nondum interiit, viget etiam hodie, detrimento ſane humanitatis, atque præſens adeo virus immittit adhuc integris puerorum animis, & quibus litteræ artesque curæ cordique ſunt, nimis eos contumeliis & iniuriis laceſſit vexatque; id quod ſæpe & noſter *Chriſtius*, qui meliorem vitæ conditionem recuſavit, rei familiari, valetudini, & fere famæ ſuæ bonæ haud pepercit, ut litteris tantum, artibus, omnique humanitati conſuleret, eas adiuvaret, largiter expertus eſt ab inimicis. Neque iſti nunc quidem, rem valde miram narramus, continere ſe poſſunt, ſed, ut coeperunt, inſectari pergunt mortuum, ac veluti de eo triumphant. Quod ſi Chriſtium viciſſent unquam, quis enim id fieri meminit? eos

magna-

magnanimos eſſe, ut leones, iuberemus; ſed cum factum iſtud non ſit, tacere.

Ne plura ea de re dicamus, præfationis argumentum, quamquam breviter, nunc enarrabimus. Chriſtius in eà de gemmarum anularium gratia diſſeruit, cum antea diviſiſſet antiquitatis eruditæ monumenta omnia in duas omnino partes: una eorum eſt, quæ ingeniis enituerunt per elementa litterarum conſignatis; alia vero, quæ artium fabrilium ſubtili iudicio ac facultate per imaginum fidem traduntur. In eo ſunt diverſa, ut illa ſint ampliora & adſiduis paucorum ſtudiis aptiora; hæc autem certiora, magis perſpicua, & ob ſingularem pulchritudinem & elegantiam ad omnes vulgo probabiliora. Monumentorum autem, quæ fiebant ſculptura, ſcalptura, & cælatura in marmore, in gemmis, in ære, cognitio & uſus non acquiritur ſola lectione, ut vel litteratiſſimus ſæpe, acri quoque iudicio, cæcus in illis videndis fuerit, & ridendus, ſi de iis ferre ſententiam auderet. Unde factum eſt, ut ſingulare quoddam ſtudium traderetur facultatis antiquariæ eius, quæ marmora & æra & gemmas veterum, ſignis quodammodo facunda ac litterata, conſideraret. Sed eius ſtudii partes eruditi quaſi inter ſe diviſerunt contentione quadam honeſta atque ambitione, adeo quidem, ut alii marmorum litteras atque titulos præcipue ament, reliquisque antiquitatis veſtigiis, ut ad uſum promtiora melioraque, præferant; alii numorum æra; alii in lapillis, aut in marmore, vel quocumque e metallo ſigna.

Attamen ob graviſſimas cauſſas *Chriſtius*, quidquid rei veterum gemmariæ ſupereſt, ei primum dignitatis, in hoc pulcherrimo antiquitatis cognoſcendæ ſtudio, gradum tribuit. Audite, quæſumus, cauſſas iſtas, quæ eiuſmodi ſunt, ut tantum gemmarum veterum gratiam conſtituant, recte omiſſis illis, quibus & reliqua artium & litterarum monumenta docta ſe eleganti æſtimatori commendant. Una eſt pulchritudo perfecta colorum, nitorque ac ſplendor, & lumen quarundam puriſſimum. Quæ res ſane prohibere debuit homines, ne nitidos lapillos ſilicis abiectæ genus & cotem haberent, pellucidas

 gem-

gemmas alumen facerent. Quo maior fuit diligentia veterum in gemmis eligendis ad opus ſine vitio pulcherrimis, eo abſolutiora omnia, quæ ad pulchritudinem earum attinet, in illis cognoſces; unde etiam argumentum ſinceræ vetuſtatis peti ſolet, quemadmodum alibi Noſter oſtendit pluribus, ut in de gemmis ſcripto, quod in commentariis litterariæ rei Lipſienſibus invenies.

Alia cauſſa voluminis brevitas eſt, quæ illa doctæ antiquitatis monumenta admodum reddit facilia & promta ſtudiis noſtris. Maior aliquanto tamen commendatio his parvis lapillis inde venit, quod ſola hæc monumenta integra ac ſincera, incontaminato opere, quale illis opus tradiderant olim clariſſimæ manus artificum, pervincere ſitum tot annorum potuerunt. Fit quidem, ſed raro, ut vel foſſor raſtro gemmam confringat, vel ut rudis aliquis & indoctus faber, poliendo, quam ornare ſe putabat, eam recentibus ſcitamentis dehoneſtet.

Habent gemmæ veterum ſcalptæ etiam prærogativam inde, quod in nulla alia monumentorum parte adeo totæ & ſolidæ Græciæ veteris artes, geniusque omnis ſæculi felicis, neque manus fabrorum nobiliores, ſpectandæ nobis proponuntur tam plane, quam quidem iſta omnia contigerunt gemmis. Nulla ſpes reliqua eſt, ut Mentoris aut Myuntis argentum aut æs cælatum, ullumve Corinthium vas, uſquam hodie appareat, neque ſignum ullum ac ſtatua, in quo clariſſima Phidiæ, vel Praxitelis, vel Myronis, aliorumque talium nomina legas: ſolæ videlicet gemmæ Pyrgotelis ac Dioſcoridis, aliorumque, quos Plinius quoque aliique veteres tanquam ſcalptores nobiles celebrant, vocabula certa litteris inſcripta ſervant. Permulta tum rei mythicæ, tum hiſtoriæ argumenta, in gemmis reperies, quæ fruſtra in aliis antiquitatis doctæ monumentis quæras.

Ad pulchritudinem ſignorum in gemmis abſolutam merito quidem operis miracula, in orbe earum præſertim tam parvo, adiungit Noſter. Nam quocunque id opus fiebat modo, ſive beneficio machinæ parvæ, quod contendunt hodie plurimi,

&

Digitized by Google

& Chriſtius tantum in gemmis, aut minus accurate extundendis, aut omnino in maiuſculis factum eſſe concedit, ſive mucrone adamantis potius optimam quamque gemmam minimamque exacuebant, ſemper magnæ admirationis eſſe debet.

Magnam præterea apud nos, & Noſter haud ſcit, ne non maximam rei veterum gemmariæ merito gratiam conciliat, quod tam facile lapillorum ſigna, cum amicorum quovis, utcunque exprimendo eo, quod inſculptum eſt, communicari queunt. Nam gemma quidem ſigni exprimendi cauſſa fit, eoque tota redit; quod non de reliquis antiquorum operum ſignis dici poteſt: unde ea difficulter, aut cum cautione certe, exemplis vulgantur. Materia autem, in qua ſigna e gemmis exprimi poſſunt, non unius eiuſdemque eſt generis; exempla enim eorum habere poſſumus, idque ſine negotio, ſive in cera, ſive in ſulphure, ſive in quacunque alia maſſa, in vitro Obſidiano quoque, quod etiam, nihilo fere deterius, quam gemma ipſa, ſigna in ceris multiplicat.

Sed de hoc ſatis, nunc etiam cauſſam, & quidem breviter, quare Chriſtius librum a nobis in fronte indicatum, compoſuerit multiplici doctrina, undeque multus eius uſus rerum ad antiquitatem Græcorum ac Latinorum, rei gemmariæ inprimis, mirifice enitet, exponemus verbis. Suſceperat nempe *Lippert*, vir nobiliſſimus, opus ſane magnum, egregium, ac laudabile, & ſi uſum ſpectes, fere ſingulare, ut nempe cogeret ex inſtructiſſimis talium rerum muſeis, regiis inprimis, quamplurima gemmarum exempla, quæ ſe adprobabant propter artem, fidem, & argumenta; ea in maſſa aliqua terrea candidiſſima redderet; luculento ſane ordine exemplorum mille conderet in ſcrinio quodam primitus, tot poſtea in alio, & venderet antiquitatis doctæ ſtudioſis modico, quibus libuerit, pretio. Ille igitur Vir induſtrius adiit noſtrum, rogavitque, ut vellet interpretis perſonam agere, & gemmarum argumenta exponere litteris: Noſter id detrectavit diu, quod iam adeſſet brevis eorum ſignorum, catalogi vice, commentarius Dreſdæ evulgatus; ille vero inſtare, tandemque vicit, quod

Noſter amico, tam honeſta roganti, diutius negare putavit turpe. En libri cauſſam.

Nunc de libri agemus conſtitutione atque ordine, & deinde, quæ nobis memoratu digna inter legendum videbantur, enarrabimus. Dactyliotheca univerſalis, ſive ſcrinium milliarium primum, ſive ſecundum tractas, in duas diviſa eſt partes, alteram mythicam, fere hiſtoricam alteram, ſingulæque denuo in minutiores. Ut pars prima ſcrinii milliarii primi mythica tota deos gentium antiquisſimos exhibet primo, gemmis CCCCXXI. deinde ſacrificia fere ac ritus Græcorum vetuſtisſimos gemmis XXXIV: pars vero altera fere hiſtorica, primo Gemmas Homericas numero LXXX; ſecundo Heroum, Regum, Reginarum antiquorum Græcorum imagines, gemmis LXIX; tertio Græcorum ſapientia & artibus illuſtrium imagines, gemmis LIII; quarto primordia urbis Romæ & Romanos viros virtute illuſtres, gemmis LXI; quinto Regum Romanorum & Imperatorum Auguſtarumque imagines iuxta & rem militarem, gemmis CCVI; ſexto ludos aliosque ritus ferme Romanos, gemmis XX; ſeptimo animantium brutorum varias ſpecies, & monſtra, & gryllos, & Abraxas, gemmis XLVII; tandem imagines illuſtrium ſæculi fere præſentis, gemmis X. Chiliados autem ſecundæ pars prima, item ad mythologiam pertinens, continet primo hiſtoriam fabularem deorum, gemmis omnino CCCCX; ſacrificia deinde & ritus fere Græcorum gemmis XXIX. Pars autem altera fere hiſtorica gemmas Homericas primo, numero LIII; Heroum Græci fere generis & regum imagines, gemmis LXVII; tertio Heroum, regum, reginarum, antiquitatis fere Græcanicæ imagines, gemmis XXXIX; quarto, ſapientum Græcorum fere ac poetarum imagines, gemmis XLII; quinto primordia urbis Romæ, gemmis LXIX; ſexto Imperatorum Auguſtarumque imagines, cetera rei Romanæ gemmis CLXXVII; ſeptimo, rem militarem aliosque ritus Romanos, monſtra, & mythologiæ reſidua, gemmis CXIV.

Quadrifariam porro ſingulas Dactyliothecæ expoſitæ a Chriſtio tabulas diviſas eſſe cognovimus, quarum tabularum regione

Digitized by Google

regione prima, ac veluti laterculo, argumenta ſignorum interpretis vice continentur. Ordo hic quidem catalogi, cuius ſupra mentionem fecimus, eſt ſervatus, ſed immutata ſunt vocabula, relicto in plerisque argumentis indicandis pervulgatæ expoſitioni plurimorum, qui de his tradiderunt, loco. Sed quoniam hac maxime in parte verſari ſtudioſorum hominum in addiſcenda antiquitate commodum, deſiderarique diligentiam ſuam intellexit Noſter, qua certa ſatis erant veri veſtigia, ibi libertatem cenſendi ſecundum ea permiſit ſibi. Sæpe in exponendis ſignorum argumentis poetarum uſus eſt verbis, ſiquidem poetæ & gemmæ in argumentis quaſi conſpirabant amice. Secunda tabularum regio lapillorum glebæ & coloris vocabula, phyſicorum aut mangonum rei gemmariæ decreto, exhibet; tertia eorum nomina, qui has ipſas operis antiqui gemmas in muſeis ſuis hoc tempore ſervant; quarta tandem librorum indices ſcriptorumque laudem, quorum litteris hæc argumenta amplius declarata, lineisque adumbrata haberentur.

Sed Noſter etiam eorum ſerviri commodis æquum putavit, qui nulla vel modica litterarum Latii facultate, cognoſcere tamen res Græcorum ac Romæ veteris, aut artium ingenia his e monumentis ſtudent. Illis igitur Francogallice item per compendia deſcriptam argumentorum ſeriem in tabulis propoſuit ad calcem cuiusque milliarii, poſteaquam hodie tam litterarum rudis propemodum nemo eſt, quin Francogallice ſciat.

Nunc quoque, ut promiſimus ſupra, pauca quædam, obſervatu digna quæ nobis viſa ſunt, reddemus, benevole lector, tibi. Minerva ſemper nobilitatem vultu ac robur quoddam præ ſe fert, quo argumento Noſter Milliar. I. pa. 4. gem. 31. non Minervam, quæ vulgo editur, ſed Victoriam agnoſcit. Ibidem gem. 50. Apollinis imago vulgo putatur, ſed Noſter potius Pentheſileam eſſe ob victoriam laureatam ea de cauſſa cenſet, quod caput iactat & bipennem tenet, quippe quod non Apollinis geſtamen reperitur. Millia. I. pa. 8. gem. 80. Venus eo ſpectatur ſtatu, quem *Ovidius* deſcribit his: Quoties velamina ponit, Protegitur læva. Millia. I. pa. 7. gem. 68.

Diana

Diana pulchella cernitur poſt venationem leviter adquieſcens in columella, ut pa. 9. gem. 87. Venus nuda & ſtans averſa, quæ in columella ſiniſtrum in cubitum innititur, & pa. 12. gem. 114. Triptolemus, quem edunt quidem, nixus in columella. Ex his affirmat Chriſtius, ſervum, in quem ſe dominus inclinare conſueverat, recte & graphice dici poſſe columellam. In animo habuiſſe videtur illum Lucilii locum, quem Martialis ut durum citat:

Lucili columella hic ſitu' Metrophanes:

Donatus & Salmaſius diverſa ſentiunt; ſed hic quis malit a Chriſtii partibus ſtare, ob argumenta certa, quæ liberaliter Noſter adduxit ad finem Milliarii primi. Invenimus etiam pa. 17. gem. 164. & pa. 18. gem. 170. & 171. Bacchum in Fauno, velut in columella, nixum. Milliar. I. p. 13. gem. 116. Mars ſedet in lorica, galeamque & clypeum calcat. Hoc pacis & annonæ laxioris eſſe ſignum ex Ariſtophanis patet ioco, ut nempe loricæ uſus pro laſano ſit in pace. Ariſtophanis locus eſt ſcena Ἐιρήνης extrema. Milliar. I. pa. 16. gem. 156. Bacchus vehitur in bigis pantherarum. Utramque feram inſidens cuique Amor regit. Sed Chriſtio non Pantheræ, ſed leænæ eſſe ebriæ ſub iugo, videntur, quod ferarum omnium longe pugnaciſſimam haberi leænam oſtendit *Aelianus* Variæ hiſtoriæ li. XII. 39. Intermixtæ etiam, quamquam raro, ſunt gemmæ, quæ neque antiqui ſunt operis, neque probi, ut Mil. I. pa. 31. gem. 288. Cacus ibi ſpectatur de bubus Herculis unam abreptam cauda trahens. Milliar. I. pa. 34. gem. 322. Hermæ Priapi ſpecies quædam ſingularis exhibetur, pallio exculta ac thyrſo impoſito. Milliar. I. pa. 36. gem. 337. caput Muſæ eſt elegans in gemma clypei ritu convexa. Noſter aliquando dubitavit, an Virgilii eſſet hæc imago, quoniam eius quodammodo vultum pulchra hæc reddebat ſpecies. Sed ſtolæ ſummo in pectore veſtigia quædam, & capilli cultus, prorſus mulierem referunt. Milliar. I. pa. 42. gem. illud in Victoriæ imagine obſervatu eſt dignum, quod vultus eius, ut feſſæ, laborem pugnæ nictantibus ocellis fatetur. Milliar. II. pa. 1. gem. 1. dubitat Noſter, ſi Saturni

Digitized by Google

turni imago velati ſit, quod in hac gemmula non falx, quod Saturni geſtamen eſt, ſed harpe, ſive Plutonis ſceptrum, a poetis enſis dicitur falcatus, appareat. Tamen Saturni quoque imagines interdum harpen habere dicas pro falce. Ceterum, de Saturni ſignis conſulere potes Chriſtii de Carmine Saturnio ſcriptum; idem noſter harpes quoque figuram & modum oſtendit olim Commentariis litterariæ rei Lipſienſibus, & Commentario quidem ſeptimo, p. 32 - 34. & 81 - 86. Milliar. II. p. 5. gem. 40. Apollinis, quæ editur, imago eſt, ſeu potius, quod aſſerit Noſter, multisque videtur veriſſimum, Virgilii. Nam prorſus eius apparet vultus pulcher, ac, Donati verbo, ruſticanus. Milliar. II. p. 11. gem. 93. argumentum editur præclarum. Venus ibi apparet chlamydata, ſedensque in lorica Martis, clypeo eius una poſito, indignantis animi fluctum capitis deiecti ac pectoris flexu fatetur. Facis autem accenſæ flammis ſupervolantem papilionem adurere velle, animæ mortalium vitæque brevis ſymbolum nobile, tortrix mortalium eadem & cauſa pretiumque vitæ videtur. Ceterum *tortricis* vocabulum & nomen, quod Veneri hic noſter dare eſt auſus, plane recens & ſine exemplo, facile & novitas argumenti ac pulchritudo ſingularis adverſus talium ſpectatores eruditos excuſabit. Veniam ipſi dabitis, exemplum aliis non fecit; mutaret certo, ſi diutius vivere ei fuiſſet conceſſum. Milliar. II. p. 29. gem. 261. nova Chriſtii in Nemeſeos imagine obſervatio eſt. Cernitur nempe ibi diva nauſeabunda, & velut in ſinum exſpuens, id quod & in aliis, quotquot Nemeſeos imagine gemmas viderat, obſervavit Noſter. Facile maiorem talium rerum tibi ſuppeditare poſſemus copiam, ſed ſufficiant hæc, ne inſtituti noſtri excedamus modum.

Nunc tandem & pauca de iis rebus, ad ornatum quæ pertinent libri, dicendum eſſe duximus. Exornatus eſt liber quibuſdam felicatis ac veluti corollis, lineis ſcilicet ahenea e lamina ductis. Argumenta autem illa, quæ in tabulis aheneis pinxerat lineis, Chriſtio ſtilum ſubinde regente, Meilius, vir artis pingendi lineis peritus atque elegans, petita ſunt omnia, ſi

Digitized by Google

primum exceperis ex gemmis, quarum magnam habuit copiam Noſter, anularibus ſcitis doctisque. In fronte litterarum, quibus Sereniſſimo Electoratus Saxonici Principi heredi Commentarios ſuos conſecrat Chriſtius, illius Inſignia, quæ dicunt, e tabula ahenea lineis ſunt exſcripta, & una, noſtra quidem ſententia, terræ Miſenæ ingenium, illaque felicitas haud contemnenda, qua ibi artes litteræque florent. Caput autem litterarum, quibus de gemmarum anularium veterum gratia præfatus eſt Noſter, ornatum eſt emblemate, ex Achate maiuſcula, priſca ea ac lucidiſſima, petito quam pulcherrimo. Muſa ibi apparet, velut captum ingenio maioreque numine ſuo Cupidinem regens, qui pacem ab ea, ſignum conſilii ſui oleæ ramum tenens, vix impetret. Quod argumentum antea quoque, ex eadem Achate, in laminam aheneam aliam, lineis, ut facere ſolebat, a Meilio ſupra laudato transſcribi curavit Chriſtius: ea nunc ad nos venit tabula, & honeſto quidem, ut Iureconſultorum filii loquuntur, titulo; ex hac id argumentum nunc communicabimus tecum. Ab initio milliarii primi, & partis quidem primæ, Chiron ſpectatur, qui Achillem docet cithara canere: in extrema autem eiuſdem partis pagina Achilles citharoedus ipſe. Caput partis ſecundæ Darium Hyſtaſpis filium præbet, ut hinnitu equi ſortem regni capeſſit. Olim noſter Caſtora eſſe & Pollucem in equis putavit: ſed admonitus mutavit ſententiam. In fine eiuſdem partis lepus in ara poſitus eſt, cui aquila exta exedit. In fronte præfationis milliarii ſecundi poeta e Sarda præclari operis ſpectatur priſcus, Græcus is carmen maiore ſpiritu ruri meditans; ſimul Muſas ſpectabis, in Onyche alteram parva inſcalptam, ruſticam, cum pedo, alteram in Praſio heroi carminis cum tuba. Primæ partis caput præſtat tibi e Samothraciis anuli ſigillis, quæ quidem priſca eſſe arbitrabatur Noſter, Chalybum in maſſa utcunque ſervata, ſacrificium ſingulare deorum Iovi, maiore victima: deorum autem, Veneris cum Cupidine hinc muſico & Victoria: inde Apollinis fere citharoedi, & ignoti nullo geſtamine herois. Exitus eius partis Herculem ſingularem, cum aquiminali dicta magna, & cum cyatho, ut ſi mixturus

Tab. II.

ſit



TAB. II. ad Nov. Act. Erud. A. 1758. Menſ. Jun. P. II. pag.





Digitized by Google

ſit aqua merum, per campos Phrygiæ, ſeu Lydorum, ſub Omphales imperio, errabundum exhibet, e Sarda quidem vetuſtiſſimi probique operis. Frons alterius partis Cupidinem habet maiorem, tropæum ſtatuentem, e Sarda piſi volumine. Extrema pagina Victoriam in bigis longe ſcitiſſimam, altera manu Caſtoris & Pollucis, pugilum geſtu notandorum, ſigna geſtantem, & palmam altera, e minutiſſima quidem operis egregii Sarda redditam. Nos noſtræ quoque enarrationis exitum ornare volebamus his Poetarum imaginibus, quas olim Chriſtius ex gemmis anularibus pingi curavit lineis in lamina ahenea. Altera fortaſſis Heſiodi eſt, Homeri altera.

IOSEPHI AVERANII, V. C. ICTI, ET IN ILLUſtri Academia Piſana, dum viveret, Anteceſſoris, Opus poſtumum, continens interpretationum Iuris libros tres poſteriores: in quibus multa cum Iuris Civilis, tum aliorum veterum ſcriptorum loca, nova ratione illuſtrantur; multa item ex Antiquitate romana graecaque docte pertractantur. PARTES II. in cuius poſteriore etiam indices legum, rerum & verborum, nec non vita Auctoris continentur.

Lugduni Batavorum, apud Petr. van der Aa, Alph. 4. pl. 7. 8. mai.

Bonorum Librorum, qualis hic eſt, memoriam, propagari ad poſteritatem, etiamſi non ipſo illo tempore, quo prodeunt, bonis litteris tamen proficuum eſt. Impetrare igitur a nobis non potuimus, quin Operis iſtius, etſi decem annis forte tardius quam oportebat, honorificam mentionem faceremus, & omnino talem, qualem ſuo iure poſtulare a nobis dudum poterat videri. Varios eſſe modos, quibus ICti, elegantiorum litterarum dulcedine capti, veteres Romanorum leges vel interpretari conſueverunt, vel emendare, non poteſt non iis eſſe longe notisſimum, qui in hoc ſtudiorum campo alacriter decurrunt. Alii nimirum in locis

dubiis ad Pandeſtarum Florentinarum exemplar, tamquam in portum, confugiunt; alii fidem Græcorum ſequuntur; alii denique vulgatæ, ut vocant, editioni plurimum ponderis atque auctoritatis tribuunt. Et huic quidem ordini poſtremo ubique propemodum ſeſe addixerat *Ioſephus Averanius*, qui a corrigendi ſecandique ſtudio paullo alienior, tanto mentis acumine, tamque maturo iudicio, vulgati Codicis vindicem egit, ut nonniſi tunc Florentinam lectionem admiſerit, ſi vel iuſta ratio, vel alterius Codicis conſenſus, emendandi neceſſitatem imperaret. Luculenter id comprobavit in duobus *Interpretationum* libris, qui, adiutore *Henr. Brencmanno*, Lugduni Batavorum a. 1716. primum typis impreſſi, ibidemque vicennio poſt eleganter recuſi fuerunt. Qui labor nobiliſſimus quum communi ICtorum plauſu, publicisque dignaretur elogiis, ſtimulatus fuit Auctor, ut ad telam, quam coeperat, pertexendam, omnes ingenii induſtriæque nervos intenderet. Idque feliciter, ac propitia Themide, præſtitit in his libris poſterioribus, iisdem, quas olim in *Tomo primo* laudavimus, dotibus, eademque in ſeligendis & illuſtrandis iuris Romani locis gravioribus, dexteritate conſpicuis. Debetur autem hoc Opus humanitati viri præſtantiſſimi, *Antonii Nicolinii*, ex Marchionibus Pontis Sacci & Caſtri Camuliani, Auctoris quondam diſcipuli, cui morti vicinus commendaverat illud de meliori, ut tamquam pignus amicitiæ adſervaret, &, ſi tanti videretur, Belgis daret in lucem proferendum. Libenter igitur exſequutus hanc ultimam præceptoris ſui voluntatem eſt vir doctiſſimus, opusque ſummariis, & indicibus, ſtudioſe confectis, inſtruxit, quod ipſum dum prædicat bibliopola, honorificam quoque mentionem iniicit, qui in adornanda editione conſilio illum & opera iuvit, *Ioh. Conradi Ruckeri*, clariſſimi Academiæ Lugduno-Batavæ Anteceſſoris. Adiecta porro alteri Parti eſt Auctoris vita, ex laudati *Nicolinii*, *Angeli Mariae Riccii*, & *Antonii Franciſci Gorii*, ſcriptis ſingularibus, a iuvene quodam, iuris & *Averaniani* nominis amantiſſimo, concinnata; ex qua ut potiora transſcribamus hic, Lectorum noſtrorum intereſſe omnino arbitramur. Protulit

tulit virum Italiæ ocellus, Florentia, anno ſuperioris ſæculi ſexageſimo tertio, & die quidem menſis Martii viceſimo. Patrem nactus erat *Ioh. Franciſcuin*, eruditum tunc temporis hominem, ſcientiisque cumprimis mathematicis deditum; mater autem fuit *Margaretha Sacchettina*. Primis litterarum fundamentis in collegio Florentino poſitis, contulit ſe Piſas, ubi tum frater, *Benedictus*, patriæ ſuæ Tullius, limatioris Græciæ Latiique theſauros recludebat. Quadriennio ibidem exacto, tanta cum in iure, tum in Geometria, incrementa ceperat, ut viginti vix annorum adoleſcens, non ſolum Doctoris conſequi inſignia poſſet, ſed aliis etiam hiſce in ſtudiis non ſine laude viam præiret. Inde factum, ut, quum longe lateque diffunderetur nominis celebritas, *Coſmus III.* Etruriæ Dux, digniſſimum eum inter cæteros omnes cenſeret, cui docendi iuris civilis provincia in Academia Piſana demandaretur. Paullo poſt novum meritorum præmium acceſſit, dato in diſciplinam eius Principis maximi filio, *Iohanne Gaſtone*, paternarum deinceps ditionum herede, ad quem quidem felicitatis gradum quamvis ſua virtute pervenerit, multum tamen & commendatio *Henrici Noriſii* profuit, qui eodem tempore Principi hiſtoriæ & numiſmatum ſcientiam tradebat. Mortuus tandem eſt, poſtquam apoplexia, qua per decem fere menſes crudeliſſime eſt vexatus, omnem ei memoriam abſtulerat, die 24. m. Auguſti a. 1738. annos natus ſeptuaginta quinque, menſes quinque, & quatuor dies. Cælebs per totam vitam, bona ſua teſtamento reliquit Patribus Hoſpitalariis S. *Iohannis*. Bibliothecam exquiſitisſimam Academiæ donavit Piſanæ, variisque amicos legatis ornavit. Fuit profecto vir prudens, omnibus carus, &, præter inſignem iuris ſcientiam, in diſciplinis & philoſophicis, & mathematicis, longe verſatisſimus. Quod ad illas attinet, multum tribuebat Philoſophi Stagiritæ ſcriptis, ita tamen, ut Platoni primas deferendas eſſe partes crederet. Hunc enim ingenii ac ſapientiæ principem laudabat, ab hoc fonte ratus omnem ſolidiorem doctrinam latisſime dimanaſſe. In rebus naturæ quid poſſet, luculenter oſtendunt obſervationes *Transactionibus Societatis*

 Lon-

Londinenſis, cuius membrum fuit, inſertæ. Sæpenumero in Obſervatorio Academiæ Piſanæ, ope præſertim machinæ pnevmaticæ *Boyleanae*, præſente *Coſmo III.* eiusque filio, ſpecimina phyſica dedit. Ipſius etiam ſunt quædam de ſoni propagatione experimenta; in qua indaganda induſtriam ſuam adiunxerat *Henric. Newtonus*, Britannorum ad Florentiæ Ducem Legatus. Antiquos Mathematicos nocturna diurnaque manu verſabat: cuius ſtudii teſtes ſunt Commentationes nondum editæ in *Archimedem*, eiusque interpretem, *Eutocium*, pariterque in *Ptolomaeum Almageſtum;* quæ ſi quando ab interitu vindicentur, habebunt harum rerum amatores, qui facem iis præferat in tot tamque obſcuris horum auctorum locis intelligendis. Nec poeticæ expers ſanitatis fuit, adeoque ſe carmina eius probarunt *Petro* olim *Burmanno*, ut ea ſibi typis vulganda poſtularet, ad quem etiam, vivo adhuc *Averanio*, transmiſſa ſunt. Scripta viri hæc exſtant: I.) *Interpretationum Iuris libri V.* Duo priores quum apud auctorem vidiſſet, qui tum Pandectas Florentinorum cum editis conferebat, *Henric. Brencmannus*, ita eum delectavit operis elegantia, ut ſtatim ſibi ſpecimen expeteret, *Gerardi Noodt*, & *Cornelii* van *Bynckershoek*, ſummorum virorum, iudicio ſubiiciendum. Quibus poſtquam mirifice placuiſſent auctoris lucubrationes, facile impetravit ab eodem, ut in Belgio ad dias luminis auras perducerentur. II.) *De calculorum, ſeu latrunculorum, ludo, diſſertatio, Venet.* 1743. in *Tomo VII. delle Miſcellanea di vari Opuſcoli.* III.) *De iure belli ac pacis diſputatio, Florent.* 1703. IV.) *Diſſertatio de repreſſaliis*, habita *Piſae* 1713. magno cum ſuo, tum Lycei Piſani honore, coram potentiſſimo Auguſto III. Poloniarum Rege, qui tum Princeps Iuventutis Italiam perluſtrabat. V.) *De libertate Florentiae* opuſculum, quod quo loco annove prodierit, ignoravit vitæ Averanianæ ſcriptor. VI.) *Vita fratris, Benedicti*, operibus eiusdem a. 1717. præmiſſa. VII.) *Conſultationes & Reſponſa iuris*, ſeorſim edita. VIII.) *Lezioni ſopra la paſſione di N. S. Ieſu Criſto, Urbino*, 1738. 12. de quo eleganti libello diximus in his *Actis a. 1742. p. 15. ſq.* IX.) *Prefazione alle Poeſie*

Toſ-

Digitized by Google

Toſcane di Monſ. Anſaldo Anſaldi, impreſſe in Firenza 1704. X.) *Lezioni Toſcane, ibid.* 1744. 4. cuius præclari operis, ingentique eruditione ex Græciæ ac Latii Scriptoribus referti, in lucem proferendi publicam initium fecit *Gorius*, Muſarum Italicarum decus nuper incomparabile. *Averanii* quoque curis debemus præclaram fratris, *Nicolai*, commentationem *de menſibus Aegyptiorum*, in gratiam *Ant. Mariae Salvini*, quem noſter maxime coluit, adiectis notis P. *Henrici Noriſii*, excuſam 1737. 4. Inter opera auctoris inedita memorantur: *de Lampadum ludo*, diſſertatio; *Elegiae*, *Epigrammata*, & *alia carmina; Opuſcula mathematica; Eſperienze fatte ſopra le gemme e pietre dure, col Specchio Uſtorio; Eſperienze ſopra la propagazione del ſuono*, aliaque Mſta quædam, quæ in Bibliotheca Academiæ Piſanæ exſtare dicuntur.

Nunc ad ipſum librum, in quo multa præcipue de *hereditatibus, legatis, fideicommiſſis* & *conditionibus*, erudite pertractantur, paullo accedemus propius, quibusdam ſpeciminibus indicaturi, quantum lucis ex frequentiore eiusdem uſu iurisprudentia civilis, eaque elegantior, exſpectare posſit. Acerrime diſputatum inter viros doctisſimos, an Principum familiares pro ſalario, quod iis debetur, tacita gaudeant hypotheca, nec ne? itemque an præferendi ſint cæteris creditoribus, expreſſam etiam & antiquiorem habentibus hypothecam? Conſultum eſt hac in controverſia ius Romanum, quæſitumque, an Præſidum olim & Imperatorum Comites huiusmodi inſtructi privilegio fuerint? Qua de re quum & auctor, quam animo foveret ſententiam, interrogatus eſſet aliquando, multa congesſit, quæ ad cauſſæ defenſionem conducere iudicabat, & *lib. III. cap.* 1. 2. & 3. materiam de Comitibus iſtis elegantisſime excusſit, uberrimeque. Quatuor ſtatuit eorundem claſſes. In *prima* collocat eos, qui comitari Præſides, Proconſules, & alios magiſtratus ſolebant, ad regendas provincias Roma abeuntes: in *altera* eos, qui Imperatoribus, in expeditionem prodeuntibus, aut peregre proficiſcentibus, ad latus erant: in *tertia* hos, qui ad honorem dignitatemque comitatus evehebantur: in *quarta* denique Comites, qui regebant provincias, quique poſtre- Pag. 2. ſq.

poſtremis imperii Romani temporibus introducti fuerunt. A primis ut ordiamur, ſciendum, Præſides multos in provinciam ſecum duxiſſe, quorum in rebus gerendis miniſterio uterentur. Hi ſigillatim Comites dicti, generatim & univerſe cohors, ſeu cohors Prætoria. Eorum in numero erant: Præfectus, qui toti cohorti præerat, eamque continebat in officio; item ſcribæ, medici, accenſi, haruſpices, præcones, aliique Præſidis miniſtri, quod ex *Cicerone lib. II. in Verr.* perſpicitur. Idem recenſet inter Comites etiam Legatos, & pluribus quidem in locis. Videntur Legati ii fuiſſe, qui in iure Romano Adſeſſorum nomine inſigniuntur. Erant illi pariter miniſtri conſilii provincialis, Præſidisque quodammodo ſocii: nam iuxta ſedebant in tractandis provinciæ negotiis, & ea peragebant fere omnia, quæ ad iudicia, ad iuridicam & legitimam provinciæ adminiſtrationem, pertinebant. Plures erant Adſeſſores, plures etiam Legati: ſtudioſi iuris erant Adſeſſores, etiam Legati: de publico ſalarium accipiebant Adſeſſores, item & Legati. Quod *Cicero* ſemper Legatos nominat, nunquam vero Adſeſſores, mirum videri non debet, quandoquidem Adſeſſoris vox eo tempore non erat adeo uſu recepta. Idem *Tullius* convictorum porro, qui & contubernales vocantur, mentionem iniicit *lib. I. ep. 1. ad Q. Fratr.* Sed hi in Iulii Cæſaris edicto, de quo v. *Suetonius cap. 42.* a Comitibus diſtinguuntur. *Cuiacius lib. VII. obſ. 22.* in libris iuris ſemper *Comites* pro Adſeſſoribus accipi credit. Sed non ſine argumentis idoneis ab eius Auctor ſententia recedit, multasque hac occaſione leges perdocte interpretatur. Quibus confectis, de Comitum primi ordinis ſalario diſpicit. Percipiebant id, & omne lucrum, tam ii ipſi, quam Præſides, a publico, ac primum quidem vaſarii cibariorumque nomine; poſtea & pro ſpeciebus pretium ſumere iuxta fori nundinationem poterant, quod *lucellum* dicitur a *Catullo*. Tertio Romam reverſi, quum a Prætore vel Præſide delati ad ærarium fuiſſent, ex eo beneficiis fruebantur, quæ & *ſolatiorum* nomine in Codice Theodoſiano obveniunt, & vacationes fuiſſe videntur, a fiſco ſolvi ſolitæ officio abeuntibus, non ſtipendii

dii

dii cauſſa, ſed remunerationis loco, propter bene navatam reipublicæ operam. Nullibi tamen legimus, his Comitibus hypothecam fuiſſe conſtitutam; in quo privilegio concedendo, quum id aliis creditoribus fraudi eſſet, parciſſimi erant Romani. Sequitur ſecunda Comitum claſſis, eorum nempe, Pag. 33. ſq. qui Imperatorem peregrinantem, vel in expeditionibus, comitabantur. Inter hos præcipui contubernales, qui & amici atque familiares, item Comites intra palatium dicuntur, quod locis ex *Spartiano* deſumtis, nec non antiquis inſcriptionibus probari ſatis poteſt. Nec tacendi ſunt Comites intra Conſiſtorium, ſive Conſiſtoriani, quos Imperator conſulere in rebus gravioribus ſolebat. Conſiſtorii autem locus eſt, ubicunque Princeps cum Conſiſtorianorum concilio decernit. Comitum horum ingens numerus quum creviſſet in dies, magnaque eorum dignitas eſſet, omnes in tres claſſes diſtribuebantur. Erant enim vel primi, vel ſecundi, vel tertii ordinis. Plurimi hoc diſcrimen Conſtantino tribuunt: ſed rectius id a Tiberio inſtitutum eſſe putat auctor, eamque in rem ad *Sueton. in Tiber. c. 46.* provocat. Tum vero ſalarium eorundem in annona conſiſtebat, quod itidem Tiberius introduxit, qui parcus pecuniæ ac tenax erat, uti ex eodem *Suetonii* loco adparet. Diviſi etiam Comites in varios ordines officiorum domus auguſtæ fuerunt. Primum enim quatuor erant ſcrinia palatii, ſcilicet memoriæ, epiſtolarum, libellorum, ac diſpoſitionum. Vid. *L. 3. & 4. C. de prox. ſacr. ſcrin.* idque ab Auguſto, ſuaſu Mæcenatis, factum, propter negotiorum multitudinem. Qui ſcrinio memoriæ præficiebatur, & officii princeps erat, dicebatur *Magiſter ſcrinii;* ſecundus, *proximus ſcrinii. L. I. C. de magiſtr. ſacr. ſcrin. L. V. & tit. C. de prox. ſacr. ſcrin.* Erravit igitur *Salmaſius*, qui ex utroque unam fecit perſonam, quod luculenter ab auctore oſtenditur. Qui princeps erat diſpoſitionum, proprie non vocabatur Magiſter, ſed *Comes diſpoſitionum*, dignitate tamen inferior erat Magiſtris aliorum ſcriniorum, & proximis exæquabatur. Dabantur præterea Comites rei privatæ, qui fiſco præerant; ſacrarum largitionum, quibus ærarii cura fuit demandata; ſacri

 pala-

Digitized by Google

palatii, & ſacri patrimonii, de quibus diverſi tituli exſtant in Codice Iuſtinianeo. Ridet Noſter advocati cuiusdam primarii explicationem, quod ſcripſit, Comitem ſcholarum, de quo in *l. 3. C. de offic. magiſtr. officior.* dapiferum eſſe, vel architriclinium, qui ſumma cura nitebatur parare Principi epulas ea diligentia, qua ſcholares ſtudent in ſcholis. Schola potius erat ordo militantium, qui palatium cuſtodiebant. Erant 3500. ex præſtantiſſimis Armenis, in ſcholas diviſi, qui palatii Principalis cuſtodiam habebant, ideoque huic parebant Magiſtro, & uberius cæteris militibus ſalarium percipiebant. Quod vero ad hypothecam attinet, cuius cauſſa omnem hanc diſputationem ſuſcepit Auctor, nihil quicquam in toto iure civili occurrere ait, ex quo ſuſpicari liceat, hanc hypothecam Comitibus & palatinis fuiſſe conceſſam. Quamquam enim de his, eorumque dignitate, privilegiis, prærogativis, ſalario, & annonis, latiſſime exactiſſimeque agatur in libro Codicis Iuſtinianei primo, nec non in tribus ultimis libris, pariterque in Codice qui a Theodoſio nomen accepit; nunquam tamen nec hypothecæ illis conceſſæ mentio fit, nec ullum eius privilegii veſtigium adparet. Quis igitur tam audax fuerit, ut eam pro arbitrio velit introducere? Et quid cauſſæ eſſe poterat, cur Imperatores contra ſe ipſos darent huiusmodi privilegium iis, quos ad excelſam evehebant dignitatem, quos annonis & ſalario ſuſtentabant? Ab iis exegiſſe Imperatores ſatisdationem ex *l. 14. C. de murileg.* & *l. ult. C. Th. de diverſ. offic.* cognoſcimus: at, Imperatores ipſis ſatisdediſſe, nusquam legitur. Denique quænam, quæſumus, bona huic obnoxia eſſe hypothecæ debebant: ærarii ne, an fiſci? Utrumque adeo abſurdum, ut nihil ſupra. Tertiæ claſſis Comites in tres iterum ordines ſingulares dividendi. Eorum dignitas Comitiva dicebatur, adeoque comitivæ erant primi, ſecundi, tertii ordinis. Comites primi ordinis in tres etiam claſſes erant diſpertiti: alii enim comitivam primi ordinis obtinebant ſimul cum adminiſtratione provinciæ; alii dicebantur *vacantes*, quibus comitivæ dignitas conferebatur præmii loco, propter bene adminiſtratam provinciam; alii denique pretio, vel gra-

Pag. 42. ſq.

tia,

tia, comitiva ornabantur, cæterisque inferiores erant, quia licet unum ſit nomen, tamen æſtimandum meritis eſt, *l. un. C. Th. de comit. vacant.* Primi ordinis comitivam non una omnes ratione conſequebantur. Quidam eius participes ipſo iure fiebant, ſtatim ac munus aliquod aut officium a Principe iis deferebatur, veluti Comites Aegypti, Scholarum &c.; alii gaudebant eadem ob merita, ſi laudabiliter perfuncti muneribus iniunctis eſſent, quo pertinent Archiatri, Profeſſores Conſtantinopolitani, pariterque ii, qui excellebant in arte quadam; alii eam reportabant, quum deponerent munus, præclare geſtum, ut principes agentium in rebus. De comitiva ſecundi tertiique ordinis exſtat nonnihil in Codice Theodoſiano, ſcilicet *l. 17. ſq. de prox. comit. diſpoſit. l. 8. de agent. in reb.* & *l. 127. de decurion.* Erat & alia horum Comitum diſtinctio, quoniam nonnulli provincias regebant, & provincialibus præerant; nonnulli contra ſummam imperii in milites tenebant, quibus provinciam tuebantur. Atque hi Comites militares & limitanei vocati fuerunt, iterumque diviſi in tres ordines, uti eos diſtinxit Conſtantinus M. referente *Euſebio* in *eius vita lib. IV. c. 1.* Comites primi ordinis erant initio ducibus digniores, & Magiſtri militum; ſecundi ordinis duces, tertiique tribuni vocabantur. Magiſtri militum primo duo tantum fuerunt, alter pedum, alter equitum: poſtea tamen auctum eorundem numerum ſcimus. Superſunt Comites quartæ claſſis. Horum princeps erat Orientis Pag. 47. ſq.
Comes, qui ſexcentos habens apparitores, provinciis quindecim præerat, videlicet quinque conſularibus, octo præſidalibus, duabusque perfectiſſimorum, h. e. Arabiæ & Iſauriæ, in quibus perfectiſſimi iudices erant, ſeu viri, ad minorum provinciarum adminiſtrationem deputati. Ad quod rectius intelligendum, Auctor explicat breviter diſcrimen inter provincias, ab Auguſto ſtabilitum. Perfectiſſimi in tres erant claſſes diviſi, primi nempe, ſecundi, ac tertii ordinis, uti conſtat ex *l. 7. §. 1. C. de palat. ſacrar. largit.* Ex iis quidam Comites erant, & Præſides etiam, quique provincias regebant, eadem decorari dignitate, & quidem primi ordinis, ſolebant.

 At

At illis tantum Præſidibus, qui ab Imperatore mittebantur ad provinciam gubernandam, iſthæc collata dignitas fuit, quum plerumque in miniſterio Principis eſſent. Ad hos referri quoque poteſt Comes privatarum rerum divinæ domus. Quamvis enim ille provincias non adminiſtraret, magna tamen in iis ipſis auctoritate pollebat, quandoquidem patrimonium Principis procurabat, agrosque, per totum Orientis tractum ſitos. Vocatur idem ille nonnunquam rationalis, & Magiſter rei privatæ, procurator Cæſaris, curator, procurator privatæ rationis, Comes rei dominicæ, item Comes ærarii privati. Huius amplisſima erat iurisdictio. Præter cauſſas enim fiscales, cognoſcendi quoque ius ipſi erat de causſis ſtatus, de iure ſepulchrorum, de causſis inceſtus, & de corruptis iudicibus. Comites iſti, de quibus hactenus, nullam habebant hypothecam in bonis Imperatoris, nec poterant omnino habere. Fruebantur enim annona, de publico iis adſignata, quam porrigebant provinciales, manu militari, ſi id iuſto tempore non fieret cogendi. Procurator Cæſaris pecuniam, & quicquid aliud a colonis debebatur, exigebat; ſed annonam, quæ Comitibus erat conſtituta, exigebant ipſi. Quantum iis annonæ ac ſalarii nomine datum fuerit, Valeriani Imperatoris exemplo idonee oſtendit Auctor, de quo conſulendus *Vopiſcus* in *Probo cap. 4.* pariterque *Trebell. Pollio* in *Claudio cap. 14.* Ne autem gravarentur provinciales, ſeverisſime interdicta erat annonæ æſtimatio, præſtarique tantum debebant, quæ provincia ſuppeditabat. Poſtea tamen, collabente paullatim diſciplina, ſalaria adærare licuit, imo & ſtellaturas, donec tandem Iuſtinianus in limitaneis & comitatenſibus militibus prohiberet hoc, impoſita quadrupli poena, cum dignitatis privatione. Dicebatur *ſtellatura* quicquid tribunus ex ſalario annonaque militibus debita decerpebat, ſibique retinebat. Unde nomen originem trahat, varie diſputatum eſt inter eruditos. Audiamus auctoris verba. *Equidem*, ait, *non video, cur non deduci poſſit a ſtellis. A ſtellis ſtellare, ſtellatus, quae paſſim uſurpantur: cur non etiam ſtellatura? ut a praefectus praefectura, a ſutum ſutura, & ſimiles. Quidni autem dici*

Pag. 57.

poſ-

poſſit id a ſimilitudine ſtellarum deciduarum & diſcurrentium, quas e numero & congerie ſtellarum decerptas in terram & mare prolabi vulgo creditum eſt: ſeu, ut Plinius putat, a ſtellis ipſis extrudi nimio alimento tracti humoris, quemadmodum a lumine ſcintillae identidem egeruntur & extruduntur, fuiſſe ad militum annonam traductum? Sicut enim ſtellae vagantes & diſcurrentes e coelo decerpuntur, cuius minimae ſunt particulae; ita minimae illae partes, quas tribuni ex militum annonis decerpebant, quaſi ſtellae deciduae, ſtellaturae nomen dederunt illi delibationi & abraſioni ſalarii militaris. Minima enim erat ſalarii pars a tribunis abraſa, neque poterat excedere annonam ſeptem dierum, l. 12. C. de erog. milit. ann. ex qua corrigenda eſt l. 28. C. Theod. eod. tit. in qua pro ſeptem *legitur* ſemper. Hæc ipſe Auctor noſter, qui deinceps de modo exigendi annonas diſſerit, ac tandem monet, fiſcum ſibi obſtrinxiſſe ſibi idonea ſatisdatione Comites & rerum provincialium adminiſtros, illos autem nulla obligatione fiſcum aut Imperatorem devincire ſibi potuiſſe. Nec etiam hac indigebant obligatione cum hypotheca, propterea, quod in eorum poteſtate erat exigere a provincialibus, atque adeo extorquere ſalarium, ſibi de iure debitum. Et nihil quoque dici poſſe abſurdius, exiſtimat Auctor, quam Imperatorem tacitæ hypothecæ privilegium contra ſemetipſum conceſſiſſe. Nec vereri poterat, ne ii, quibus honorem ampliſſimum, magiſtratum maxime quæſtuoſum, regiamque fere poteſtatem tribuebat, hæc repudiarent omnia, niſi daret etiam privilegium tacitæ hypothecæ, cum prælatione in univerſis eiusdem bonis.

DE VICTU FEBRICITANTIUM DISSERTATIO, Auctore IOSEPHO ANTONIO PUIATI, Sacilienſi, in Patavino Gymnaſio Praxeos Medicae Ordinariae P. P. P.

Patavii 1758. typis Seminarii, pl. 22. in 4to.

Febrientibus recte mederi poſſe neminem, niſi qui victus rationem iis accommodare ac regere ſciat, rerum medicarum

Digitized by Google

carum intelligentes Clariſſ. Auctori facile largientur, eiusque adeo laborem, quem in conſcribendam hanc diſſertationem inſumſit, grato proſequentur animo, cum rem eam ad vera artis principia, optabilemque ſimplicitatem, a Clariſſ. Auctore retroductam eſſe intellexerint. Iſtud autem ut facillime planisſimeque fieret, hiſtoriam praxeos a Veteribus in alendis febricitantibus ſervatæ contextam tradidit, fonteſque, unde ſua expromſerit, veluti digito monſtravit, rationeſque, quibus eam tuebantur antiqui artis conditores, ubique addidit. Sect. igitur I. in lectoris memoriam revocat diviſionem febrium in acutas & chronicas. Acutas quidem eſſe, quæ ſine intermisſione, cum gravioribus ſymptomatibus, cito ad bonam vel malam iudicationem exitumve perducantur. Eas autem eſſe vel acutiſſimas, ſeu barbare perperacutas, vel acutiores ſeu peracutas, vel acutas ſimpliciter, vel acutas ex decidentia ſeu permutatione aut degeneratione. Morborum autem iudicia ſeu criſes nihil aliud eſſe, quam certas quaſdam mutationes evidentes, quæ ex morbi naturæque pugna incidant. Febribus perperacutis victum extreme tenuiſſimum, ſeu omnimodam abſtinentiam; febribus peracutis victum tenuiſſimum, ſed non extreme, h. e. uſum melicrati, oxycrati, & ptiſanæ cremorem; febribus ſimpliciter acutis victum ſimpliciter tenuem, h. e. ptiſanam ipſam; febribus denique acutis ex decidentia victum plenum, h. e. ptiſanam ipſam, ova, alicam, piſceſque ſaxatiles convenire, ab Hippocrate, aliiſque priſcæ ætatis Medicis exiſtimatum eſſe, ita tamen, ut ætati, tempori, regioni, conſuetudini ægrotantium, ſubinde aliquid dandum eſſe putarent. Victum vero animalem reliquum, ab acute febrientibus omnino arcuiſſe.. Sect. II. occurritur obiectionibus eorum, qui, dum acute febricitantibus victum animalem valentiorem indulgent, Hippocratis auctoritate tueri ſe poſſe credunt. Quod facere non melius potuit Cl. Auctor, quam rectam ſuppeditando interpretationem Aphoriſmorum Hippocratis, qui ob brevitatem aliquid difficultatis obſcuritatiſque habere videntur: ſcilicet 4. Aph. 1.; 5. Aphor. 2.; 5. Aphor. 1. Oſtendit igitur Cl. Puiati, noxam, de qua 5. Aphor. 1. ſermo

ſermo eſt, non in victu tenui, ſed in erratis, quæ cum victu eo, ſcilicet dum victu eo utuntur ægrotantes, patrantur, quærendam eſſe. Quo maxime loco Hippocratici textus interpretes & commentatores diligenter & docte inter ſe conferuntur, & Hippocrates a contradictionis apparentis crimine vindicatur; ſimul regula *Celſi* L. I. c. I. Qui bene valet, & ſuæ ſpontis eſt &c. explicatur, doceturque, ea neutiquam bene valentibus commendari victum abſolute plenum, ſed tantummodo varium vitæ genus. Sed hac quidem explicatione minime egere illam Celſi regulam credimus, cum Celſus, toto illo capite, optimus verborum ſuorum interpres ſit. Quoniam vero nonnulli auctoritatis Hippocraticæ abuſum eo firmare geſtiunt, quod victu tenuiori vaſa exinaniri, exinanita coaleſcere putant; iſtud tam parvo temporis intervallo nequaquam fieri, &, ſi ipſe Hippocrates evacuationes exinanientes damnet, de plurima & repentina evacuatione ſermonem ipſi eſſe docetur. Denique fuſe & docte explicatur, quid conſuetudini ægrotantium in iis nutriendis tribuendum ſit, nimirum aliquid, non plurimum. Sect. III. ſolidiora principia, quibus regi debeat febricitantium victus, adducuntur: ſcilicet 1.) febrem acutam fieri a materia auferenda; 2.) febrem acutam eſſe materiam auferendam, magno cum impetu actam; 3.) ut materies auferenda ſalubriter auferatur, vires quidem aliquousque minuendas, ſed non proſternendas eſſe. Inde autem proximum eſſe, ut nec plurimi cibi, nec multum alentes, aut multum actuoſæ materiæ inferentes, acute febricitantibus convenientes ſint. Quam ob rem non convenire victum animalem, ne triticum quidem, ſed hordeum, & ex eo præparata; quippe in quo glutinoſæ illius materiæ, quæ animalium nutritionem præſtat, non ita multum inſit. Id quod & veterum diligens obſervatio, & recentiorum adducta experimenta chymica, comprobaverunt. Reſpondetur denique ad quæſtiones duas. Ad Primam, ſcilicet, cur hordei uſus apud nos in acute febricitantium victu ferme obſoleverit? reſpondetur, id deberi Medicis iuſto indulgentioribus, qui loco edulii ingrati & nauſeoſi, gratius ſapidiusque ægris nimis facile concedant. Altera quæ-

ſtio,

Digitized by Google

ſtio, qui nimirum cibi, Ptiſanæ, aliisque fere obſoletis eduliis, aliqua cum ratione ſubſtitui queant? ita diluitur, ut Cl. Auctor exiſtimet, loco melicrati & oxycrati aquam ſucco limonum & ſaccharo acido-dulcem redditam; loco cremoris ptiſanæ emulſiones ex ſeminibus frigidis plus minusve dilutas, additisque vel non additis amygdalis dulcibus paratas, nec non iura cammarorum aut cancrorum fluviatilium, porro oryzæ cremorem, aut olera non medicamentoſa, ſubſtitui poſſe; loco ptiſanæ integræ ptiſanam avenæ aut oryzæ, panatellas, iura levia pullorum aut vervecis, quibus olera refrigerantia incoxerint, dari poſſe; loco denique victus relate ad ægrotantes pleni, panatellas valentiores, panis ſubtiliores offulas ex iure, teneriorum animalium ova, cerebra, iecinora, vitulorumque thymum concedi poſſe, nulla autem iura conſummata, aliave valentiora. Sect. IV. tertium ex illis ſupra poſitis principiis perſequitur, quod erat, viribus quidem opus eſſe, ut auferenda materies, acuti morbi cauſa, a corpore ſalubriter expellatur, ſed viribus non magnis; eoque non ſolum acuta febre laborantibus vires non eſſe augendas intendendasque, ſed minuendas & convellendas. Poſt varia erudite diſputata, reperit demum in ſola ſufficiente evacuatione humorum ſpem certiorem ſolidioremque, effrænos motus viresque nimias compeſcendi; quare evacuandum eſſe, non utcumque, verum quousque impellentes ſanguinem vires fractæ aliquanto fuerint. Cuius rei certius criterium, ex obſervatione Hippocratica, 28. aphoriſm. 3. comprehenſa, repetit, qua conſtat, parum feliciter agi rem eorum acute ſebricitantium, quorum corpora, quamvis morbo medicamentisque exercita, non minuuntur, ſed, ut ſanitatis tempore, turgidula adhuc & bene colorata apparent. Igitur, ut de iis bene ſperemus, inter alia, minui vires oportere, & vaſa in iis concidere. Hinc ad incipientem vaſorum collapſum vires convellendas eſſe. Quanta vero evacuatione ad hunc collapſum opus ſit, ſagacitatem medici, ex habitudine, ætate, ſexu, vivendi modo ægrotantis, conicctari haud difficulter poſſe. Semper tamen evacuationem relative magnam tunc requiri, monet Cl. Auctor. Tandem

dem

Digitized by Google

dem ex eodem principio fluere, acute ægrotantes non pleniore, ſed tenuiore cibo, non tam alendos, quam ſuſtinendos eſſe. Sed cum nec deſint ægrotantes, qui de virium imbecillitate conquerantur, Sect. V. & VI. in modum inquirit, quo tractari debeant iſtius generis febricitantes. Ubi quidem conſiderandum eſſe rectiſſime monet, num imbecillitas illa poſitiva vel negativa ſit, h. e. utrum homo viribus deficiat ob defectum humidorum, quocunque demum modo inductum; an vero tantummodo debilis ſit ob vim & malignitatem morbi, vel ſævitiam ſymptomatum. Caſu poſtremo, non alentibus, ſed deplentibus, morbumque minuentibus, debilitati occurrendum eſſe; caſu vero priori utique requiri talia, quæ ægrotantem refocillare poſſint, eaque ſæpe inſtante ipſa febris acceſſione neceſſaria eſſe. Sect. VII. probat, nos, in hodierna praxi, minime incedere poſſe Hippocratica methodo alendi acute febricitantes. Hippocratem enim in talibus morbis propemodum nihil egiſſe, nudum ſpectatorem cunctatoremque fuiſſe: nos vero, ſtatim ab initio febrium acutarum, vim morbi naturæque evacuationibus variis medicinisque aggredi ſolere; eoque fieri, ut omnimoda abſtinentia, & victu tenuiſſimo, usque ad morbi vigorem uti non liceat, niſi ægrotantes fame & ſiti perdere velimus; quare, cum turbata morbi tempora prænoſcere nequeamus, conſilium extemplo capiendum, atque, prout morbus ſeſe manifeſtarit, ſpeciei morbi convenientem victum accommodare etiam atque etiam ſtudendum eſſe. Sect. VIII. tandem ea, quæ in præcedentibus generatim diſputata ſunt, febribus, tum acutis continuis, tum chronicis, atque intermittentibus, aptare ſtudet, iuſtasque querelas, de perverſis febres acutas curandi generibus, quæ nimis diu medentium animis penitus inhæſerunt, multisque ægrotantibus exitio fuerunt, annectit. Cl. Auctor per totam tractationem acre iudicium, multifariam lectionem, magnam perſpicuitatem, lectoribus probat, ita ut omnes medentes, iuniores potisſimum, experientia nondum ſubacti, ex hac diſſertatione proficere multum posſint.

COLLECTIO SCRIPTORUM RERUM HISTORICO-Monaſtico-Eccleſiaſticarum variorum religioſorum Ordinum, TOMI III. curante MICHAELE KUEN, Canon. Regul. S. Auguſtini ad Exemtas Inſulas Wengenſes Ulmae Decano, iam ibidem Praelato, & Sacrae Caeſareae ac Cathol. Maieſtatis Conſiliario ac Sacellano Perpetuo.

Ulmæ 1755. & 56. ſumptibus Gaumianis, 6. Alphab. 21. plag. in fol.

Emptu & paratu difficilia ſunt, ſolo fere Bruſchio excepto, Monaſteriologorum Opera, quæ vel elapſo demum ſeculo prodierunt. Quare bene de Eruditis meretur S. R. I. Civitatis Ulmenſis Bibliopola, fama celebris, quod, quæ eorum rariſſima ſunt, iuſtis Voluminibus, ne forte aliquando penitus intereant, & ſumtu magno, & accuratione incomparabili, recudi facit. Eius Collectionis Tomos tres priores nunc quidem in manibus habemus; quos hoc avidius excepturi ſunt, Hiſtoriæ Germanicæ, monaſticæ potiſſimum, amatores, quod non plura, quam quingenta exempla, excudi Bibliopola voluit, non ſuffectura tarde venientibus. Reverendiſſimi Editoris conſilium, Scriptores incorruptos atque incaſtratos tradendi in manus Lectorum, hoc laudabilius eſt atque honeſtius, quo turpius ſe dant ii omnes, qui, more carnificum, Scriptores quosvis miſere delumbant. Accedit, quod malæ cauſæ indicium eſt, quæ ſcripta olim ſunt, tamquam ſcripta non ſint velle efficere. A laudabili tamen conſilio defeciſſe nonnumquam Editorem doctiſſimum, vehementer miramur. Tale eſt in Præfatione Tomo II. præmiſſa, ubi ipſe ita ſcribit: *Ad finem Partis huius ſecundae, in deſcriptione* Anhuſani Monaſterii, *occurrunt quaedam, quibus ipſemet Author, aliquas vitae ſuae circumſtantias plangenti calamo depingit, ſuperfluum proin foret illas huc transferre.* Cur ſuperfluum? Sed non erant forte Anhuſano Monaſterio ſatis honorifica, quæ illic Stengelius memoriæ prodidit. Si hoc non

Digitized by Google

non eſt caſtrare Scriptores, iisque detrahere pro lubitu, quid ſit aliud fatemur nos non intelligere. Sed recenſebimus iam, quæ Tomis his tribus præſtantiſſimæ Collectionis exhibentur.

Eſt igitur *Tomo I.* recuſa:

I. CAROLI STENGELII Monaſterologia, antea typis edita Auguſtæ Vindelicorum 1619. Eam ſcriptis rariſſimis accenſet *Vogtius*, in Catal. librorum rar. pag. 645. Sed in noſtra hac editione omiſſi ſunt iconiſmi, in illa ſingulis monaſteriis præfixi. Vita Stengelii ex *Corbiniani Kham* Hierarchia Auguſtana P. II. Collegiali ſiſtitur in Præfatione Tomi huius, virique Opera ibidem recenſentur latina & germanica.

II. *Mantiſſa huius Operis*, quæ ſeparatim prodierat Auguſtæ Vindel. 1650. Sequuntur deinceps

III. AUBERTI MIRAEI Origines Benedictinæ, olim publici iuris factæ Coloniæ Agripp. 1614. De Miræi, qui Lipſii, at quanti Viri! diſcipulus fuit, vita & ſcriptis, hic quoque agitur in Præfatione Tomi I. diligenter atque erudite.

Tomo II. cui itidem præfatus eſt Editor V. Cl. habentur ſequentia:

I. STENGELII Monaſterologiæ *Pars altera*, liber rariſſimus, primum editus Aug. Vindel. 1638. in fol. quem magnus ille litterator, *Dominicus Paſſioneus*, S. R. E. Cardinalis, quem Bibliothecam ambulantem dixeris, queritur, in Epiſtola ad Bern. Pezium, ſe reperire, omni licet adhibito ſtudio, non potuiſſe.

II. Compendium Hiſtoriæ & Donationum extincti *Monaſterii Reichenbacenſis*, Ord. S. Benedicti, in confinibus ſylvæ Herciniæ & moderni Ducatus Würtembergici, ex Chartulario Wiblingano erutæ. Prolixior Abbatum huius Monaſterii Catalogus legitur apud *Bucelinum*, Germaniæ Sacræ Parte II. pag. 74. Quæ ibi diverſimode narrantur, ea examinantur in Obſervationibus Præfationi T. II. inſertis. Hiſtoriam monaſterii ſcripſit *P. Martinus Mack*, Benedictinus Wiblingenſis. Atque hoc idem illud monaſterium Wiblingenſe eſt, cui Vir doctiſſimus, *P. Oliverius Legipontius*, in hiſt. litter. Ord. S. Benedicti, *ſcythicam barbariem* obiecit: qua de cauſſa Editori

Digitized by Google

Collectionis iſtius, in Præfatione Tomi huius, vehementer vapulat.

III. *Supplementum Bruſchianum*, ſive Centuria ſecunda Monaſteriorum Germaniæ, quam ex *Caſp. Bruſchii* MSCto edidit *Daniel Neſſelius*, anno 1692.

IV. IOHANNIS BIRCK, Campidonenſis Scholæ S. Hildegardis latinæ Magiſtri, Tractatus de Monaſterio Campidonenſi, eiusque multiplicibus Privilegiis. Eo Rythmorum genere ſcriptus liber eſt, quo vix quicquam reperiri inficetius, ipſo fatente Editore, poteſt. Exemplum hoc eſto:

Caput LV.

De inventione Sanctæ Hiltigardis, & eius filii Ludwici.

Poſt coenobii deſolationem. & quaſi fundationis oblivionem.
Novi fratres recollecti. valde incoeperunt admirari.
Ubi ſepultura Hiltigardis. & eius filii felicis.
In deſolato coenobio eſſent. ut ab antiquis audiviſſent.
Eas ibi eſſe. in privilegio Carolique legiſſe.
Omnes Deum invocavere. matremque eius rogavere.
Ut ſignum eisdem darent. quo ſepulturae locum ſcirent.
Inter ſepulcra plura. nobilium hominumque multa.
Circaque antiquum. & plus pavimento praefulcitum.
Omnes inchoare ſcire fratres. eorum oſſa optantes.
Fodere non neglexerunt. & in labore ſtricte ſteterunt.
Fratribus ſic niſis. ut Deus relaudetur in ſuis.
Peregrina mulier apparebat. & fratribus tunc dicebat.
Ubi felices nunc quaeritis. ibi non invenietis.
Parvo autem ſpatio. abhinc vos ſcire volo.
Hic iacet feliciſſima. Imperatrix Hiltigarda.
Cum eius filio. Ludwico nomine pio.
Haec verba prolata. illa mulier erat evanita.
Regina autem Hiltigarda. cum filio fuit inventa.
Nongentis annis. cum quadraginta finitis.
Alexandro ſub Abbate. tunc temporis regente.
Hinc tanta laetitia orta. quanta vix hic audita.

Fuit

Digitized by Google

Fuit inter fratres. & totius provinciae homines.
Hoc non immerito. ſic vobis dico.
Nam voces Angelicae. in templo ſepulturae.
Supra eorum ſepulcra alte. ab Angelis ſunt auditae.
Et erat eorum cantus. omnes in mundo gaudeamus.
Nec non & ſapor optimus. ab hominibus fuit perceptus.
Dum ſic almorum oſſa. in argentea ſunt clauſa ſarcha.
Et ea cum Patronis. venerantur a Presbyteris multis.
Qui ex villis veniunt. & Deum in ſuis pſallunt.
Una cum Scholarium multitudine. qui ſolent eſſe in proceſſione.
Omni anno in Maio. ut vides ex Calendario.

Sancta Simplicitas! Stipes ſit, qui, dum hæc legit, riſum teneat.

V. ANDREAE, Presbyteri Ratisbonenſis, Hiſtoriæ Fundationum nonnullorum Monaſteriorum per partes Baioariæ, olim annexæ Chronico Auctoris de ducibus Baioariæ, de cuius variis editionibus agit *Oudinus*, de Scriptor. ſec. XV. ad annum 1440. Narrat Vener. Editor in Præfat. T. II. hunc Andream, Collectionem Monumentorum, ad Hiſtoriam Concilii Conſtantienſis pertinentium, reliquiſſe, quæ, ſi aliquando luci donetur, palmam præreptura ſit ei, quam Hardtius noſtras adornaverit. quod tamen nos non credimus.

VI. AVBERTI MIRAEI Origines Carthuſianorum Monaſteriorum per orbem univerſum, publicatæ antea Coloniæ 1609. 8.

Tomo III. ſiſtuntur:

I. AVBERTI MIRAEI Origines Canonicorum regularium S. Auguſtini, editæ antehac Coloniæ anno 1614.

II. FRANCISCI PETRI, Germania Canonico-Auguſtiniana, Opus poſthumum, editum ex MSto, & complectens tantum partem primam, alphabetico ordine, litteras A. & B. Continuare laborat hoc Opus *Bernardus Streler*, Bibliothecæ Wettenhuſanæ Præfectus, & præter Theologicas atque Philoſophicas, etiam ſcientiis Mathematicis egregie imbutus. Inſudat is elaborando globo coeleſti, quem loco conſtellationum gentilium, Sanctorum Canonicorum imaginibus, ad

Digitized by Google

omnes artis & ſcientiæ regulas exornare ſatagit. Sufficiant hæc, de Tribus, non inutilis Collectionis, Tomis. Dicemus de reliquis, quamprimum ad nos venerint. Utilitatem libri, Lectorum commodo, augent Indices, quorum ſuus cuique Tomo tributus eſt.

Johann Juſt Winckelmanns wahrhafte Beſchreibung der Fürſtenthümer Heſſen und Hersfeld.

i. e.

IOH. IUSTI WINCKELMANNI EXACTA DESCRIptio Principatuum Haſſiae & Hersfeldae, cuius PARTES V. priores prodiere Bremae 1697.; PARS autem VIta edita eſt Caſſellis 1754. in folio, iunctim Alphab. 12. plag. 13.

Partes priores V. huius Operis olim Bremæ excuſæ ſunt; ſextæ autem dimidia tantum pars, ſuperſtite Auctore, prælo liberata fuit. Reliqua diu incaſſum inveſtigata ſunt, unde error manavit, ſextam partem, iuſſu Principis premi, & in carceribus detineri; qui error obſedit etiam *Langleti du Freſnoy* Methodum diſcendi Hiſtoriam T. III. p. 245. Tandem exemplar ſextæ partis integrum inventum fuit, quod ſtudio & opera *Bernhardi*, V. Cl. Archivarii Hanovienſis, edidit Typographus Caſſellanus. Superioris ſeculi labor ad guſtum quidem noſtrorum temporum non penitus eſt compoſitus; multa tamen Geographica, Topographica, & Archivalia continet, quæ apud alios fruſtra quæras. Eſt igitur, vel etiam ob has rationes, Liber iſte magni faciendus.

Pars I. continet *Chorographiam Haſſiae* & eius *Cap. I.* Onomatologiam Cattorum & Haſſorum. Cattos, cum *Hadriano Iunio, Iano Douſa*, & *Marco Zuerio Boxhornio*, olim præceptore ſuo, derivat Winckelmannus a catis, quoniam, ut cati mures, ſic Catti hoſtes, ſolertes & ſubdole perſequi ſueverint, unde cati dicti ſint, hoc eſt, prudentes. Confirmat id A. dicterio popularium, pueros inter ſe depugnantes excitantium: *Heſſ, Heſſ, hole deine Katzen-Hare.* Abiecta deinde

inde littera *c*, manſiſſe addit Hattos, quorum duplici *tt* mutato in *ſſ* emerſerint Haſſi. Sed iſta omnia ſunt talia, ut ſuffragia doctorum virorum, qui nunc ſunt, vix ferant. Fere enim puerilia ſunt; eſtque inutilis labor, atque improbus, veterum Gentium nomina, unde orta ſint, divinare velle, plerumque nullis rationibus aliis, quam quas ſua ſcriptori cuique aut imaginatio, aut ſequendi ceteros facilitas, ſuppeditat. Quod ad originem Cattorum attinet, eos *Cap. 2.* comprehenſos fuiſſe dicit ſub nomine Suevorum, & ex Germania ſuperiore in has ditiones deſcendiſſe. Agitur deinde de ſitu Hasſiae, & de diviſione eius in pagos, centenas, præfecturas, comitatus, & dynaſtias; de fertilitate porro Hasſiæ, de montibus, metallifodinis, monetis, ſylvis & aquis, inter quas nobilis Aedera, fluvius aurum deſpumans. Sequuntur fontes, ſalinæ, thermæ, acidulæ.

Pars II. Topographia Haſſiae inſcribitur. Eius *capita tria priora* tribuuntur deſcriptioni Comitatus *Catimeliboci, (Catzenelnbogen.)* Inſcriptiones Romanæ, quæ ibi inventæ fuerint, leguntur p. 112. ſequ. Topographia Wetteraviæ ſiſtitur *cap. 4.* ubi rurſus Inſcriptiones Romanæ, ibi locorum obviæ, exhibentur, ut nobis quidem videtur, non omnino accuratione debita deſcriptæ. Præſto deinde eſt deſcriptio civitatum & arcium, eaque finita, deinceps *cap. 14.* de Comitatu *Schaumburgico* agitur.

Parte III. comparet *Ethographia Haſſiae.* Ad migrationes Haſſorum pertinet *cap. 2.* Excurrit Auctor hoc loco pag. 355. ad Etymologiam Thuringiæ, proponitque ſententiam, vocari Thuringos a Doribus, qui Duce Hercule ex Græcia aut Italia in has oras immigraverint. Expoſuerat hanc ſententiam ſuam A. quibusdam Thuringiæ eruditis: ſed hi illam in Colloquiis menſtruis *Tentzelii* ad A. 1689. ignominioſe, ut amare queritur, reiecerunt. It igitur eam denuo ſtabilitum pag. 357. ſed irrito conatu. Iam enim probabile eſt, & eleganter adſeruit illuſtris *Maſcovius* noſter, rer. Germ. commentariis, immortali opere, (IX. 30.) Theruingos, Thoringos, Thuringos, Viſigothorum propaginem eſſe, quæ inter

ter Albim & Danubium, (hi enim fere limites Thuringorum regni fuerunt,) media in Germania conſederit. In Hiſtoria certe Gothorum gentis, nomen Thoringorum frequens eſt. Subiicitur tractatio de nuptiarum ritibus in Haſsia, de incolarum cibis potuque, de veſtitu, ludis, (ubi memorabilia de Pyrrhicha Haſſorum (*Schwerdtantz*), occurrunt, de dialecto Haſſorum deinceps, de commerciis, de ſepulturæ ritibus, & ſic porro.

Pars IV. inſcribitur *de Hierarchia eccleſiaſtica Haſſiae.* Non omnibus nota ſunt, quæ p. 413. de Synodo Provinciali Hombergæ 1526. pro Reformatione habita referuntur. Diſputarunt ibi *Franciſcus Lampertus*, latine, & *M. Adamus Craft*, germanice, contra quoscunque. Theſes eorum Paradoxorum nomen tulerunt. Adſuit Guardianus Marburgenſis, diſputaturus pro fide veteri, ut vocant; in quo vetuſtatis vocabulo ſibi vehementer adhuc Romanenſes placent. Sed confuſus ille, & argumentis e Verbo Dei maſcule impetitus, tandem obmutuit. Ad finem vergente Synodo ſurrexit *Iohannes Sperber*, Magiſter Lipſienſis, ipſe quoque diſputaturus pro fide Catholica. Sed hic quoque ſpe fruſtratus, ceſſit telis e Scriptura ſacra petitis. Eius diſputationi illacrymarunt contribules, dolebantque ſuper tali ignominia viri, cuius & nomen videbatur minari peſſima, (accipiter enim latinis eſt Germanorum *Sperber*), & hoc etiam poterat fiduciam conciliare, quod Lipſia militatum venerat. Ad Ordinem Equitum Teutonicorum, eorumque domum Marburgenſem pertinet *cap. 4.* quod pulcre augeri poſſet hac noſtra ætate, commemorandis iis controverſiis, quæ Ordini huic cum Landgraviis adhuc intercedunt. De iure Landgraviorum in bona eccleſiaſtica *cap. 5.* diſſerit. Memorabilis hic nobis potiſſimum viſa eſt formula Superintendentum ratione Paſtorum p. 428. Exponuntur deinceps hac Parte Monaſteriorum ſecularisationes, (ita enim vocant Iuris publici doctores); fundationes Univerſitatum & Scholarum Haſsiæ; Privilegium a Carolo V. Univerſitati Marburgenſi datum; nomina Profeſſorum Marburgenſium, Gieſſenſium, atque Rintelenſium.

Nec

Digitized by Google

Nec minus lectu dignum eſt Privilegium Academicum Gieſſenſe & Rintelenſe, Confirmatio item huius a Ferdinando II. facta. Agmen claudit Carolinum Hersfeldenſe, ſive Schola huius nominis, cuius Confirmatio a Maximiliano II. data, legitur p. 468. ſeqq.

Pars V. Politographiam Haſſiae complectitur. Poſtquam Auctor Landgravios ex ſtirpe Arelatenſi & Ducibus Brabantiæ derivavit, explicat inſignia gentilitia Haſſiæ, Prærogativas item domus. Dividitur, ut omnibus notum eſt, domus Haſſiaca, noſtris temporibus, in lineam præcipue Caſſelanam & Darmſtadinam. De harum nexu, & iure ſimul Primogenituræ, (quod hac noſtra ætate, lineæ cuidam collaterali Caſſellanæ ab Imperatore tributum, lites movit,) ſollicitus eſt Auctor *cap. 5.* iisque expoſitis rationem habet Confraternitatis, inter domum Saxonicam, Brandenburgicam, & Haſſiacam initæ. Verba ipſa pactorum eo pertinentium exhibentur p. 530. ſeqq. Succedunt leges Haſſorum, & inter eas Salicæ æque ac Ripuariorum leges; adminiſtratio Iuſtitiæ & Politiæ; Ferdinandi III. Privilegium de non Appellando, intra ſummam mille florenorum aureorum. Prælati Haſſiaci, munera hereditaria, (quorum ſunt quatuor,) Equites & Vaſalli Haſſiæ, cum iuribus civitatum, explent *cap. 9.* Redituum ratio, ſed admodum generalis, & quæ temporibus noſtris non reſpondet, exponitur *cap. 10.* Deinceps ſubiiciuntur Addenda quædam, atque Emendanda.

Pervenimus iam ad ſupra iam memoratam *Partem VI.* quæ inſcribitur *Chrono-Stemmato- & Polemographia Ducum, Landgraviorum, & Principum Haſſiae.* Fabuloſa ſunt pleraque omnia, quæ L. I. II. & initio III. de vetuſtiſſimarum gentium origine & adventu dicuntur. Magno molimine, ſed ſine fide hiſtorica, neque veriſimili conjectura, iterum contendit h. l. *Winckelmannus,* Thuringiam a Doribus dictam, qui duce Hercule in Belgium, & inde, a Cimbris preſſi, in Haſſiæ oras venerint. Primum veritatis hiſtoricæ crepuſculum in geſtis Clodovæi illucere incipit p. 81. quod dein perpetuo creſcit, in diem pedetentim proficiens. Plenior lux fulget

 inde

inde a temporibus Pipini. Ad res Haſſiacas nominatim pertinet Concilium Triburienſe, quo mores Cleri A. 995, Arnolpho imperante, reformati fuere. Quæ de Conradi Salici, & coniugis eius Giſelæ, maioribus, diſputantur, ſagacioribus, etiam hodie, in hac Hiſtoriæ luce, occaſionem exhibent, rem eam accuratius examinandi: etſi nihil reliquiſſe poſterorum indagini merito videatur diligentiſſimus *Hahnius*, in Oratione Auſpicali, de genuino ac Salico Conradi II. Imperatoris Auguſti ortu, & vera falſaque Salicæ ſtirpis cum Guelphis convenientia. Inter Maiores Landgraviorum Thuringiæ & Haſſiæ, ex ſtirpe Arelatenſi, quos a Conrado II. & eius coniuge Giſela derivat A. clari fuere: Ludovicus Barbatus, Ludovicus Saltator, Ludovicus ferreus, Ludovicus mitis, liberalis, & pius, Hermannus illuſtris. Exhibentur & explicantur hoc loco pag. 223. ſqq. numi, cum Epigraphe, *Ludovicus Comes provincialis*, & *Ludovicus provincialis in Cinda*, aliique ſimiles. Legi quoque merentur, quæ deinceps de Ludovici Sancti coniuge, Andreæ Hieroſolymitani, Regis Hungariæ, filia, Eliſabetha Sancta, referuntur. *Henricus de Haſſia*, p. 275. Academiæ Viennenſis, a Friderico II. Imp. Anno 1237. fundatæ, primus Rector, dum multa ſcribit, multa præcipit, Univerſitatem eam ſtudiorum in flore poſuit, atque in inſigni exiſtimatione. Sed Succeſſor eius in Rectoratu, *Thomas Haſelbachius*, Suevus, Theologiæ Profeſſor, homo deſes, dum totos 22. annos in expoſitione primi capitis Eſaiæ conſumit, & capite nondum abſoluto diem obit, famam Univerſitatis Viennenſis magnopere infregit; quod legere eſt in *Aeneae Sylvii* Epiſt. 165. Tabulæ deinceps Genealogicæ aſcendentium & deſcendentium Henrici Infantis, Brabantini, a quo hodierni Landgravii Haſſiæ originem ducunt, recenſentur pag. 291. ſeqq. Hermannus, Henrici ferrei filius, deinde dictus illuſtris, litterarum amans, Pragæ, congratulante Carolo IV, præſentibus compluribus Dynaſtis Bohemiæ, Liberalium Artium Magiſter creatus eſt: quod A. ſine dubio propterea adnotavit p. 317. quod eius iam ætate, noſtraque deinceps, pæne turpe principes Viri putarunt, operari Muſis, quaſi ridi-

Digitized by Google

ridiculos homines facerent. Per hunc Hermannum propagata dein fuit ſtirps *Haſſiaca.*

Tunc funeſta lues totum graſſata per orbem,
Perdidit innumeros hominum, totasque repente
Vaſtavit terras, & tabida corpora morti
Tradidit, ingentes hinc inde infecit & urbes.
Nulla unquam ſimilem viderunt ſecula peſtem.
Hanc recutitorum natam, Germania, tecta
Fraude putans hominum, poſito loca cuncta cruento,
Quos tum fama fuit paſſim infeciſſe veneno,
Suſpectam miſere Vulcano perdere gentem
Auſa, gravi innumeros vindicta ſuſtulit hoſtes.

Hæc peſtilentia originem dedit *Sectae Flagellantium*, cuius inſtitutum legi meretur apud Auctorem pag. 327. Contra Hermannum Landgravium, doctrina inclytum, coaluit *foedus Stelligerorum,* qui, quod ſtella, inſigni, in veſtimentis uterentur, ſic dicti ſunt, & iactare ſolebant, ſe effecturos, *ut Hermannus Baccalaureus fieret miles* (pag. 336.). Conqueritur Auctor p. 411. in Genealogiis Landgraviorum Hasſiæ multa ſupereſſe immo maxima dubia, & lacunas non tenues. Commendat, tollendis iis atque ſupplendis, collationem 1) Protocollorum; 2) rationum Cameralium. Finem Operi imponit vita Landgravii Philippi III. qui A. 1500. in venatione conſtitutus, equo lapſus, cervicem fregit. Copioſiſſimi Indices, lectorum commodo inſervituri, additi ſunt Operi, quod poteſt aliquem ſibi locum inter bonæ notæ libros ſuo iure vindicare. Etſi enim veterum temporum memoria, fabulis obſita eſt; etſi etiam in recentiorum temporum hiſtoria narranda ridicula multa ſunt, & quæ ad Haſſiæ Hiſtoriam non magis, quam ad univerſæ Germaniæ hiſtoriam pertinent: tamen, ſi, quo Auctor tempore vixerit, quo ſcripſerit etiam, conſideres, erit locus veniæ, immo laudis quoque.

TRAITE DE LA SUPPURATION

i. e.

TRACTATUS DE SUPPURATIONE AUCT. FRANC. QUESNAY, Medico Conſiliario Regis.

Pariſiis 1750. pl. 18. in 8.

Humores corporis humani varias mutationes ſubeunt, quibus a ſtatu naturali recedunt; & inter illas ea eſt, qua, ſi accedit ſolutio continui, in pus verti dicuntur. Quodſi pus factum quidem eſt, ſuo tamen incluſum folliculo, abſceſſus eſt. Non tamen omne pus, ex Auctoris ſententia, cutem rumpit, & effluit, ſed eſt aliquod tenuius, quod abſorptum iterum ac diſperſum, diverſis demum colatoriis effluit, id quod reſolutione curari aut diſpergi dicitur. Sunt enim purulenti quidam morbi, qui interiora attinent, & qui alia ratione, quam quod pus ad ſanguinem revertatur, recte componi haud poſſunt. Pus autem, quod vel intra abſceſſum colligitur, vel, unione partium læſa, ex arteriarum divulſis diſſectisque canalibus in ſinum aliquem deſtillat, vel ſincerum eſt, omnis acredinis ac foetoris expers, ſpiſſum & tenax, vel iniquum, tenue acre: illud pus, hoc ichor audit, illud purulentum eſt, hoc putridum. Pus autem, quod a ſolutione continui oritur, inflammationem comitem ubique non habet, & febris ſæpe abeſt, veluti poſt amputationes artuum, debili corpore & febre vix apparente, nihiloſecius eſt notabilis alicuius liquoris glutinoſi ad mutilam partem affluxio, qua demum nova caro naſcitur. Illud non tam ſuppuratio quædam eſt, ſeu ſanguinis in albam rem converſio, quam Phlegmorrhagia quædam ex arteriis, ſanguinem rubrum haud admittentibus. Verum autem pus illud eſt, quod ex ſubacto, per motus arteriarum auctos, id eſt inflammationem, ſanguine, convertitur. Vulgaris ea eſt ſententia, pus illud ſaltim dici poſſe, quod intra folliculum aliquem colligitur, aut ex partibus unionis ſuæ læſionem paſſis fluit. Verum iuxta Auctoris ſententiam, omnis inflammata pars pus iam concepit, id.

Digitized by Google

id eſt, talem paſſa eſt in ſuis minimis mutationem, ex qua oportet ſanguinis aliquam partem inſpiſſari, quieſcere, & ſuppurare. Pus ergo aliquod, etiamſi unio ſolidorum, veluti in abſceſſibus, læſa haud eſt, fieri tamen poteſt, inflammationis efficacia, quæ lympham ſanguinis coquit. Scilicet pus res eſt ipſo rubro ſanguine ſubtilior, nec quidquam aliud quam eius lympha coctior, a febre inſpiſſata. Proinde multæ inflammationes, maxime febriles illæ, uti *Ereſypelas, arthritis inflammata,* quæ pus habere ſua in abſceſſum proclivitate docent, emolliri nolunt; ſed ſatius eſt illas diſcuti, quod nihil quidquam eſt aliud, quam puris illius tenuis reſorptio, & ad circulum ſanguinis translatio, ut illud deinde per varia corporis colatoria eiici, vel novas etiam dotes vitales, frequenti circumductione per cor & vaſa, denuo acquirere poſſit. Nec tantum inflammatorii tumores ita diſparent, ſed ipſi abſceſſus iam formati, exemplis haud infrequentibus, quos rumpi oportere putares, diſparent ſimiliter: nec ominoſum illud ſemper eſt, quin beneficium aliquando, & ſalutare, ſi pus ita tenue eſt, ut accipi a ſanguine & circumrotari poſſit. Verum ſæpe ex illo puris relapſu malum eſt, ſi illud abſorptum, pro ea quam iam acquiſivit acredine, ſanas, quibus appellitur, partes, rodit, adeoque maligna metaſtaſi ad nobiliora divertit viſcera. In ſenſu igitur proximo illud verum pus eſt, quod depoſitum alicubi eſt, & extra circuli ſphæram verſatur, quo inflammatio, niſi diſcuti illa poteſt, ſatis ſalubriter finitur: niſi enim illa vel diſcutitur, vel in pus ſolvitur, oportet partem indurari, ſi glandula eſt; in gangrænam abire, ſi præter glandulam aliquid aliud. Neutiquam autem ab inflammatione aucta gangræna fit, ſi contrarium evenit, dum ab extincto magis calore, mors partis, quæ gangræna eſt, conſequitur. Præſtantior adeoque inflammationum finis eſt, earum reſolutio. Sunt etiam inflammationes multæ, quæ in pus ſolvi nolunt, & quæ, ſi pus concipiunt, ulcus fiunt ſordidum, & carcinoma peſſimum, veluti in ereſypelatis inflammati exemplo clarum eſt. Inflammationes internæ Ulcerum, ſi in pus abeunt, aut mortem ſubito afferunt, aut lentam certe febrem. Duplex

Digitized by Google

eſt remediorum, quæ inflammationes diſcutiunt, vis: ſunt enim ex illis, quæ actionem vaſorum infringunt, unde neceſſum eſt, calorem, ruborem, & tumorem ſenſim diminui; ſunt tamen etiam quæ actionem vaſorum augent, & rem illam, quæ inflammationis cauſa eſt, reprimunt, quare etiam antiquis *repercutientia* aut *apocruſtica* dicta fuerunt. Ex illorum quæ calorem ſedant ordine ſunt mitiora anodyna, quæ locum habent, ubi, quia pus expectari aut procurari haud debet, reſtinguendus calor aliquantulum eſt, non tamen extinguendus, ne fiat gangræna, quæ caloris eſt privatio. Proxime ad hæc accedunt antiphlogiſtica illa relaxantia, aut humectantia, aut emollientia, veluti eſt aquarum vapor tepidus; vel cataplaſmatum uſus: ſuſpecta tamen ſunt iſta remedia, ſi critica eſt inflammatio; nam heterogeneum illud, quod ad extrema ſeceſſit, laxatis venarum oſtiis, ſanguini, malo ſane eventu, admittitur. Quare ſatius tunc eſt, vel ſpontaneo decurſui morbum relinquere, vel eiusmodi reſolventibus uti, quæ non tam retro agant heterogeneum illud, quam potius per cutim, aucta eius tranſpiratione, proiiciant. Si viſcera inflammata ſunt, gangrænæ metu, ſanguis quieſcens diſiiciendus eſt efficacius; quare venæ ſectio fere ubique inter prima eſt auxilia. An vomitoria pleuriticis, purgantia variolatis, propter hunc finem ſalubriter & ſatis ſecure dari poſſint? dubitationi locus eſt. Quodſi nunc ita congeſtum in aliquo folliculo, vel in quibusdam cellulis pinguiferis, pus eſt, ut diſcusſioni locus nullus ſuperſit, motus vaſorum evehendus magis magisque eſt, tunc maxime, ſi intra glandulam collectus eſt humor, intra quam ille citius congelaſcit & indureſcit, quam ut ſuum ita facile erodat ſolvatque folliculum. Neque tamen conſopiendus tunc calor, quin augendus & proritandus efficaciori medicina eſt, tunc potiſſimum, ſi ſub muſculis, aut intra tendinum vaginas hæret. Conducit propterea mature abſceſſum aperire, & indere, quæ emollire, quod coctum non eſt, poſſint. Cum autem pus, ob humorum ipſiusque ſanguinis intemperiem, benignum ſemper haud ſit, ſæpe ſit Ichor; proinde, veluti cadaver eſſet, condiendum ulcus eſt, callus exedendus, & caro

nova

Digitized by Google

nova inducenda ſarcoticis, glutinoſis, quæ acre obtundant. rel. Quam nos ex lectione opuſculi, volumine parvi, meditationibus magni, iucunditatem & utilitatem percepimus, eam omnes, qui lecturi ſunt, percepturos eſſe, certo confidimus.

IOANNIS IACOBI BAURII, MAGISTRI LEGENtis in Stipendio Theologico Tubingenſi, Schediaſma Iuris Publici Eccleſiaſtici, de Compoſitione Religionum Amicabili, ad Textus Inſtrumenti Pacis Oſnabrugenſis.

Francofurti & Lipſiæ, plag. $7\frac{1}{2}$. in 4.

Sumit ſibi Auctor doctisſimus, hoc in ſchediaſmate, materiam ſcribendi, quæ nondum ſatis adhuc, quantum meminimus, certe non peculiari ſcriptione, elaborata fuit atque excuſſa. Per *Compoſitionem Religionum amicabilem* intelligitur ea diſcrepantium Eccleſiarum coniunctio atque unio, quæ ſponte, & nonniſi pondere argumentorum ductæ, de via ſalutis per Ieſum Chriſtum idem ſentiunt, ut ſit ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως· Εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα, Eph. IV, 4. 5. quæque & eapropter obſervant *communionem eccleſiaſticam externam.* Ex inſtituto tamen non agitur, niſi de ea compoſitione religionum amicabili, quam præcipit Inſtrumentum Pacis, inter Catholicos, Auguſtanæ Confesſioni addictos, & Reformatos ſtabilienda. Quatuor hic momenta quæſtionum incidere posſunt. 1) An compoſitio religionum amicabilis nitatur auctoritate ſanctioris Scripturæ, ſatisque dilucide inculcetur in Inſtrumento Pacis, & Recesſibus Imperii? 2) Quoties iam tentata fuerit, & cur felici eventu deſtituta? 3) Qua maxime ratione ſuſcipienda ſit? 4) Denique, an Pax Oſnabrugenſis nihiloſecius perpetua ſit, etiamſi de religione nunquam conventum iri exiſtimandum ſit? Ad 1) negari non poteſt, contineri in S. Codice, maxime in Pſalmis & Prophetis, oracula, quæ inſignes populorum acceſſiones ad veram Eccleſiam prædicunt. Num exhauſerit horum vaticiniorum ambitum

tum omnem aggregatio iſta Gentilium, ſub N. T. auſpicia, a doct. A. dubitatur. Idque eo magis, quoniam diſerte Optimus ipſe Salvator ait: Γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν. Ioh. X, 16. Verumtamen, cum itidem Sacer Codex fateatur, intermiſta fore zizania tritico usque ad tempus meſſis, Matth. XIII, 30. in ultima mundi ætate integros populos Eccleſiam bello aggreſſuros, Apoc. XX, 7. 8. ſqq. nondum ſatis liquet, quæ certa ſententia adoptari posſit. Forſan enim iſta vaticinia *conditiones* continent, ſine quibus ſuo non coronabuntur eventu; forſan & quandoque, non quod reapſe *eventurum* ſit, ſed quod *evenire debebat*, deſcribunt. Relinqui hæc debent viis atque iudiciis Dei imperſcrutabilibus. Qua tamen potisſimum ratione tentari compoſitio in religione amicabilis posſit, Hieroſolymitanum vel *Concilium*, vel *Conventus*, edocet, Act. XV. Inſtrumentum autem Pacis Oſnabrugenſis, necnon Imperii Receſſus, repetitis vicibus, clare ſatis & diſtincte de amicabili trium in Imperio Romano-Germanico florentium religionum compoſitione præcipiunt, quæ loca huc transſcribere nil attinet. Ad 2) copiam exemplorum ſuppeditant hiſtoriarum monumenta, quod nulli operæ parſum fuerit in componendis religionum disſidiis. Pertinent huc Comitia Auguſtana A. 1530. habita, Conventus Hagenoenſis A. 1540. celebratus, Colloquium Wormatienſe eodem anno inſtitutum, Colloquium Ratisbonenſe I. A. 1541. & II. A. 1546. habitum, Wormatienſe pariter II. A. 1557. initum, Thorunienſe A. 1645. celebratum, nec non Mandatum Imperatorium *Interimiſticum*, in Comitiis Auguſtanis A. 1548. latum. Ut taceamus iam Principum Imperii peculiaria, quin & privatorum eam in rem privata, conſilia & tentamina. Iſta enim ſuperius recenſita, quamvis publica auctoritate munita eſſent omnia, tamen ſucceſſu caruere, quin & maioribus turbis & inimicitiis anſam dedere; ut non præter rem exiſtere debeat ſcrupulus, an omnino posſibilis ſit compoſitio religionum amicabilis, nec ne? Qua quidem in quæſtione ii iuſto longius aberrant, & efficacisſimæ Dei gratiæ iniuſtos limites ponunt, qui *ſimplicem* vel *metaphyſicam* impoſſibi-

ſibilitatem videre ſibi videntur. Qui vero difficultatem tantummodo cernunt, vel ſi mavis impoſſibilitatem quandam *ethicam* vel & *politicam*, quæ gratiæ victorias & triumphos non inhibet, ii rectius ſentire non immerito cenſeri poſſunt. Ad 3) inſigni accuratione toto hoc in negotio opus eſt. Qui enim ſua conſilia expromſerunt de componendis in religione diſſidiis, eorum non pauci in Indifferentiſmum ſæpe quendam delapſi ſunt: inter quos noviſſime Io. Michaël de Loen recenſendus venit. Alii vero in eo rem omnem abſolvi ſibi perſuaſerunt, ſi *communione externa eccleſiaſtica* iungerentur ii, quorum circa ipſos fidei articulos diverſa ſententia eſt. Syncretiſmus is eſt, facillime bona malis, ſumma imis confundens, veræque religionis indoli metuenda quævis minitans. Facilior videtur ad hæc extrema lapſus, ſi eiusmodi de compeſcendis religionum litibus conſilia a privatis agitentur: hinc quamvis horum conatus etiam laudabiles poſſint eſſe; tamen publica auctoritate ſuſcipi præſtat tantas res, quo fine etiam Receſſus Imperii præſcribunt vel *Generale Concilium*, vel *Synodum Nationalem*, vel *Colloquia* inter Theologos probos & vere eruditos, vel denique *Comitia Imperii*. Iam vero ſi ipſa ſit aggredienda res, quæ norma huius inſtituti poteſt alia conſtitui, quam ipſa divinitus data ſcriptura? Hæc quippe viam ſalutis æternæ monſtrat, & unice quidem. Sine hac in diverticula quævis ruitur, & nonniſi naufragia imminent. Neque *rationis* igitur ſibi *relicta dictamina*, neque *traditiones*, neque *praeiudicia* iſta, ſiniſtro omine celebria, neque methodi illæ Richelii, Nicolii, Boſſueti, Dezii, vel qualescunque eius generis decidendi rationes ſuppeditare poſſunt. Modus autem agendi revera debet eſſe *amicabilis*, non auctoritatibus pugnans, non imperio coercens & tremenda Iudicis ſententia, cuius vices ex hoc negotio exulant; ſed amoris certans & miſericordiæ armis, atque ponderoſis rationum momentis. Patet hinc, quantorum virorum opera hac in re neceſſaria ſit. At quam exquiſita omnis generis inſtructos illos eſſe fas eſt eruditione, quanta armatos prudentia, quam inſignes pietate, quam non gravitate, quæ comitate & charitate condita eſt,

conſpicuos atque amabiles! Num hæc omnia expectari poſſint ab *Academia Libera Neuwiedenſi*, cuius rationes & conſilia expoſuit Io. Henr. Oeſt, iudicari facillime poterit ex eius ſchediaſmate: *Nachricht, Einrichtung, Rechte und Geſetze der Hochgraeflich Neuwiediſchen Freyen Academie zur Vereinigung des Glaubens und weiteren Aufnahme der Religion.* Neuwied 1757. Emiſerat idem iam nuper in lucem aliquot plagg. *Nachricht der Freyen Geſellſchafft zur Aufnahme der Religion, zum viertenmale verändert.* 1754. antequam ex Principatu Friſiæ Orientalis emigrandum ipſi eſſet. Ceterum ſi obtineri poſſet deſcripta ſuperius ratione amicabilis Compoſitio, non iam exſpiraret auctoritas Pacis Weſtphalicæ, ſed potius vota eius largiſſime complerentur; non reviviſceret iurisdictio Pontificis Eccleſiaſtica, ſed potius libera Eccleſiæ ſua iura relinquerentur; non reſtitui deberent bona Eccleſiaſtica in ſuperſtitionis ſubſidium, ſed potius conſervando ornandoque vero Dei cultui impenderentur. Ad 4) Pacem Oſnabrugenſem perpetuam eſſe debere, quamvis Compoſitio amicabilis nunquam obtineatur, ſolidis commonſtrari poteſt argumentis. Continet enim in ſe, uti foedera omnia, quandam inviolabilitatem, quæ eo religioſius colenda eſt, quo ſanctioribus de rebus coaluit, ut conſcientiæ libertas tuta præſtaretur, ut Eccleſiæ ſua iura redderentur, ut ſanguinem ſitienti ſuperſtitioni obex poneretur. Sic & *perpetuitatem* ipſam inter ſuas leges retulit, mutuoque datis dextris munivit. Rurſum præcepit, ut de rebus in litem venientibus, nonniſi amicabili ratione tranſigeretur; quin & ſcribi diſputarive contra ſe ſevere prohibuit. Certe &, quæ tantum malorum invexerunt religioſa bella, tam longe proſcribi digna ſunt, ut nunquam infeſtare amplius poſſint terrarum orbem. Qua in re, uti Burckardus & Scioppius truculenta prodiderunt ingenia, ita æquitatis & manſuetudinis laudem meretur Io. Caramuel a Lobkowiz, qui, quamvis pontificius, tamen optavit pacem, ſuaſit, ſuisque conſiliis adiuvit. Ex inſigni dubiorum numero, quæ formari contra pacis perpetuitatem poſſent, duo tantum excutiuntur, alterum: num infringere hanc perpetuitatem

Digitized by Google

tem poſſit Bulla Innocentii X., paci oppoſita, atque alterum: annon metu extorta ſit hæc pax, adeoque non ſervanda? Bulla quidem Innocentii X. cum imperium in rebus fidei adſtruat, cum iniuria ſit in ſummos Principes, apud quos ius eſt belli pacisque, cum fidem hæreticis non ſervari, cum nova bella accendi malit, quantum valeat in propatulo eſt. Pacta vero metu extorta cum inter privatos non obligare verum ſit; foedera inter Principes icta, ex gladii iure lites decidentia, eius conditionis non eſſe, facile intelligitur. At nec obiectari vis metusque Oſnabrugenſi paci magnopere poteſt, quam, præviis demum longis conſultationibus, amica inter colloquia conglutinatam fuiſſe, ipſa Pacis Acta loquuntur.

THE LIVES OF THE PROFESSORS OF GRESHAM COLLEGE.

i. e.

VITAE PROFESSORUM GRESHAMENSIS COLLEGII, quibus praefixa eſt Vita THOMAE GRESHAMENSIS, Fundatoris, cum Appendice, Orationes, Lectiones, Epiſtolas, a Profeſſoribus ſcriptas, aliaque, continente, per IOHANNEM WARD, Rhetoricae in Greshamenſi Collegio Profeſſorem.

Londini, Sumtibus Auctoris, apud Wilh. Innys, I. & P. Knapton, F. Gyles, A. Ward, &c. 5. Alph. 10. pl. cum fig.

Greshamenſe Collegium tanta litterarum ſtudiis incrementa attulit, a tot eximiis & immortalem gloriam conſecutis ingeniis illuſtratum fuit, ut celebre illud in omni antiquitate Alexandrinum Muſeum longo poſt ſe intervallo relinquat. Vix tamen maiorem laborum ſuorum fructum ſummi viri optare potuerunt, quam illuſtre monumentum, quod Cl. Wardus, velut gratæ interpres poſteritatis, præſtantiſſimo Opere, cuius hic conſpectum damus, ipſis erexit. Thomas Greshamus, qui prima Collegii fundamenta

 iecit,

fecit, Londini natus eſt anno 1519. patre Richardo, mercatore & rerum privatarum Henrici VIII. in Belgio Hiſpanico curatore; quam provinciam & ipſe poſtea ſatis feliciter ſub Eduardo VI. gerens, conſilia, qua ratione ex ære alieno exire poſſet, Regi ſubinde dedit. Mariæ vero cum delatum eſſet imperium, abdicare ſe illo munere iuſſus eſt, quod ipſi occaſionem dedit, officia regi olim præſtita, ſcripto hic inſerto exponendi. Ei tamen muneri rurſus admotus, & Equitis dignitate ab Eliſabetha Regina ornatus, porticum ad ornamentum urbis, & mercatorum commodum, anno 1566. exſtruxit. Poſtea de domo ſua Muſis dedicanda cogitavit, inſtitutis ibi bonarum litterarum, theologiæ ſcil. iurisprudentiæ, medicinæ, rhetoricæ, aſtronomiæ, geometriæ & muſicæ doctoribus, quibus etiam honeſtisſima ſtipendia publicis tabulis legavit. Mortuus eſt anno 1579. & in S. Helenæ æde ſepultus. Hanc de vita Greshami commentationem Series profeſſorum theologiæ ab anno 1596. ad noſtram ætatem continuata, excipit, & de Ant. Wottoni, Hugonis Gray, Wilhelmi Dakins, Georgii Mountayne, Wilhelmi Osbolſtoni, Samuelis Brookii, Richardi Holdsworthi, Thomæ Hortoni, Georgii Giffordi, Eduardi Luni, & Ionæ Bridgerici, qui hodie hanc ſpartam ornat, vita & ſcriptis prolixam mentionem facit. Hos Aſtronomiæ Profeſſores ſequuntur, Eduardus Brerewoodus, variis ſcriptis, hiſtoriam eccleſiæ, philoſophiam antiquam & recentiorem, linguasque illuſtrantibus, inclytus: Thomas Williams, Edmundus Gunterus, Henricus Gellibrandus, cuius Trigonometria Britannica exſtat: Samuel Foſterus: Mango Murray: Laurentius Rooke: Chriſtophorus Wren, multis utilisſimis inventis, aſtronomiam, philoſophiam naturalem, aliasque ſcientias egregie promoventibus, famam adeptus: Gualterus Pope: Daniel Man: Alexander Turrianus: & Iohannes Muchin. Inter Geometriæ doctores occurrunt illuſtria nomina magnorum virorum, Henrici Briggii, qui logarithmorum canonem perficiendo, de omnibus matheſeos ſtudioſis immortaliter promeruit, Iohannis Gravii, linguarum orientis, quem itinere peragraverat, eximia cognitione

nitione incliti, Iſaaci Barrowii, Geometræ ſummi, & Roberti Hook, qui Phyſicam, Opticam, Aſtronomiam plurimis inventis promovit. Ex Muſicæ Profeſſoribus Wilhelmum Petty, qui non ſolum reipublicæ florem conſiliis, ſed etiam artes mechanicas, nauticam imprimis, augere & perficere ſtuduit, nominaſſe ſufficit. Inter eos, qui ſcientiam rerum naturalium docuerunt, eminet Iohannes Woodwardus, qui Burneti theoria telluris ſacra excitatus, de eodem argumento doctisſime commentatus, cumque ipſum plagii poſtulaſſet Martinus Liſterus, medicus magni nominis, a Iohanne Harriſio defenſus eſt. Scripta tum Woodwardi, tum adverſariorum recenſet Cl. Auctor, litisque prolixam mentionem facit, litteris eruditorum virorum, nondum editis adiutus. Neque ignatus eſt eruditis clypeus Woodwardianus, ferreus, in quo ab eximio quodam artifice Roma a Gallis expugnata elegantisſime expreſſa eſt, & quem Cl. Dodwellus erudita diſſertatione antiquum eſſe aſſeruit, licet alii in diverſa abierint. Exſtat eiusdem epiſtola de Americanorum origine, & de ſapientia veterum Aegyptiorum diſſertatio, Anglice ſcripta, nondum edita. Ex Rhetoricæ profeſſoribus Guilelmus Oroune obſervationibus de ovo, a Cl. Oldenburgio Ephemeridibus Anglicanæ Societatis inſertis, & libro de motu muſculorum, celebris evaſit.

In vitis horum præſtantisſimorum virorum deſcribendis, non ita verſatus eſt Cl. Auctor, ut levia quævis & non ſatis digna, quæ poſteritati transmitterentur, reprehendenda induſtria ex libris ubique obviis compilaret, quod vitium plerumque incurrere, qui de vita & ſcriptis doctorum commentantur, animadvertimus. Multa potius pasſim attulit, quæ lucem rebus commemoratis clarisſimam addunt, qualia ſunt quæ p. 139. ubi de Ioh. Gravii itinere Conſtantinopolitano agit, contra Bellonium, ignorantiam monachorum in monte Athro nimis exaggerantem, diſputavit. Alio loco (p. 177.) litem inter Hevelium & Hookium, ob illius Machinam Coeleſtem & inſtrumenta aſtronomica ibi deſcripta, exortam, ſcriptaque Clarisſimorum eius ætatis virorum, quibus edendis

Digitized by Google

occaſionem dedit, commemorat. Neque minus grata lectori fore putamus, quæ de verſione Georgii Acropolitani, de Statu Imperii & eccleſiæ Græcæ vernacula, a Guil. Pettio confecta, p. 226. & de bibliothecis Regia, & Cottoniana, eiusque præfectis, in tranſitu p. 250. ſ. annotavit. In Appendice operi adiecta, varia hiſtoriam tum Greshami tum Profeſſorum Collegii ab ipſo conditi illuſtrantia continentur: 1) Richardi Greshami epiſtola de cambio, regnante Henrico VIII. 2) Annui reditus agrorum, a Thoma Greshamo Annæ filiæ dotis loco datorum, anglico ſermone ſcripti. 3) Tres epiſtolæ a procancellario reliquoque Senatu Academica Cantabr. de collegio a Tho. Greshamo condendo. 4) Deſignatio redituum annuorum, e fundis, a Tho. Greshamo viduæ ſuæ Annæ relictis provenientium: Anglice. 5) Genealogia familiæ Greshamenſis. 6) Charta ſupremi ſenatus, qua ultimæ Tho. Greshami tabulæ confirmantur: Anglice. 7) Acta in convocatione Oxonii habita anno 1596. de nominandis prælectoribus, qui Londinum mitterentur. 8) Orat. inauguralis habita per Chriſt. Wren, aſtronomiæ profeſſorem, electis anno 1657. 9) Mathematica ab antiquis minus cognita, recenſita ab H. Briggs. 10) Epiſtola Iſaaci Barrow, ad Collegium S. Trinitatis Conſtantinopoli perſcripta, & oratio in lectura Geometrica Colleg. Greshamenſis an. 1662. 11) Litteræ Academiæ Cantabrigienſ. nomine ab Henr. Moutlow, oratore illius publico, ſcriptæ. 12) Oratio in exequiis Thomæ Eden L. L. D. Cantabrigiæ in aula S. Trinitatis recitata a. 1645. 13) Oratio in Collegio Greshamenſi habita a Rog. Meredith, ineunte an. 1673. cum iurisprudentiam eſſet prælecturus. 14) Orationes tres Matthæi Gwinne, Muſices prælectoris. 15) Prælectiones tres Ioh. Mapletoft, cum medicinæ profeſſoris munus in Collegio Greshamenſi an. 1675. ordiretur. 16) Litteræe academiæ Cantabrig. ab Henr. Pamaw, cum eſſet orator publicus, ſcriptæ. 17) Epiſtola Ioh. Woodwardi, M. D. Illuſt. Abbati Bignonio de clypei ſui antiquitate, miſſa.

ATLAS

Digitized by Google

ATLAS SILESIAE.

i. e.

DUCATUS SILESIAE, GENERALITER QUATUOR mappis, nec non ſpecialiter 16. mappis tot principatus repraeſentantibus geographice exhibitus, addita praefatione, qua de hiſtoria huius atlantis agitur, auctoritate publica in lucem emiſſus ab HOMANNIANIS heredibus.

Norimbergæ 1750. fol. mai. Tab. 20. præter titulum & indicem æri etiam inciſos.

Diu deſideratum opus poſt ſuperata obſtacula tandem comparet. Deeſt vero præfatio, quam cum in nimiam molem excreverit, Franzius Tomo II. Commentariorum coſmographicorum ſervandam duxit. Sunt autem Tabulæ 1. Sileſia generalis, 2. Sileſia inferior, 3. Sil. ſuper. 4. Dioeceſ. epiſcop. Vratil. 5. Princ. Grotkanus, 6. Pr. Oelſe, 7. Pr. Troppau, 8. Pr. Iægerndorf, 9. Pr. Sagan, 10. Pr. Münſterberg, 11. Pr. Schweidniz; 12. Pr. Iauer, 13. Pr. Glogau, 14. Pr. Oppeln, 15. Pr. Ratibor, 16. Pr. Breslau, 17. Pr. Ligniz, 18. Pr. Brieg, 19. Pr. Wohlau, 20. Pr. Teſchen. Ordinem ſequuntur tabulæ, quem olim ſtatus provinciales in ſedendo & votis pronunciandis in comitiis ſervarunt; index vero monſtrat, quibus in tabulis Dynaſtiæ liberæ & ſtatus minores (*freye Standsherrſchaften und Burglehen*) reperiantur. Totum opus iuſſu divi Imp. Caroli VI. ſuſceptum eſt. Menſuras egit ſtatuum impenſis *Wielandus* inter ingeniarios imperiales capitaneus, quo præmatura morte abrepto, rectificavit omnia *de Schubart*, itidem locumtenens (Lieutenant) & ingeniarius imperialis. Delineationes ad veras proiectionis leges exſequutus eſt Maierus. Limites ſecundum pacem Dreſdenſem ſollicite indicantur, item quas divitias natura Sileſiæ donavit,

Digitized by Google

navit, ars in uſum vertit. Additur tabulis plurimis index alphabeticus locorum, ut reperiri quam facillime poſſint. Quantum vero præſtitura ſit ſocietas coſmographica, ex hoc potiſſimum ſpecimine uberrime elucet. Utinam, quorum maxime id intereſt, Principes Germaniæ, tam egregia conantem tueantur & ſuffulciant.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iulii Anno MDCCLVIII.

PAULLI M. PACIAUDI, C. R. HISTORICI ORD. Hieroſol. Regiaeque Academiae Pariſienſ. Inſcript. & Hum. Lit. Sodalis, ad Nummos Conſulares IIIviri Marci Antonii Animadverſiones Philologicae. Accedit explicatio Tabulae Peloponnenſis.

Romæ 1757. excudebant Fratres Palearini, plag. 16. in 4. c. tab. æneis.

Neminem eſſe arbitramur, qui modo cum muſis, id eſt, cum humanitate & doctrina habeat aliquid commercii, qui non ſummopere gaudeat, eſſe in Italia viros, qui illam gloriam, qua hæc foecundiſſima omni virtutis & doctrinæ laude præſtantium virorum mater ſemper floruit, nondum conſeneſcere patiantur. Nam ut olim in hac terra litterarum ſedem, eloquentiæ domicilium, & præſtantiſſimorum ingeniorum ſeminarium quoddam fuiſſe, omnes uno conſenſu gentes exteræ confitebantur: ita illam noſtra quoque memoria plenam optimarum artium ac diſciplinarum eſſe, eruditiſſimisque affluere hominibus, ex iis, qui inde ad nos afferuntur, libris, intelligi poteſt. Iam *Paciaudus*, quid vel a diuturno ſtudio, vel a præſtanti ingenio proficiſci poteſt, quod non ſit conſecutus? Etenim in hoc viro plurimas eſſe litteras, nec eas vulgares, ſed interiores quasdam & reconditas, eſſe inſignem antiquæ doctrinæ copiam, eſſe ſummam acrimoniam iudicii, ingenii vero, quid ſi ipſorum quoque oculorum? maximam elegantiam, ex hoc libro probe perſpeximus. Quem ſi quis

Digitized by Google

iſtis vulgaribus de antiquitate libellis, e *Pitiſci*, *Spanhemii*, aliorumque libris, verbis tantummodo, ut ſignis rerum ablatarum a furibus, mutatis, miſere exſcriptis, ſimilem eſſe putet, næ ille vehementer errat. Dolemus vero, multa in hoc libro explicando, diiudicandoque, breviter dicenda, quædam prætereunda eſſe. Neque enim nobis ut copiam conſectemur, ſed ut ſatietatem effugiamus, laborandum eſt. Quanquam quæ poteſt earum rerum eſſe ſatietas, quæ & utiliſſimæ & iucundiſſimæ ſunt? Scripſit vero *Paciaudus* hunc librum ad *Franciſcum Roncallum*, Virum, qui non magis ob genus & nobilitatem colendus, quam ob ſummum erga litteras amorem amandus eſt. Quo in prooemio, præter alia de voluptate, utilitatem exponit, quæ ex rei numariæ ſtudio percipitur. Hæc tamen hic repetere nihil attinet. Quis enim, cum ipſe Carolus, Siciliæ Rex, in protrahendis Herculani reliquiis, nuper nullis ſumtibus pepercerit, miſeram indoctamque plebeculam audiet? Hac tamen utemur compenſatione, ut ipſum exhibeamus numum. Quod & iucundius erit, ut ſperamus, Tab. III. pluribus, & ad rem illuſtrandam multum afferet. Numus fig. 1. vero hic eſt, quem adiecta Tabula exhibet.

De hoc igitur numo quid *Paciaudus* ſentiat, videamus. Primum quidem illum a veteratore quodam, ut plerumque fit, vel corruptum eſſe, vel effictum, negat. Publice vero, ait, olim eſſe percuſſum. Nam cum in omnibus numis ſumma cautio adhibenda nobis, diligenterque providendum eſt, ne in fraudem inducamur; tum, quando M. Antonii pecuniam tractamus, lyncei prope ſimus neceſſe eſt. Quia enim Antonius, ut ex *Plinio* conſtat, aliquid falſæ monetæ denario miſcuit; quod non in numis tantum Alexandriæ percuſſis accidit, ut plerique putant, ſed in numis quoque aliquot Conſularibus argenteis *Paciaudus* obſervavit: facile falſi numi poſthac a fraudatoribus procudi potuerunt. Cum autem facile aliquis in Legionis *Triceſimae* numero hærere poſſit, *Paciaudus*, & de legionibus in univerſum, & de Triceſima ſingillatim exponit. Huius maxima fuit virtus, & in marmoribus ſæpe *Fortis*, *Valens*, *Fidelis*, *Pia*, *Felix*, *Victrix* appellatur. Dicta quo-

Digitized by Google

TAB. III. ad Nov. Act. Erud. A. 1758. Menſ. Jul. pag. 386. et 389.

Fig. 1.




Fig. 2.



Digitized by Google

Digitized by Google

quoque eſt *Ulpia*. quod nomen, a Traiano Ulpio ſine dubio repetendum, quam diutiſſime retinuit. Eandem autem *Traianam* fuiſſe dictam, Paciaudus negat, & in marmoribus, quæ Gudius edidit, commentum Ligorianum ſuſpicatur. Sunt vero, qui, Robortellum ſecuti, longe recentiori ætate *Triceſimam* legionem conſcriptam eſſe putent. Quæ ſententia aliquod robur ex Tacito accipere videtur, qui, Tiberio imperante XXV. legiones fuiſſe, ſcribit. Falſo. Cur enim, cum alii ſint, qui Illvirum hiſtoriam præcipue ſibi explicandam ſumſerint, cur in *Taciti* ac *Dionis* auctoritate tantummodo acquieſcas, qui, quæ ætate Auguſti & Tiberii acciderint, commemorant? Iam *Appianus* (Lib. V. de Bell. Civ.) cum Triumviri ad Lavinum Foedus iniviſſent, XLIII. legiones fuiſſe ſcribit. qui tamen numerus, poſt Philippenſem victoriam, ad XXVIII. fuit reductus. Idem Appianus Cæſarem dicit agros iusſiſſe dividi legionibus triginta quatuor, non ſolis viginti octo, quæ ſuas partes ſecutæ eſſent. Alia teſtimonia lubenter præterimus. Quid enim plura dicamus, cum & Galba, qui ea tempeſtate vivebat, *Antonius legiones eduxit duas, ſecundam & quintam triceſimam,* ad Ciceronem ſcribat; & ipſe *Cicero* (Philip. V. extrem.) nominatim de eadem legione in Senatu dicat. At *Triceſimam* legionem Antonii factionem ſecutam eſſe, quomodo divinabis? Fecit iam Paciaudi ingenium, nihil ut divinatione opus eſſet. Nam idem ille Pollio, qui bis ad Ciceronem ſcribit, *Triceſimam* legionem ut ipſis traderet, fruſtra a ſe Lepidum & Antonium contendiſſe, tandem exercitum, atque adeo etiam *Triceſimam* legionem, tradidit. Non eſt igitur, quod hanc legionem in Antonii exercitu fuiſſe dubitemus. Sed quid de reliquis, quæ hic numus exhibet, Paciaudus dicat, audiamus. Quod ad duo ſigna militaria, & ad aquilam haſtæ infixam pertinet, illud, quoniam in multis numis idem occurrit, præterimus. Quid vero cauſæ eſſe dicamus, cur hic numus, in quo ſigna terreſtria ſunt, triremem prætoriam habeat. Paciaudus hoc ex inſigni Plutarchi loco, (in vit. Anton.) intelligi poſſe, recte arbitratur. Nam cum, ut ibi Plutarchus dicit, ita Antonius

Cleopatram deperiret, ut, etſi multum terreſtribus copiis valeret, victoriam navalem illius gratia concupiſceret, facile etiam fieri potuit, ut Antonius ab iſta, Corinna dicamus & Bachide quadam, an regina? magnam ſe gratiam initurum eſſe ſperaret, ſi in numis quoque naves exprimeret. Vehementer enim Baylius errat, qui Plutarchum in Antonii vita magis poetam, quam hiſtoricum eſſe, ſomniat. Neque enim ſolus Plutarchus hæc memoriæ prodidit, aut reliqua Antonii dicta & facta illis repugnant. Quid? nonne Antonius Cleopatram νεωτεραν θεαν, & νεαν Ισιν, ſe νεον Διονυσον appellari, in numis ſe hedera corymbisque coronatum, illam Veneris habitu exſculpi, iusſit? Eſt quoque alius numus, in quo Antonium & Cleopatram in curru, equis marinis vecto, conſpicimus, cum lemmate, M. ANT. IMP. III. = L. ATRATINVS PRAEF. CLAS. F. C. = An vero Paciaudus hanc navem Prætoriam eſſe dicere poteſt? Poteſt. Eſt enim in prora navis vexillum quoddam, Græci dixerunt Φοινικιδα, quod apud Græcos & Romanos prætoriæ navis inſigne erat. De eo clasſicus locus eſt apud *Herodot.* in L. VIII. & apud *Tacitum* Hiſt. L. V. c. 22. Ipſa vero navis, malis, antennis, remisque ideo caret, quia veteres, priusquam prælium committerent, vela contraxere, malos inclinavere. Nonne igitur valde probabile eſt, Antonium prætoriam navem, quæ prima omnium prælium inibat, tanquam ad conflictum paratisſimam, exprimere voluiſſe? Maior vero hic graviorque oritur quæſtio. Nam, ſi navis hæc prætoria, cur tam parva, cur tam parum ornata eſt? ſi triremis, ubi aſſurgentes illi remigum ordines? Quid ad hæc Paciaudus? Illi quidem, hac re ſatis diu conſiderata, vera omnino illorum videtur opinio, quibus συςημα illud ordinum inferiorum & ſuperiorum placuit, de quo quis non ſcripſit? quis non ingenium ſuum oſtentare noluit? Etſi enim ex M. Antonii numis coniici poſſe ait, triremes actas fuiſſe remigibus a prora ad puppim æque procurrentibus, diverſam tamen altitudinem remorum fuiſſe credit ob numos, quos & *Golzius*, *Oiſelius*, alii, produxere, & ipſe exhibet. In hoc numo, qui nitidisſimus eſt, *triplici*

con-

conſurgunt ordine remi. Grata erit hæc liberalitas Paciaudi eruditis. Illud vero longe gratisſimum eſt, quod tabulam quandam, inter rudera montis Palatini, anno 1724. repertam, nobiſcum communicavit, in qua elegantisſimus pictor ternos ordines remorum, alterum quidem altero ſuperiorem, expresſit. En ipſam! Tab. III.

Accepit Paciaudus a clasſicis teſtibus, fuiſſe conclave, in fig. 2. quo tabula hæc reperta eſt, in ea palatii parte, quæ ad Orientem ſpectat, atque ab Auguſto ædificata eſt. Inde illam, Auguſti ætate, & fortaſſe a *Ludio* *), qui eo tempore, ut Plinius dicit, littora, & varias ibi obambulantium ſpecies, aut navigantium, pingere inſtituit, pictam eſſe, valde Paciaudo probabile videtur. Nobis non item. Etſi enim opinio hæc

 quan-

*) Scribit doctiſſimus Paciaudus: *inclaruit autem, referente Plinio, per id tempus, ingenii laude operumque nobilitate Marcus Lidius Elotas, qui* &c. Nos, quomodo Paciaudus, qui in aliis rebus tam lynceus eſt, in hoc pictoris nomine labi potuerit, vehementer miramur. Primum enim hic pictor non *Lidius*, ſed *Ludius* appellatur, niſi hic forte operarum error eſt. Deinde, neque hic Ludius Marcus ille Ludius Elotas eſſe poteſt. Optime hæc ex *Plinio* intelligi poterunt, Hiſt. Nat. L. XXXV. Locum igitur totum adſcribimus. *Decet non ſileri & Ardeatis templi pictorem, praeſertim civitate donatum ibi, & carmine, quod eſt in ipſa pictura bis verſibus:*

Dignis digna loca picturis condecoravit,
Reginae Iunonis ſupremi coniugis templum,
Marcus Ludius Elotas, Aetola oriundus,
Quem nunc & poſt ſemper ob artem hanc Ardea laudat.

Eaque ſunt ſcripta antiquis litteris latinis, non fraudando & Ludio divi Auguſti aetate, qui &c. Ad quem locum *Harduinus* Inſcriptionem ex *Grutero* (p. 1065. 7.) affert, ubi idem nomen legitur. Quam tamen inſcriptionem ſuppoſititiam cenſeri, & in priore Plinii loco codices MStos maxime variare, docet *Iunius* Cat. Pict. 103. edit. Roterod. Ex quibus perſpicuum eſt, hunc Ludium, cum illo Marco Elota, Ardeatis templi pictore, cuius picturæ urbe Roma antiquiores ſunt, ut idem *Plinius* (L. XXXV. ſect. VI.) docet, non eſſe confundendum. Si vero quis neque illum Marcum Elotam appellatum fuiſſe contenderit, certe neque hic ita appellari poteſt.

Digitized by Google

quandam veritatis ſpeciem habet, & nos Paciaudi ingenium & acumen maxime admiramur: quærere tamen ex eo lubet, cur non illud conclave a Tiberio quoque, aut Caligula, aut Nerone exornari potuerit? Qui, etſi eam partem, quæ ad occidentem vergit, ædificaverint, tamen, quid prohibet, quo minus illam quoque incoluerint. Quid? ſi illa tabula ab alio artifice ante Auguſtum picta eſt? Cur, qui picturis conclave ornat, illas a coævis tantummodo accipiat? Quid? ſi neque temporum ratio, ſi præſertim in tabula pars hiſtoriæ Virgilianæ expreſſa eſſet, ſatis conſtat? Sed fortaſſe conſtat. Fortaſſe bene coniecit Paciaudus. Sed putat etiam mulierem in littore ſtantem eſſe Didonem, quæ, ne ſuas deſerat terras, Aeneam precetur, illiusque in navem aſcenſum præoccupet. Ipſe tamen Paciaudus vidit, eſſe duo, quæ multum ſibi negotii faciant. Primum enim Aeneas inſcia Didone navigavit, quæ mane vidit

aequatis claſſem procedere velis,

Littoraque & vacuos ſenſit ſine remige portus.

Quare nos, ſi coniecturæ locus eſſet, feminam illam Annam potius, ſororem Didonis, eſſe putaremus, cui illud erat negotii datum, ut Aeneam exoraret. Deinde triremes, quæ Corinthi CCC. annis poſt Ilii everſionem fabricatæ ſunt, Aeneæ tempore nondum fuere. *Pictoribus atque Poetis*, inquit Paciaudus. Scimus. Verum illud etiam ſcimus, *ſed non ut placidis coeant* —. Illud certe veriſſimum eſt, hanc picturam, Ludii, elegantis artificis, & in aula Auguſti fortaſſe, certe illius tempore viventis, eſſe non poſſe. Nam etſi eiusmodi parachroniſmos in tabulis multis conſpicimus, id quod *Keyslerus*, in commentariis de itineribus ſuis, multis exemplis docuit: non potuit tamen non ille ab imperitis hominibus proficiſci. Quid? ſi neque Aeneæ veſtis militem decet? Ubi *ſtellatus iaſpide fulva enſis?* ubi *vagina eripit enſem fulmineum?* Sed iudicet lector. Nos ad ea, quibus Paciaudus ſententiam ſuam de triremibus confirmare nititur, redeamus. Uſi ſunt ſane veteres ſcriptores, ubi navium bellicarum mentio-

tio-

Digitized by Google

tionem faciunt, eiusmodi dicendi formulis, quibus opinio hæc maxime corroborari videtur. Audi Lucanum:

— — validaeque triremes
Quasque quater ſurgens exſtructi remigis ordo
Commovet.

Quid *Vegetius? interdum* (præliares naves) *quinos ſortiuntur remigum gradus.* Quid *Pauſanias? καθηκον εἰς ἐννεα ἐρετας ἀπο τȣ καταςρωματος.* Quæ quidem verba, ſi remigum ordines in eadem ſerie diſpoſiti fuiſſent, non potuiſſent uſurpare boni ſcriptores. Eſt alius in *Appiano* locus, qui huc pertinet. Agrippam enim, narrat, cum ad promontorium Peloritanum ſua triremi Papiæ navim ſumma vi perſequeretur, illam κατα την ἐπωτιδα fregiſſe, ita ut infimus remigum ordo periret. Eo caſu zygitas, thranitasque perterritos, nando in tutum perveniſſe. Unde patet, alios aliis a carina fuiſſe remotiores. En tibi alium locum e *Silio Italico,* eumque vehementer a quibusdam exagitatum XIV. 423. ſq.

Intrat diffuſos peſtis Vulcania paſſim,
Atque implet diſperſa foros: trepidatur omiſſo
Summis *remigio; ſed enim tam rebus in artis*
Fama mali nondum tanti penetrarat ad imos.

Unde hoc luce clarius eſt, contabulationes minime ſub dio, ſed cataſtromate ita diviſas fuiſſe, ut, quæ ſuperius agerentur, inferiores non ſtatim audirent. Commemorat deinceps Paciaudus, fuiſſe quendam Victorem Fauſtum, qui anno 1537. ad imitationem veterum, Quinqueremem Venetiis fabricaverit, omniumque in ſe converterit oculos. Fuit vero hic fructus diuturni in mathematicis diſciplinis ſtudii, aſſiduæque Thucydidis lectionis. Quod utinam ii conſiderent, qui ex veteribus nihil præter verba diſci poſſe clamitant.

His igitur expoſitis, tranſit Paciaudus ad alia, quæ in Antonii numis ſunt. Cum enim Antonius, quæ immoderata illius erat honoris cupiditas, & non ferenda ſui oſtentatio, ſe non modo ex antiquiſſimo genere, ſed Herculis ſtatu ortum eſſe, ſomniaret, Herculea etiam inſignia, ut arcus, pharetra, leonina pellis, illius numis inſculpta ſunt. Quid? quod poſt bellum

Phar-

Digitized by Google

Pharſalicum primus omnium leones iugo ſubdidit, leonemque pro gentis ſuæ inſigni habuit. Idem Antonius, etſi Tribuni plebis, Imperatoris, Conſulis, aliisque dignitatibus functus erat, nullius tamen titulum tanti fecit, quam Auguratus ſacerdotii; quæ quidem dignitas, ſine dubio ampliſſima Romæ fuit. *Cic.* de Leg. II. Inde in pluribus numis legitur ANT. AVG. *Larreius* enim vehementer errat, cum ſiglas illas IMP. AVG. per *Empereur Auguſte* interpretatur. quæ appellatio nemini, niſi poſt Octavianum, tributa eſt. Atque etiam in alio numo, quem Paciaudus profert, omni augurali ornatu inſtructus conſpicitur, hac epigraphe addita: M. ANTONIVS M. F. M. N. AVGVR. IMP. TERT. Ubi Paciaudus de dolo Bonſagnæ exponit, qui numo quodam cudendo, quem *Oiſelius* Tab. LXXVIII. edidit, fucum facere eruditis conatus eſt. Nam quod ille triumviros ante tripodem, cui orbis impoſitus, ſtantes effinxerit, ex illo fortaſſe *Lucani* ortum eſſe ſuſpicatur:

Quid miſcere iuvat vires, orbemque tenere
In medio?

Superbam autem illam inſcriptionem, SALVS. GEN. HVMANI, ante Galbam, in ſincera puraque moneta inveniri negat. Sed redimus ad Antonii Auguratum. Ea dignitate, ut iam diximus, ille elatus, iuxta caput in numis modo lituum poſuit, modo ſimpulum, ſecurim, gallum gallinaceum, alia. Atque etiam in aliis monumentis velato capite, & laureo ſerto redimitus, conſpicitur. Nam ſacerdotio Cæſaris, ut *Dio* tradidit, quaſi dialis a P. R. præfectus erat. Neque tamen *Spanhemio* fidem habendam eſſe cenſet Paciaudus, qui ex numo, cum effigie Dianæ Epheſiæ, & inſcriptione ΑΡΧΙΕΡ. Antonium Epheſi ſacris Dianæ præfuiſſe colligit. (de Uſu & Pr. Num. Diſſ. X. §. III.) Primum enim hic numus, in quo Octaviani, Lepidi, & Antonii capita ſimul apparent, ad ſolum Antonium referri non poteſt. Deinde, ex integra numi inſcriptione, quo verbum hoc ſpectet, facile intelligitur. Inſcriptio vero hæc eſt: ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΓΡΑΜΜατευς ΓΛΑΥΚΟΜ ΕΥΘΥΚΡΑΤΗΣ ΕΦΕσιων. Utinam vero omnes, qui ab aliis diſſentiant, eosque

que refutare cupiunt, eandem modeſtiam, eandemque humanitatem adhibeant, quam Paciaudus adhibuit in Spanhemio confutando. Sunt, qui, *Ericii* auctoritate inducti, numiſmata vulgarem pecuniam fuiſſe, communisque vitæ uſibus inſerviiſſe, negent. Paciaudus autem numos Antonii, vel conſenſu præfectorum monetariorum, vel ſuo proprio imperio, in communem uſum, atque hanc quidem, cui inſcriptio LEG. XXX. cum ea legio tranſiret ad ipſum, cuſos eſſe putat, &, ut nobis videtur, recte putat. Docet ſimul quædam de denario, & ſtipendio militum. Nova hic quæſtio oritur: varietatene doctrinæ & vi ingenii, an perpetuo uſu, accuratior numorum æſtimandorum cognitio comparetur? Hoc quidem Paciaudus exiſtimat. Quomodo enim, ait, viri, ab omni doctrina inſtructi, ſed in numis tractandis non ſatis exercitati, ſæpe adulterinos pro germanis, recentes pro antiquis, vulgare potuiſſent? Sic *Ioecherus*, *ὁ νῦν ἐν ἁγίοις*, argenteum ΒΙΑΝΤΟΣ ΠΡΙΗΝΙΟΥ in antiquiſſimorum numero habuit; ſic *Bachinius* numo Scipionis deceptus eſt; ſic *Pedruſius* numum, quem edidit, Homeri, ad Argivos referri debere falſo credidit. At elegantiores acutioresque fuerunt oculi *Fulvii Urſini*, cui veterator quidam numum, in quo Ciceronis caput, & græca inſcriptio eſſet, fruſtra obtrudere conatus eſt. Præfixus eſt hic numus Ciceronianus multis Ciceronis editionibus. Sunt duo præterea adulterini Ciceronis numi, latine, ut ita dicamus, loquentes. Alterum *Petrus Lambecius* (Tom. II. p. 726. Biblioth. Vindob.) edidit, & genuinum eſſe putavit. Negavit *Patinus*; multaque in eo fraudis indicia invenit. Alterum numum ipſe *Paciaudus* edit, quem, ob Verris accuſationem, in Ciceronis honorem a Sicilia cuſum fuiſſe, artifex valde aſtutus finxit. Neque minus veteratores quidam aureos, ut vocant, metalliones fabricavere, qui tamen, primis Auguſtorum temporibus Romanis ignoti, & Gordiani demum Pii tempore cuſi ſunt; tamen talibus *Gorium* & *Weidnerum* fefellerunt. Quo loco Paciaudus plures affert, qui & novos numos pro antiquis habuerunt, ut *Harduinus* Rhaphaneotarum numum, ut *Martinius*, ut *Hekelius*: & genuinos numos male interpre-

 tati

Digitized by Google

tati ſunt, ut *Goltzius*, (cuius error maxime inſignis & ridiculus eſt,) Germanici numum, ut *Obrechtus* notiſſimum Domitiani numum, ut *Eccardus* plures. Hæc talia pluribus enarrare, nimis longum eſſet. Videamus potius, quid Paciaudus de Tetragonis incuſis ſentiat, quæ in vetuſtiſſimis Græcarum urbium numis conſpiciuntur. De his variæ variorum ſunt opiniones. Optima tamen Paciaudo *Barthelemii* ſententia videtur. Ille enim, pluribus eiusmodi numis diligenter collatis, eos primis artis monetariæ temporibus cuſos eſſe cenſet. Quomodo autem illud factum ſit, Paciaudus ſic exponit: *Orbiculare metalli fruſtum incudi, vel potius retinaculo quadrato, & ad angulos aliquantum cuſpidato, applicabant, malleoque immittebant. Quo fiebat, ut, dum violenta ac repetita tutidis percuſſione parti obverſae metalli typus excuderetur, retinaculum ſuo niſu averſae infigeretur, duplicique hac compreſſione, & contrario typi & retinaculi impulſu, illius quidem figura exſtans & prominens appareret, huius vero cava & incuſa.* Diſſerit deinde Paciaudus quædam de variis quaſi gradibus, quibus hæc ars ad illam elegantiam aſcendit, & ex Muſeo illuſtris Veneti Patricii, Antonii Marchionis Savorgnani, ſeptem numiſmata, cavo quadriformi diſtincta, oculis lectorum offert. Nos, quod nobis nobiliſſimum videtur, exponemus; de aliis pauca dicturi. Primus igitur numus, qui valde rudis & impolitus eſt, maximam antiquitatis ſpeciem præ ſe fert. In altera illius parte nudum τρίσκελον eſt, cui poſteriori ætate varia addita ſunt; ſed hic in tetragono ſine ullo ornamento delineatum apparet. In altera parte talem rhedam mularem (ἀπήνην ἡμιονικὴν), qualis antiquiſſimis temporibus fuit, conſpicimus. Unus eſt tantummodo ἡμίονος qui rhedam trahit, rotæ vero, collare muli, auriga, & ciſium, antiquam teſtantur ſimplicitatem. Obiter eſt notandum, Syracuſanos olim mulis in certaminibus uſos fuiſſe, ut *Pindarus* (Olymp. VI. ϛροφ. β.) Ageſiam Syracuſanum vehiculo mulari viciſſe canit. Superne in numo, vel diſcus, vel clypeus eſt. Huius, in certaminibus Græcorum, duplex erat uſus. Nam vel in loco arduo clavo infixus illi dabatur, qui primus eum evulſerat; vel præmium

erat

Digitized by Google

erat victoriæ. Paciaudus diſcum hic exhiberi credit. Affigebatur enim in palæſtra diſcus, cui ab Hellanodicis tempus modusque certaminum in orbem inſcribebatur. Hoc *Statius* etiam indicare videtur:

conceſſit caetera pubes,
Sponte & adorato redit illa ingloria diſco.

Numum igitur hunc antiquiſſimam Syracuſanorum, vel totius etiam Siciliæ, monetam fuiſſe arbitratur. Nunc ex iis, quæ Paciaudus V. Cl. ad alterum numum monet, quædam afferemus. Eſt *Auſonii* verſus notiſſimus:

Vocibus in Graecis nunquam ultima conſpicior M.

Sed ſunt monumenta, in quibus loco N altera littera M ſcripta eſt. In foedere Smyrnæorum cum Seleuco Callinico, quod inter Marmora Oxonienſia eſt, ſæpe articuli *την* & *των* per THM & ΤΩΜ ſcribuntur. Apud *Maffeium* quoque monetæ Rheginonum & Lucanonum habent PHΓINOM & ΛΟΥΚΑΝΟΜ. Eſt denique numus Tyleos, urbis Thraciæ, ita inſcriptus, ΤΥΛΙΣΙΩΜ. In quinti numi inſcriptione illud memorandum eſt, quod in verbo ΦΟΚΙ —, Cadmea littera O vices recentioris Ω gerat. Sic enim veteres Achivos ſcripſiſſe, & Plato in Cratylo docet, & ex variis numis conſtat. Atque etiam in hoc numo effigiem Phemonoes expreſſam eſſe coniicit Paciaudus; quæ ob vaticinandi peritiam, ut ex *Pauſania, Lucano, & Statio* diſcimus, uno omnium ore fuit celebrata. Ad numum ſeptimum, quem in vetuſtiſſimis numorum Actiacorum ponit, varia affert Paciaudus, quæ ad Actii hiſtoriam illuſtrandam pertinent, & denique quædam de odio, quo Romani in Antonium inflammati fuerunt, addit. Illis enim Antonii nomen tam inviſum fuit, ut illud ex publicis monumentis eraderent. Teſtimonio ſit monumentum Aphrodiſienſe, ſive epiſtola Antonii, A. V. C. 717. ſcripta, ex qua Antonii nomen, non temporis, ſed hominum iniuria, deletum eſt. Hæc Paciaudus de Antonio, cuius hiſtoriam ex numis egregie contexuit, atque ea re demonſtravit, quanta ſit huius ſtudii utilitas.

Veniamus ad alterum, quod in hoc libello ſibi explicandum ſum-

Digitized by Google

ſumſit, nempe ad tabulam anaglypticam Peloponnenſem. Tabulam Paciaudus Venetiis vidit, in Grimanorum cavædio marmoream, & antiquo artificio egregie cælatam. Conſpicitur vero in illa, ut ipſius Paciaudi verba adſcribamus, Medicus in taberna, abaco, ferramentis chirurgicis, & miniſtro πημενταϱίω inſtructa, artem exercens, ad quem nobilis mulier equo e longinquo vecta venit, ut excellentis medici peritia ex morbo convaleſcat. Ab hoc medico ægros, dubia vitæ ſpe laborantes, ad priſtinam valetudinem virtutemque fuiſſe revocatos, ſerpens, ſalutis index, monſtrare videtur. Dicamus de ſingulis, & quidem primum de ipſis veteribus medicis, quos Paciaudus ad vilem iſtam πεϱιοδευτων & αγυϱτων turbam referendos eſſe negat. Cuique vero, ait, ſuam fuiſſe tabernam, in qua & doceret diſcipulos, & mederetur ægrotis. Quare etiam ἰατϱοι ἐπιδιφϱιοι appellati ſunt; quod cum ex *Plutarcho* de Antiphonte Rhamnuſio, tum ex *Plinio*, quem maiorem vocant, de Archagatho, conſtat. Neque tamen hoc in contemtum apud nos medicos adducere debet; neque exagitanda eapropter præſtans hæc ars eſt, ut *Robortellus*, ut *Menagius*, ut alii fecerunt. Quorum tamen in numerum non debebat Paciaudus *Heineccium* referre. Ex iis enim, quæ ille in Antiquitat. Roman. (L. I. Tit. XXV. §. 59) dicit, ſervos nempe olim etiam hanc artem feciſſe, (quod, quidquid Sponius contra dicat, propter tot veterum teſtimonia, negari non poteſt,) minime illud efficitur. Atque nos quidem valde miramur, quomodo inter Meadium & Middletonum tanta certamina exiſtere potuerint, quæ tamen

Pulveris exigui iactu compreſſa quieſcunt.

Neque enim hoc præclaræ arti quidquam detrahit, cui nobiliſſimos quosque viros operam dediſſe quis negat? Quæ artes non a parvis initiis profectæ ſunt? Quis poeſin ideo contemnendam putet, quia Homerus, (quæ enim falſa ſunt, vera eſſe credamus,) pauperrimus fuit? Sed, his miſſis, ad medicos redeamus. Præterimus autem illa, quæ Paciaudus de honoribus Medicis habitis, deque ſtudio quod in humanitatis litteris poſuerunt, quare & bibliothecis præfuere, attulit. In

reli-

Digitized by Google

reliquis aliquantulum morabimur. Notum eſt ex *Celſo*, Medicinam in tres partes diductam fuiſſe, ut una victu, altera medicamentis, tertia manu mederetur. Primo autem duo tantum fuerunt medicorum genera, quorum alii ἀρχιτεκτοι, alii δημιουργοι appellabantur. Vetuſtiſſimis temporibus idem homo omnibus medicinæ partibus operam dabat. *Pindarus* enim Aeſculapium pharmaca miſcuiſſe, thalpteria admoviſſe, & membra ferro exſcidiſſe, nominatim dicit. Sequuntur deinde varia de veſte, quibus medicus in tabula ornatus eſt: de reliquo corporis habitu: de ſella: de ſcabello: de pictura Codicis Dioſcoridiani, medicorum concilium referente: de ferramentis chirurgicis: de puero medici: de muliere, quæ diſcalceata & nudipes eſt: de equo: de ἱππιατρικη: de ſerpente, ſalutis ſigno: de cauſis, cur pagani ſerpentes coluerint. Ipſum quidem monumentum a Peloponneſiis Archagatho dicatum fuiſſe arbitratur Paciaudus. Ille enim tantam de ſe excitaverat in Græcia opinionem, ut non modo omnes undique ad eum confluerent, ſed Romani quoque in Urbem eum advocarent.

Apparebit, opinamur, ex his, quantum ſit Paciaudi ingenium, quantum optimarum artium ſtudium, quam dignus ille vir Italia. Verum illud quoque apparebit, multa vel ingenii, doctrinæ, artiumque præſidia; vel ſtudii, laboris, exercitationisque adiumenta, ad antiquitatis reliquias bene explicandas requiri.

REFLEXIONES ET PRINCIPIA MELIORA DE Iurisdictione Eccleſiaſtica, oppoſita principiis Poloni Nobilis.

Francofurti & Lipſiæ 1757. apud Ioan. Frider. Gaum, $15\frac{1}{2}$. pl. in 4.

Diximus nuper de Tomo I. & II. Iuris Canonici Veteris ac Moderni, ab Amortio editi. Accedimus nunc ad opuſculum, quod, licet ſeparatim, & abſque nomine editum, pro Tomo tertio dicti operis, idem, partum nunc

Digitized by Google

agnoſcens ſuum, haberi vult. Argumenti gravitas poſcere videtur, ut de eo plenius exponamus, licet parvæ molis ſit libellus. Agitur enim de concordia inter Sacerdotium ac Imperium, toties necquicquam tentata.

Originem controverſiæ ſuæ hanc refert Amortius: *Pater de la Borde, Presbyter Oratorii in Gallia*, familiæ Quesnellianæ addictiſſimus, exaravit, incertum quidem quo anno, paullo tamen poſt annum ſeculi quod vivimus viceſimum octavum, libellum *de natura, diverſitate, & limitibus utriusque poteſtatis, ſpiritualis & temporalis.* Hunc ex Gallico in Polonicum translatum idiomate, præfatione etiam ſua auctum, anno 1753. Vratislaviæ, ut fertur, edidit Nobilis quidam Polonus, anonymus. Hic quidem Bordii comprobans principia, gratulatur Galliæ, quod *Cleri iurisdictionem in temporalia laicorum, atque in ipſas Regum perſonas, excuſſerit*, eandemque patriæ ſuæ precatur felicitatem. Bilem hoc movit Amortio, qui Poloniæ alia omnia precatur, ratus, ei ſic male conſultum iri: *deeſſe enim Poloniae Monarchiam Gallicam, ac naturam Epiſcopatuum Gallicanam: obſtare genium libertatis Polonicae, Monarchiae oſorem, una cum genio Polono Nobili, docili ſolum auctoritate eminentiori principum ſacrorum regi.* Hæc in prooemio.

Tractatus ipſe tripartitus eſt, continens 1) Principia Bordiana, a Nobili Polono adoptata, ab Amortio per epitomen propoſita: 2) Amortii notas ad eadem: 3) Principia meliora, ſcilicet Amortiana. Summa vero doctrinæ Bordii, patroni Imperii, ac adverſarii dominationis Sacerdotii, eo redire videtur, ut ſtatuat, duas eſſe in mundo *auctoritates, temporalem* alteram, alteram *ſpiritualem;* utramque eſſe a Deo, ſanctam ac inviolabilem, quantumvis etiam iure abutatur ſuo: illi quidem ſubeſſe omnes omnino actiones hominum externas, adeoque & ipſam *ſpiritualem auctoritatem* eodem modo ſubiici absque ulla limitatione. Contineri vero hanc ſubiectionem potiſſimum tribus his: a) Iure Imperii cognoſcendi de negotiis eccleſiaſticis, rationesque de iis exigendi, quatenus boni publici interſit: b) Iure cavendi, ne Clerus quid moliatur, unde

unde reipublicæ detrimenti quid immineat: c) Obligatione Cleri ac Eccleſiæ, quasvis iniurias a ſummo imperante illatas patienter tolerandi. Manere nihilominus *ſpiritualem auctoritatem* aliquatenus ab imperio independentem, licet ei ſenſu proprio nulla omnino Iurisdictio, aut ius poteſtatis coactivæ competat, quod aſſeruiſſe *materialiter haereticum* foret: ſi qua tamen pasſim iurisdictione utatur, eam omnem ſummo cuiusvis civitatis imperanti acceptam eſſe ferendam. Intereſſe autem reipublicæ maxime, ut adverſæ his opiniones proſcribantur.

Ita ſententia Bordii per epitomen propoſita, Amortius noſter, acerrimus poteſtatis ſacerdotalis vindex, refutandi gratia ſubiungit *Reflexiones*, quas vocat, ſuas, ad ſingula Bordii enuntiata. Negat, (præter ea, quæ brevitatis ſtudio omittenda cenſuimus,) negat, aimus, Amortius, exactam ſatis eſſe diviſionem *auctoritatum* orbis terrarum, in *temporalem* ac *ſpiritualem:* poſſe enim utramque coniungi in eodem homine, quod exemplis Patriarcharum, Melchiſedeci, aliorum, Sacerdotium non minus quam Imperium in ſua quisque familia civitateve exercentium, patere putat. Neque Imperium ad ſola temporalia eſſe reſtringendum, exercendum potius ita, ut ſimul eccleſiæ ſcopo inſerviat, idque, ut loquitur ille, *ex iure naturali ſervo Principis ad Eccleſiam.* Aſſerit, dari caſus, ubi Princeps ſolio deturbari iure queat: negat, Imperium recte proferri ad omnes omnino actiones externas civium; nec enim ulterius illud vim exſerere ſuam, quam ad ea, *quae ad conſervationem boni publici moraliter ſint neceſſaria.* Hinc & ius Imperantis, cognoſcendi de actis Eccleſiæ, ante non exiſtere, quam ea deferantur ad ipſum per rumorem aut accuſatorem, tanquam bono publico pernicioſa: poſſe utique Principem, palam impium ac tyrannum, levioribus mediis prius fruſtra tentatis, tandem auctoritate Eccleſiæ, (ſubintellige *Repraeſentantis*), a perceptione Sacramenti Euchariſtiæ excludi, dummodo iura civilia ipſi ſalva relinquantur, preces etiam pro ipſo in Eccleſia fundi ſolitæ non omittantur, nec ille a reliquo cultu divino excludatur: eſſe utique Clericis præter

ter poteſtatem *Ordinis*, etiam poteſtatem Iurisdictionis: non eſſe *carpendam* (p. 41. ſeq.) *praxin Eccleſiae* (Romanae), *recurrendi ad brachium ſeculare, pro avertendis & extirpandis ex regno Catholico religione diſſentientibus, emigrare nolentibus, ſuosque errores diſſeminantibus, contra decreta Principum:* nec *invehendum in Inquiſitiones in Italia & Hiſpania uſitatas*, *nec in rigorem Ludovicorum XIV. & XV. in Ianſeniſtas & Queſnelliſtas: perpendendum potius* 1) *Catholicos Principes eandem habere poteſtatem, quam actu exerceant Proteſtantes, non tolerandi in ſua regione Religionem, niſi ſibi bene viſam, nec permittendi praedicationem aut exercitium alterius Religionis, ſtatuendique in transgreſſores talium legum poenam capitis, qualis ſtatuta fuerit in Anglia & Suecia:* 2) *Clerum Romanum habere eandem poteſtatem ſuadendi Principibus, quam habeant Miniſtri verbi divini apud ſuos Principes Proteſtantes, ſuadendi videlicet executionem iterati voti Apoſtolici, dum d. Paulus ad Galatas ſcribit c. 5.* VTINAM ABSCINDANTVR, QVI VOS CONTVRBANT; *& 1 Cor. 5.* AVFERTE MALVM *(hominem)* EX VOBIS IPSIS: 3) *Hunc morem ſuadendi ex parte Cleri, & agendi ex parte Principum, ſemper fuiſſe uſitatum in Eccleſia Dei,* prouti id Parte Tertia ſe oſtenſurum promittit: 4) *Epiſcopos Catholicos, ubi exercent munus Inquiſitionis, in quaeſtione facti, an quis docuerit haeretica? iudicare poteſtate ſpirituali, ut Clericos, condemnare ad mortem poteſtate temporali, ut territoriales Principes:* 5) *non defendi — abuſum quorundam Miniſterialium, in eiusmodi Tribunalibus condemnantium pro haereſi doctrinas, nec a Scriptura, nec a Generali Concilio, nec oraculo Pontificio, ab univerſa Eccleſia uniformiter atque authentice poſt praevium examen declarato, condemnatas.* Vim coactivam Eccleſiæ competentem Evangelio adeo non repugnare, ut potius exemplo Dei Patris, Chriſti, & Apoſtolorum firmetur, (p. 43.). Huc facere ſequentia: a) Luc. 14. COMPELLE INTRARE: b) Luc. ult. COEGERVNT EVM DICENTES: MANE NOBISCVM; ET INTRAVIT CVM ILLIS: c) Luc. 13. NISI POENITENTIAM EGERITIS, OMNES SIMILITER PERIBITIS, SICVT INTERIERVNT *quidam ſeditioſi Galilaei,*

QVO-

QVORVM SANGVINEM PILATVS MISCVERAT CVM SACRIFICIIS EORVM; *& ſicut interierant octodecim perſonae* SVPER QVAS CECIDIT TVRRIS IN SILOE: d) *Ieroſolymae minatur Chriſtus excidium; paralytico ſanato deteriora primis, ſi relabatur in peccatum; contemnentibus invitationem ad nuptias internecionem, & ſuccenſionem urbis; Scribis & Phariſaeis repetitum Vae & deſolationem templi; perfidis colonis perditionem:* e) *d. Petrus—morte—plectit Ananiam & Saphiram* Act. 5. f) *idem Simoni Mago—comminatus eſt perditionem niſi reſipiſceret*, Act. 8. g) *d. Paulus Act. 15. Elymam Magum coecitate percutit, ne alii ab eo pervertantur:* h) *d. Ioannes in Apocalypſi, Epiſcopatus Pergamenſis & Thyatirenſis fidelibus minatur varias temporales afflictiones, eo quod tolerent in ſua communitate ſeductores & ſeductrices, magiſtros & magiſtras perverſorum dogmatum.* Contrariam opinionem ortum traxiſſe, ait, ex neglecta diſtinctione coactionis in phyſicam & moralem: hac, non vero illa, uti Eccleſiam (p. 48.). Iactantur & utrinque auctoritates Patrum, Synodorum, cet. Sed has facti quæſtiones prolixiores referre nihil opus videtur; præſertim cum nemo ſit doctiorum, qui hanc ſupellectilem ſexcentis aliis ſublectam non noverit. Falſiſſimum eſſe dicit A. dogma a Quesnellio haud obſcure defenſum, adoptatum ſubdole a Bordio: *Excommunicatum, iudicio privato paucorum, contra iudicium univerſalis Eccleſiae, innocentem, non teneri ad ſe conformandum iudicio, decreto, ac ſententiae Eccleſiae. — — Terreſtre enim iudicium Petri, ſecundum S. Hilarium, fieri praeiudicatam auctoritatem in coelo* (p. 54.). *Iurisdictionem Eccleſiae competere, non Principe, ſed Deo concedente* (p. 57.); *immo vim coercitivam, quae Hierarchiae inſit, regia & imperiali eſſe fortiorem* (p. 58.): *poſſe tamen forte liberaliter indulgeri* (p. 60.). *Papae nullam competere poteſtatem in temporalia Regum, niſi per modum Arbitri neceſſarii circa iura dubia inter Status regni & Principem, venientem contra pacta & concordata iurata ſollemnia.* Denique (p. 62.) *Sacerdotium & Imperium*, ait, *eſſe duas poteſtates immediate ordinatas a Deo, non ſibi invicem ſubordinatas, ſed coordinatas, ad communes fines a*

 Deo

Digitized by Google

Deo praeſtabilitos, cum obligatione ſeu ſervitute reciproca, iuvandi invicem ad conſervandam honeſtatem utriusque Status.

Dimiſſo ita Bordio, iam ad principia ſua, eaque, ut ſibi gratulatur, meliora, proponenda ac ſtabilienda ſe accingit Amortius. Ait autem: 1) *Datur Ius naturale anticipatum Dei ad Principem,* i. e. ut nos quidem interpretamur, omnes homines, adeoque etiam Principes, a natura obligantur ad promovendam Dei gloriam extrinſecam, adeoque & ad conſervandum & propagandum rectum Dei cultum, tum privatum, tum publicum. Hinc *& datur Ius naturale ſervum Principis ad Eccleſiam,* i. e. obligantur Principes *ad conſervandum cultum, dogma, & ordinem Eccleſiaſticum, eaque obligatio ipſorum, ex inſtitutione divina, directioni Sacerdotum eſt ſubordinata.* 2) *Ius naturale ſervum Principis ad Eccleſiam iam ſeculo quinto agnovit Eccleſia. Id patet ex ſcriptis ſummorum Pontificum, Imperatorum, ac Regum, hoc ius tanquam indubium agnoſcentium.* 3) *Eccleſia habet poteſtatem, circa actus Fidelium externos ferendi leges Eccleſiaſticas, irrequiſito conſenſu Principum.* Hoc loco contra Boehmerum probare conatur, Eccleſiam, inde a prima ſua origine ad hunc usque diem, fuiſſe ac eſſe ſocietatem inæqualem inter paſtores & oves. 4) *Iurisdictio Epiſcoporum in ferendis legibus Eccleſiaſticis, ſalvo bono publico, non eſt a Principibus conceſſa, ſed ab Apoſtolis in ſucceſſores transmiſſa.* 5) *Poteſtas Eccleſiae inſtituendi miniſtros divinorum dignos, ſuſpendendi ac deſtituendi indignos; eorum inter ſe cauſas tam criminales, quam civiles, diiudicandi; & querelas populi aut Principis adverſus Clericum, ad ſe ex conſenſu legitimo partium ultro delatas, terminandi per modum Arbitrii & Laudi: non fuit Epiſcopis unquam per Principes conceſſa, ſed tantum recognita.* 6) *Imperatores agnoſcunt in Eccleſia poteſtatem legislativam illi propriam.* 7) *Poteſtas ferendi leges, inſtituendi & deſtituendi miniſtros, iudicandi cauſas Clericorum cum Clericis, & pronunciandi Laudum cum executione neceſſaria brachii ſecularis, dicit Iurisdictionem proprie dictam.* 8) *Vis coactiva Eccleſiae per Cenſuras, & implorationem brachii ſecularis, in caſibus a iure permiſſis, nec eſt contraria Iuri Natu-*

Naturali, nec Spiritui Evangelico. Allegantur hic ſupra allegatis gemina, v. c. Gen. II. 17. Gen. XVII. 14. Luc. XIV. 23. 1 Cor. V. 1 Tim. I. 19. Apocal. II. Hebr. XII. 6. auctoritates Patrum, Imperatorum, cet. 9) *Imperatores, & omnes Nationes, agnoſcunt Statum in Statu, coordinatum ad fines communes, nec praeiudicantem bono communi.* 10) *Status Eccleſiaſticus, etiam numeroſus & potens, non repugnat ullius Reipublicae vel Regni bono publico.* 11) *Conſervari Ius Canonicum, in quantum non praeiudicat bono publico Reipublicae, Ius naturale, Lex Chriſtiana, honeſtas religionis, & concordata ſolemnia iubent.* 12) *Gravamina Status Politici contra abuſum Iurisdictionis Eccleſiaſticae removeri poſſunt, dummodo Principes ſerio velint. Maneat uſus, tollatur abuſus.*

Si dicendum quod res eſt, nec Bordiana omnia probanda, nec Amortiana quævis improbanda cenſemus. Ille libertatem hominis, civis, Chriſtiani, aut ignoraſſe, aut certe vix non omnem in imperantem partim, partim in ſacerdotem, transferre voluiſſe videtur: hic, ut hominis & civis libertatem defendit, ita ſacerdotibus poteſtatem plane divinam in Chriſtianos tribuit. Ille Imperii, hic Sacerdotii limites: uterque iura Collegialia Eccleſiæ, aut ignoraſſe, aut minus recte definiviſſe videtur. Ille, cauſam interdum non malam, argumentis parum validis tuetur: hic, a iure Dei in hominem, ad ius hominis in hominem concludit. Uterque ſubinde ambiguus ipſe, aut cauſæ ſuæ minus confiſus, altera vix non adimit manu, quod altera largitur. Ille Chriſtiano ius naturale fere adimit: hic regnum Dei vix non ad exemplar imperii humani confingit. Denique, uti de Bordio ex epitomatore & adverſario eius vix tuto iudicari poteſt: ita Amortius, res ſatis notas & claras, obſcuris, ambiguis, & parum aptis verbis implicatas tradit, adeo ut legere illum absque tædio, niſi eiusdem diſciplinæ alumnus, vix quisquam ſuſtineat; quid quod, quæ ſenſerit, ſæpe nonniſi coniectura aſſequi liceat.

Digitized by Google

DISSERTATION HISTORIQUE SUR L' ESPECE DE mal de gorge gangréneux, qui a regné parmi les enfans l' année derniére.

i. e.

DISSERTATIO HISTORICA DE ANGINA CARCInomatica, quae minores ſuperiore anno invaſit.

Pariſiis 1749. pl. 7. in 8.

Cum variæ ſunt Anginæ ſpecies, tum illa nocentiſſima eſt, quandoque epidemica, & infantibus inſidioſa maxime, quæ ab inflammatione glanduloſi apparatus faucium velociter in gangrænam exit, ac gangrænoſa vel carcinomatica dicitur. Septem eduntur hoc libello morbi huius hiſtoriæ, & mali principium ac progreſſus cum ſymptomatibus explicantur. Levis viſa eſt tumoris intra fauces apparitio, glandulæ ad guttur ſitæ extus etiam intumuerant, & uvula laxata fuit: febris tertio plerumque die apparuit, rauca vox erat, & choanæ narium præſtruebantur. Senſim aëris via obſtrui coepit, nec deglutitio expedita fuit. Tunc febris aucta eſt enormiter. Gangræna apparuit octavo die, & aphthæ poſt velum palatinum effloruerunt. Aliquibus intumuerunt parotides. Admirabile hoc fuit, nec caput doluiſſe, nec deliraſſe ægrotantes. At gangræna depaſcebat fauces & nares, fuitque intolerabilis foetor, lingua arida & nigra. Puellas pubertati proximas invaſit malum præ cæteris, ex quibus fuerunt quæ intra XIV. diem extinguerentur, aliæ ultra XXI. diem obluctabantur. Ex ſeptem, quarum hiſtoriæ traduntur, convaluit unica. In cadaveribus pulmones etiam gangræna tacti viſi ſunt, & imi etiam ventris viſcera gangrænam habuerunt; nam fæces nigras deiiciebant, & tunicæ villoſæ particulas evomebant ægrotantes. Methodus medendi hæc erat: vena ſecta fuit ex quo febris incenſa eſt, repetitis vicibus alvus ſubducta; cumque in ventriculo mali cauſa hærere viſa eſſet, vomitus excitatus fuit Ipecacuanha. Veſicatoria ad cervicem applicata ſunt, a quibus, ſi cutisruberet, melius erat. Camphoræ uſus gangrænæ reſtitit efficacius. Celeberrimus ASTRVCIVS Monspe-

Digitized by Google

pelienſis, in epiſtola ad calcem opuſculi adnexa, frequentem clyſmatum uſum ſalubrem expertus eſt. A purgantibus & vomitoriis ſapienter abſtinuit, & ipſis faucibus applicuit medicamenta quæ gangrænam ſiſtunt; nec quidquam, præter venæſectiones frequentes, ſimilitudinis eius ac pariſienſium methodo medendi interceſſit, & tamen plures convaluerunt. Novus omnino morbus haud eſt. Eum ARETAEVS ita deſcripſit: *Ulcera in tonſillis fiunt, aliqua familiaria, mitia, non laedentia; aliqua aliena, peſtifera, necantia. Quodſi concretae illae ſordes altius deſcenderint, affectus ille Eſchara vocatur, latine vero cruſta; depaſcendo ſerpit, ad columellam usque pervenit, ipſamque exedit, foetore conſumpti intereunt. Pueri maxime hoc morbo tentantur, raucitas adeſt, vox nihil ſignificat.* ARETAEVS Lib. I. c. 9. AETIVS autem ita habet: *cruſtoſa & peſtilentia tonſillarum ulcera, utplurimum nullo praecedente tonſillarum fluxu, incipiunt: fiunt autem frequentiſſime pueris: ſunt paſſim alba, maculis ſimilia, paſſim cinereo colore, aut ſimilia cruſtis quae ferro inuruntur: ſuccedit putrefactio: ſunt etiam quibus corroduntur gurguliones, atque ubi diutius perſtiterint, adſtrictiorem vocem edunt: ad ſeptimum usque diem periclitantur.* L. 2. Serm. 4. cap. 41. Convenienter omnino recentes hunc morbum deſcribunt. Aliquando primo apparent in imis faucibus, adſcendente quaſi ex oeſophago cruſta alba, denſa, ſplendente, inſtar recentis lardi tenaciſſime adhærente; atque hæc fere peſſima, & utplurimum lethalis. BOERHAV Aphor. 984. Candidiſſimæ, opacæ, duræ, tenaces, erodentes, malæ. *ibid.* Totum illud album, quod nihil eſt niſi vera eſchara gangrænoſa, cadit, ſi levius malum fuerit: ſi vero maior adfuerit malignitas, & inprimis in iuniore ætate, ubi omnia molliora ſunt, proſerpit malum, & alba illa macula quaquaverſum in omni ambitu diſpergitur, ſimul tunc putridiſſimus halitus ore exit. VAN SWIETEN, *Comm. in Aph. Boerh. p. 766.* Cauſas atrocis morbi, ARETAEVS in aëre frigido incautius adducto, inque puerorum concupiſcentia variorum ciborum, eorumque intemperantia, ponit, tunc maxime, ſi frigida rigidaque tempeſtas æſtuoſæ ſuccedat. Id tunc quoque, cum morbus ille ſæviret,

Digitized by Google

viret, obſervatum eſt accidiſſe. Erat enim menſis Octobris, qui hoc malum ſecum afferret. Habet etiam Sequana, quæ Pariſios transfluit, illud quod Aretæus de Nilo obſervavit, cuius aquæ craſſæ epotæ morbum huncce fecerant. Auctor vomitorii uſum ſalubrem propterea eſſe vult, quod ille, educta ventriculi ſaburra acri cauſtica, citius alio quovis remedio progreſſum gangrænæ ſiſtere poſſit; licet eventus indicationi haud reſponderit, neque etiam vomitu vel bilis, vel acidum, vel acre aliud quidpiam reiectum ſit, potius ex ramentis tunicarum vomitu eiectis intelligi potuerit, aphthas easdem, quæ os occupabant, in ipſo ventriculo ſimiliter radices fixiſſe, quare durum fuerit, inflammatum hoc viſcus acribus draſticisque pharmacis crudelius laceſſere. An venæſectionum frequentia indicationi vitali, quam Auctor ſtabilit, reſpondeat, dubium videri poteſt. Licet enim febris inflammatoria, eiusque progreſſus velox illud poſtulet: eo tamen tempore, quo natura pus movet, venam ſecare, gangrænam non tollere eſt, ſed excitare, utpote quæ coctionem vult, & febrim, quæ extinguenda prorſus haud eſt. Laudanda tamen omnibus modis ſunt externa topica, cucurbitularum uſus, & quidquid cutem cervicis vellicat ac rubefacit; cum, quanto plus inflammationis extus eſt, tantum eius ſit minus in faucibus. Sudores ægris eiusmodi proficuos fuiſſe, & Auctor obſervavit, & SEVERINUS ſapienter docuit: aſt damnantur medicamenta, quæ ſudores movent, metu, ne exacerbetur febris, licet illis, putridum ſanguini inhærens efficacius, quam ullo alio medicamento, eiiciatur. Camphoram cum gargariſmate applicatam cohibere gangrænam poſſe, quisque videt: ſed veremur, ne cataplaſmatum uſus, gangrænam, emollitis magis hac medicina partibus, auxerit. Damnantur acriora ſeptica, & ſi quæ alia vehementius irritant, ad mentem AETII: *Inſcii, ait ille auctor, ad quos maxime in rebus dubiis homines confugiant, vehementius illiniunt, ſimulque inflammatum locum comprimunt, & cruſtam detrahunt, quod minime facere convenit: quodſi enim adhaerentem adhuc cruſtam avellere aggrediamur, ulcerationes in fundum magis procedent, & in ulcera ſerpentia proficient.*

A DE-

A DESCRIPTION OF THE EAST AND SOME other Countries. Volume the Firſt, Obſervations on Egypt by Richard Pococke, L. L. D. F. R. S.

i. e.

DESCRIPTIO ORIENTIS ET ALIARUM REGIONUM. VOLUMEN I. Obſervationes de Aegypto continens, per RICHARDUM POCOCKIUM, L. L. D.

Londini, ſumtibus Auctoris, apud I. & W. Knapton, W. Innys, W. Meadows, G. Hawkins, S. Birt, T. Langman, C. Hitch, K. Dodsley, S. Nourſe, at I. Rivington, fol. 3. Alphab. 15. pl. 75. fig. ær. inc.

Elegantiſſimi operis Auctor, cum ex oriente, quo eo conſilio iter inſtituerat, ut vetera monumenta, & urbium olim famoſiſſimarum reliquias exacte deſcriberet, in Angliam rediiſſet, permoverunt eum amicorum preces, ut æneas tabulas, quas ſine commentariis edere conſtituerat, notis illuſtraret, atque ita ſui itineris rationem redderet. Quanquam enim regionum, quæ ad orientem ſpectant, nulla celebrior Aegypto habeatur, ut quæ & olim magnorum ingeniorum parens fuerit, & noſtra ætate, ſeu naturam ſoli, urbiumque ſitum, ſeu indolem moresque populi ſpectes, ſatis ſit omnibus nota: multa tamen Cl. Pocockii induſtriæ, poſt tot vigilias eruditorum, relicta fuerunt. Totum opus eſt in quinque libros diviſum, quorum primus de inferiori Aegypto agit, cuius caput Alexandria eſt, inclitum in omni veteri memoria oppidum, magni Alexandri opus, cuius corpus adhuc apud ſe ſupereſſe Mohammedani gloriantur. Hic Neptunium fuit, Timonium, Cæſarium, quorum Plinius maior mentionem fecit: hodie ciſternæ, quibus Nili aqua recipitur, & Pompeii columna, (quæ Auctori poſt Strabonis demum ætatem, quod nullibi eius meminit, poſita videtur,) præſtantiſſima ſunt veteris ætatis monumenta. Columnæ ſubiecta inſcriptio, litteris fere deletis, a nemine intelligi poteſt, quare a plerisque neglecta fuit. Roſetti, quod Bolbitinum antiquorum

rum eſt, magnus eſt hominum confluxus, merces ex Europa mari advehentium, nec longe diſtat Latomia inſula, in tres angulos porrecta, Naucratis, & Sais Herodoti, qui ingens ſaxum ibi ante Minervæ templum collocatum fuiſſe ait, teſtimonio, æque ac Buſiris, ubi templum Iſidis erat, nec hodie poſt tot annos plane conſumtum, cognoſcuntur. Cairi granaria, & templa tum Mohammedanorum, tum Coptarum, inque Iudæorum æde duo Codicis Hebræi vetuſtiſſima exempla, Eſræ, ut fertur, ætate ſcripta, ſuperſunt. Ioſephi putei multis nituntur eximii operis columnis; nec tamen ad patriarcham, ſed ad præfectum, qui Mohammede, Calauni filio, regnante, eam provinciam obtinuit, referri debent. Caraffæ antiqua extant ſepulcra, utrum Aegypti Regum, an Arabicorum Califarum, incertum. Balnea, quæ plurima in his locis ſunt, ſacra, animum non minus ac corpus ſordibus abluere creduntur: commercia & civiles Cairi magiſtratus prætermittimus. Memphis pauca hodie rudera exſtant, quod lapides plurimi Alexandriam avecti ſunt, cætera Nilus limo obtexit. Ex Strabone tamen, qui urbem a Pyramidibus undecim, a Delta quinque paſſuum millia diſtare ſcribit, de eius ſitu ferri iudicium poteſt. Oſiris ibi & Apio ſumma religione colebantur, forte quod ille terram bobus exercere primus docuit. Pyramides ex Diodoro & Herodoto, collatis cum Gravii & Malleti obſervationibus, Auctor deſcribit, non omiſſa de Cheopis filia, cuius amatores lapidem, ad Pyramidem condendam, ſinguli afferre cogebantur, fabula. Inter Savarenſes catacumbas præ cæteris mentione dignus eſt avium puteus, ita dictus, quod aves, eodem ac homines ritu, vaſculis argillaceis ſepultæ ſint. Arſinoe, urbs Crocodilorum ab antiquis vocabatur, quod cives eius divinos crocodilo honores haberent: hodie Faiuma eſt. In iis regionibus Labyrinthi olim templum extitit, ipſis Pyramidibus non inferius, a duodecim Regibus exſtructum, teſte Herodoto. Mendis, ſeu Imandis ſepulcrum. Anfractus eius adeo obſcuri fuerunt, ut exitus ignaris non patuerit, quare etiam Dædalum ex Creta in Aegyptum veniſſe, & ad eius imitationem Minoi ſimilem

ædi-

Digitized by Google

ædificaſſe, perhibent. Lacum Mærin, ſeu Mareotin, Auctor vidit, ubi Nilum aqua ſex menſes influit, per alios ſex, auctore Herodoto, lacum implet. Charontis fabulæ locum forte dedit, quod is, qui ſepulcrorum in Labyrintho curam geſſit, cum, ipſo inſcio, corpora componi tumulis non poſſent, portitor appellatus eſt. In ſuperiorem Aegyptum tendentibus Heracleopolis ſe offert, monachorum S. Antonii domicilio inclita, Coum el Arab, olim Cynopolis, quod Anubis ibi, & canes, ſacris cerimoniis culti ſint: Oxyrynchus, a piſce cognomine, deorum Aegyptiorum non poſtremo. Antinoopoli, quam Hadriani Imperatoris in Antinoum amor celebrem reddidit, eximii operis portam Auctor vidit, columnis ordinis Corinthii ſuffultam. Hermopoli, nunc Archemounaim, templi antiqui porticus ſupereſt, quam ære Auctor exprimendam curavit. Hic etiam veterum Panopolis eſt, cuius cives Panem, Oſiridis comitem, magna ſuperſtitione coluerunt: Chemmis ab Herodoto dicitur. In iis locis templi rudera, præcipue lapidem, unde ſolem hic quondam cultum eſſe apparet, Auctor invenit. Zodiacus enim, & quatuor anni tempora, variis ſignis expreſſa in eo cernuntur, ut in aliis Perſei ac Panis, ritu ſolenni adorati, veſtigia. Coptorum hic nonnulla monaſteria, ſanctitatis ac pietatis nomine inſignia. Amara, Teutyra olim dicta, crocodilos tanto odio habuit, ut finitimis gentibus, inprimis populo Ombos, ſæpe eorum cauſa arma infeſta intulerit. Iſidis hic Oſiridisque numina in magno honore fuerunt. Templa ibi exſtant, quæ, licet collapſa vetuſtate ſint, artem tamen non Aegyptii, ſed Græci ſculptoris, prodere videntur. Neque Cous minus celebris, ubi Cleopatræ & Ptolemæo, magnis diis, ſacratos lapides, Græcis litteris inſculptos, Auctor detexit. Thebæ centum portis, ſive, ut alii volunt, centum Principum aulis decoræ, adhuc Iovis antiquam ædem oſtentant, quam Strabonis locus illuſtrat, & ſimul, quid δρόμος, quid πρόπυλον, quid νεὼς, quid πρόναος ſit, declaratur. Hic etiam veterum Thebanorum Regum ſepulchra, quorum *Diodorus* XLVII. olim fuiſſe, Ptolomæi autem Lagi ætate ferme omnia intercidiſſe,

 teſta-

teſtatur. Memnonis ſtatua, in omni vetere memoria ſatis inclyta, nullum fere damnum a tempore paſſa, hic prolixe deſcribitur, notatis Græcis ac Latinis dextri & ſiniſtri cruris inſcriptionibus eorum, qui ſonum audiviſſe ſtatuæ ſibi viſi ſunt. In templo & ſepulchro Oſymanduæ Regis, picturæ, bellum eius cum Bactrianis indicantes, cernuntur, ubi etiam famoſa illa bibliotheca, animæ medicina cognominata, exſtitit. Deinde Latopolin Cl. Pocockius, & Apollinopolin, olim Crocodili cultu celebrem, ubi etiam locus Haiar-Silicily dictus, inviſit. Syene obſervatus olim ſyderum motus in editiore loco, cuius hodie, ut in oppoſita inſula Elephantina, templi Cauphis, tantum veſtigia occurrunt.

Philæ inſula prærupta undique & aſpera, ob Oſiridis ſepulcrum quondam ſancta habita, nunc a Coptis & Arabibus habitatur. In deſerto ad rubrum mare SS. Antonii & Pauli monaſteria ſunt, in quibus vetus illa & horrida diſciplina adhuc regnat. Inde in Arabiam Petream, cuius incolæ furtis & latrociniis dediti, Auctor profectus, Deſertum Sur, & aquas Pharaonis acidas reperit. Mons ipſe Sinai, ab Arabibus Iebel-Moſis appellatus, in quatuor partes a Græcis dividitur, in quarum ſeptentrionali monaſterium & ſacella, S. Iohanni Baptiſtæ, divæ Virgini, & S. Annæ dicata. Hic lapis, quem Mahomedem, cum ad hoc monaſterium veniſſet, poſuiſſe volunt, & inſcriptiones plurimæ, quas æri Auctor incidendas curavit. Eccleſia transfigurationis ſanctæ pavimentis pulcherrimis ſtrata fuit, quæ a Turcis, theſauros ſub iis latere ſuſpicantibus, diſtracta, nunc reparata ſunt. Diſciplina illa, qua nulla olim ſanctior fuit, nec hodie mutata eſt, & peregrinantes ſatis liberaliter ibi excipiuntur: Bibliotheca optimis & præſtantiſſimis libris, non ſcriptis modo, ſed etiam excuſis, referta eſt. Iſraelitarum iter hic cum cura deſcriptum, locis ſingulis, quæ curſu peragrarunt, notatis. Sequenti libro de præfectis, moribus, & naturali Aegypti hiſtoria agitur. Diviſa eſt omnis Aegyptus in tres partes, in ſuperiorem, inferiorem, & mediam, quæ præfectis variis ſubiectæ ſunt, Beys, Cashifs, Sangialics & Sangiacs vocatis.

Nec

Digitized by Google

Nec abhorret hæc ab antiqua in Delta, Thebaidem, & Heptanomium diviſione. Milites, aut equites, Spahi ſunt; aut pedites, Ianitzari, quorum præfectus Ianitzar-Aga vocatur, & Azaos, qui in eius militiæ ſupplementum venerunt. Iuſtitia in Aegypto eodem ac in cæteris regionibus, quæ ſub Turcarum Imperatoris poteſtate ſunt, modo, per Cadiliskierios, ſeu Cancellarios, qui Conſtantinopoli quotannis Cairum mittuntur, & Cadis Alexandriam, Roſettum, Damiatum, & Gizi, ad ius dicendum ablegant. Reditus Imperatoris partim ex annuo civium munere; partim ex Iudæorum & Chriſtianorum tributo, Harach, proveniunt; partim ex vectigalibus, invehendis exportandisque mercibus ſtatutis. Copti tantum umbram religionis ſectantur, ieiuniis ac diuturnis precibus unice dediti: incolæ plerique, rebus novis inveniendis intenti, in otio eſſe malunt, quam commerciis ac ſimilibus operam navare. De educatione, lotionibus, victu, balneis, temporum computatione, ſacra peregrinatione Meccana, veſtitu denique Arabum & reliquorum Aegypti incolarum, multa prodit Auctor, ab aliis etiam commemorata. Coeli hic calidiſſima temperies eſt, terræ motus non infrequentes, aqua nitroſa, maxime in Ioſephi puteis. Nili inundatio accidit circa Maii finem, & limo eius obtecti campi fertiles redduntur. Inter piſces Aegypti Hippopotamus eſt, qui ex Aethiopia venit, Latous, Italis Cefalo, unde Latopoli nomen, ubi olim cultus fuit. Crocodilus, quem Aegyptii Timſuh vocant, ova parit, anſerinis ſimilia, quæ perdere tamen Ichneumon ſolet; hodie Pharaonis glis vocatur. Cæterum, magna ſoli ubertas eſt, & herbæ, Senna, colocynthis, palma Thebaica, ex multorum obſervationibus notiſſimæ ſunt. Inter aves, Struthiocamelus, ſub quo Oſirin Aegyptii venerabantur, Gallina ſylveſtris, Ter Chaous, & Belſery occurrunt. Liber ultimus varia, quæ ad Aegyptum illuſtrandam pertinent, complectitur. Omnium antiquiſſima Oſiris ſtatua videtur, ut quæ perfectam in his regionibus ſculpturam ætate ſuperat: nec altera Iſidis inferior, ubi flos Lotus, & Siſtrum, pulchre expreſſa. Præterimus cetera ſimulacra, & Gnoſticorum amuleta,

leta, ære hic expreſſa, & eruditis notis illuſtrata. De Architectura Aegyptiorum, quod argumentum nemo adhuc tractaverat, A. capite ſingulari egit, & columnarum ſuperiora ornamenta, aut flores, aut deorum capita monſtroſa referentia, menſuramque, accuratiſſime deſcripſit, quanquam ea ita comparata ſint, ut tanta induſtria non ſatis digna videantur.

Aegyptii, æque ac Aethiopes, Reges ſuos inter deos retulerunt. Oſiris ipſis Sol eſt, Iſis luna, Iupiter occulta illa vis, qua omnia producuntur, Vulcanus ignis, Ceres terra, Oceanus eſt Nilus, Minerva aer. Solem in iis locis primum regnaſſe volunt, quem Herodotus Mendem vocat, Vulcanique templum condidiſſe Memphi ait, unde Sacerdotes Vulcanum regum antiquiſſimum fuiſſe concludunt. Promethei fabula in Aegypto nata, & fluviorum nobiliſſimus, Nilus, aquila ob rapiditatem vocatus, cumque inundaſſet aliquando omnia, ab Hercule deductus eſt. Horus Iſidis filius fuit, quæ tam præclare rem geſſit, ut poſtea Reginæ Aegypti maiori loco, quam Reges, haberentur. De Hieroglyphis multa hic ex Diodoro, & de corporibus mortuorum pice odora circumfuſis, ex cæteris ſcriptoribus afferuntur: obſervatum, aves in Saccarenſibus catacumbis eodem ac homines ritu involutas reperiri. Sequitur Malleti deſcriptio maximæ pyramidis, qua ea, quæ ab ipſo allata Auctore fuerant, explicantur; deque Nili inundatione, eiusque per varios annos altitudine, obſervatio. Neque minus rerum naturalium ſtudioſis grata erunt, quæ de cultura oryzæ, de Sale Ammoniaco, a templo Iovis Ammonis ita dicto, ubi magna eius copia vehebatur, deque pullorum excluſione in fornacibus, adnotantur. Proceſſionis Meccanæ ampla deſcriptio, cum nonnullis Imperatoris Turcici Epiſtolis, hic exſtat; ut Græcas inſcriptiones, quæ ſatis difficulter legi poſſunt, plantasque Aegypti potiores taceamus. In calce operis erudita de Aegypti geographia diſſertatio eſt, qua tabula, Aegypti ſitum exhibens, uberius declaratur.

ORNI-

Digitized by Google

ORNITHOLOGIAE SPECIMEN NOVUM, SIVE ſeries avium in Ruſcinone, Pyrenaeis montibus, atque in Gallia aequinoctiali obſervatarum, in claſſes, genera, & ſpecies, nova methodo digeſta, Auctore PETRO BARRERE Societat. Reg. Scient. Monſpeſſ. Socio, in Acad. Perpinian. Medic. Profeſſ. Noſocomii militum regii Medico, in inſula Gallo-Americana, Cayenna, olim Medico & Botanico regio.

Perpiniani apud Guil. Sim. le Comte, regis typographum, 7 plag. cum 1. tab. ænea, in 4.

Serius aliquanto præſtat libri mentionem facere, quam tacite illum præterire, præſertim ſi quid novi illius Auctor promittat. Ita enim cum hoc ornithologiæ ſpecimine comparatum eſt, in quo doctiſſ. *Barrére,* ante aliquot annos vita iam functus, novam methodum aves in ordinem redigendi excogitavit. Cuius rei cauſſa, ad characteres avium certos & viſibiles conſtituendos, pedes eligit, atque roſtrum; ſecundum illos aves dividit in palmipedes & ſemipalmipedes, in fiſſipedes & ſemifiſſipedes. Quod ad roſtrum attinet, duodecim eius ſtructuras peculiares obſervavit, ad diſcernenda avium genera & ſpecies ſatis accommodatas. Hinc roſtri variationes ſunt: imbricatum, hamatum, arcuatum, decuſſatum, ſubulatum, apice acuto, obtuſo, ſubcurvo, truncato; cultratum, cultrato-gibberum, ſpathulatum, conicum, & conico-incurvum. Cæterum, nullam rationem habendam cenſet quæſtionis, in quot præciſe digitos pes ſit diviſus? an omnes antici, aut unus alterve digitus poſticus ſit? an digiti ſint verſatiles, ſquammoſi, nodoſi? an ungues adunci, plani, denticulati? rel. Hæc ſi quis attendat, facile reperiet, hanc methodum doctiſſimi Auctoris, cum methodo, qua Celeberr. KLEINIVS, aliquot annis poſt, tam egregie uſus eſt, in nonnullis conſentire; neque dubium eſt Auctori innotuiſſe, qualem ordinem viamque ad diſponendas avium claſſes ingreſſus eſſet Kleinius, quod hic ea de re cum Præſide

Burdegalenſi, Barbato, & cum domino Chardevoine, literarum commercium diu ante habuerat. Utut vero hæc ſe habeant, noſtrum in præſens eſt, brevem huius operis dare ideam, & inprimis nævos indicare, qui in librum, numero ſat magno, irrepſerunt. Prævidit optimus Auctor, inſuperabiles ſibi difficultates a conditione pedum oriundas; inde pro ſuo genio facilitatis amante nil cenſui habere voluit rationem pedum; quaſi vero roſtra magis in oculos cadant, quam pedes.

Claſſis prima aves recenſet palmipedes, in quibus numerantur, anas, anſer, mergus, larus, recurviroſtra, alca, rygchopſalia, phoenicopterus. In genere anatum fallit Au-
Pag. 17. ctoris deſcriptio, id quod etiam in mergis accidit. Recurviroſtra & alca ad plotos referri debent; alca eſt plotus pinguis: neque Linnæus primus fuit, qui avi nomen alcæ indi-
20. dit, iam Wormio & Cluſio uſitatum. Rygchopſaliam Auctor a roſtro forficem æmulante appellat; quamvis illud nil minus quam forcipem æmulatur. Phoenicopterum gaudere dicit roſtro ſurſum convexo, quod criterium plane nullum eſt; nam omnes avium mandibulæ ſuperiores plus minus convexæ ſunt.

Secunda avium claſſis, ſemipalmipedum nempe, duo complectitur genera, fulicam & colymbum.

Tertia claſſis, avium fiſſipedum quadraginta genera re-
25. cenſet, eſtque omnium ampliſſima. Pſittacus *tibiis breviſſimis*
27. nonniſi comparative gaudet. Falconis roſtrum, quod *ferme pſittacinum* eſſe dicitur, nihil ſignificat. Pſittaci inferior mandibula toto coelo differt ab omnibus hamatis; ut ſuperior valva nihil commune habet cum accipitribus, niſi ſpeciem
28. perſonatam. Aquilæ criterium A. conſtituit *valvam ſuperiorem inferiori paulo longiorem;* ſed inferiores in omnibus avibus ſunt breviores, excepta anomaloroſtro. Quid in ulula roſtrum *veluti reſimum* ſibi velit, non conſtat. Caprimulgi non *valva ſuperior,* ſed uncus valvæ, inferiore tantillum longior eſt, comparatione facta ad hirundinem, cui plane ſimile roſtrum; differt ab hac cauda æquabili, & myſtaceis plumis ad nares; pedes æque plumoſi ac in hirundine domeſtica.

Ono-

Onocrotali ſpecies, quas A. duas numerat, ſunt tantali; ſco- Pag. 34.
lopax roſtro gaudet cylindrico producto, non *ſubulato.* Co-
lumbæ deſcriptio, ut aliæ bene multæ, admodum manca eſt.
Galgulo attribuit A. digitos binos anticos, totidemque poſti- 41.
cos. Sed hæc nota omnino falſa; aut avis eius nec galgulus
eſt, nec garrulus. Ficedula facie eſt alaudæ, & roſtro te-
nuiore, hebete, unguibus brevibus æqualibus ſine calcare;
non ficupeta, ſed vermipeta avis, vermiculos ficubus inhian-
tes devorans, non ficus deſtruens. Motacilla Barreri eſt Syl- 43.
via, avicula pectore producto & fornicato, quaſi ſtrophio va-
rii coloris induto. Auctor, inter alios Motacillæ characteres, et-
iam *caudam* ponit *irrequietam.* Quid ſi vero avis hæc alicui
mortua offeratur? cauda erit quieta. Quid cauda *oblonga?*
an ovalis oblonga? an quadrato-an trigono-oblonga? Pro 45.
Ciſſae nomine, Auctor ſubſtituere rectius latinum *Pica* potuiſ-
ſet. Paro adſcribit *roſtrum arcuatum;* rectius roſtrum breve,
ſecans, anguloſum, mandibulis æqualibus, acutis. Avem, 50.
quam *Roſtratam* appellat (*Gros-bec, Toukan,*) *naſutum,* quod
ei nomen eſt, dicere vult a roſtro craſſo & perlongo. Omnes
enim aves roſtratæ ſunt. Corvi roſtrum, præter quod ſit
cultratum & robuſtum, in exitu etiam eſt uncatum, ingluvie
ampla, radice roſtri piloſa, lingua bifida. Cur hydrocorax 52.
inter aves fiſſipedes referatur, nulla eſt ratio; eſt enim tetra-
dactyla, digitis omnibus palmata, & Cl. KLEINIO Plancus di-
citur. Forte Auctor eam non vidit. Paſſerem A. deſcribit: avis 54.
genus fiſſipedis, roſtro conico, craſſo, valvis æqualibus; qua
deſcriptione, qui nunquam paſſerem vidit, nihil certe profi-
ciet. Carclueli dicitur eſſe roſtrum *conicum incurvum;* me-
lius conicum, ambabus valvis exquiſite cuſpidatum. In turdi 58.
notis recenſentur pili utraque roſtri parte inſtar barbæ pro-
minentes. Sed pili non ſunt notabiles; roſtri acies hebet;
mandibula inferior recta, (ergo male *roſtro incurvo*); ſuperior
in medio decreſcens levi unco; pectus elatum. Ortygometra 61.
funeſtum eſt nomen, nec omnibus notum; avis eſt Rallus.
Pſophia, quam vocat, Auctori peculiare conſtituit genus, ex 62.
ſtercore deſumtum. Dicit enim: avis ſic a me dicta a voce
græca

græca pſophos, crepitus, quod canens crepitum reddit per podicem. Credat Iudæus Apella! avis enim hiſtoria nullibi legitur, nec huiusmodi crepitus avis canoræ forſan ulli audi-
Pag. 63. tus. Otus Auctoris eſt omnino grus; ſive otum ſive otin dixeris, tamen non recte. Manucadiata maiori iure pica appellatur. Struthioni falſo adſcribitur *roſtrum imbricatum apice acuto;* acutum enim non eſt, ſed plagio-plateum. Et hoc loco obſervandum eſt, dari ſtruthionem pennis nigris, ſed ra-
68. riorem illum. Himantopum & hæmatopum, aves diverſas, Auctor confundit, adeo in nomine errans; namque avis eſt oſtralega. Eadem ratione Totanus Auctoris rectius dicitur Glareola; pluvialis autem & vanellus, Gaviæ. Meleagridis nomine maluit uti, quam Gallo-pavonis, ne hic forte credatur monſtrum ex gallo & pavone; qua cautione res aviaria non eget. Hæc ſunt, quæ in præſens, cum librum evolveremus, corrigenda videbantur; neque dubii ſumus, futurum fuiſſe, ut ipſe Auctor, ſi vita frui diutius ipſi licuiſſet, operi ſuo ultimam limam, præſertim in deſcribendis avibus, pertexendisque earundem characteribus, addidiſſet.

DE POLYPHAGO ET ALLOTRIOPHAGO WITtebergenſi Obſervatio GEORGII RUDOLPHI BOEHMERI, Med. D. Anat. & Botan. Prof. Publ. Ordin.

Wittebergæ 1757. pl. 5. in 4.

Eadem, qua haud ita pridem diſſertationis cuiusdam, Halæ ventilatæ, argumentum cum lectoribus noſtris communicavimus, fiducia, & veniæ a lectoribus impetrandæ ſpe, Polyphagi inſoliti vitæ hiſtoriam cadaveriſque ſectionem Actis noſtris inſerimus. Ea quidem, quæ vitam attinent, ex actis publicis excerpta, memoriæ tradidit Cl. BOEHMERUS. *Iacobus Kahlius*, de plebe, olitor fuit, vir omnibus urbis Wittebergæ incolis notiſſimus, qui non corporis natura, ſed indigentia & mercede ductus polyphagiam exercuit, interdum vervecem integrum, nonnunquam porcellum, alio tempore mag-

magnam panis variorumque aliorum alimentorum copiam, aliquando octo ſexagenas fructuum pruni, & hos quidem integros una cum duriſſimis nucleis, quandoque, & iterato quidem, quatuor ſemimodios (*Metzen*) ceraſorum integrorum, cum voluptate devoravit. Sed non illa ſolum, quin plane inſolita quoque ventriculo ingeſſit, varia ſcilicet ex argilla facta, verbi gratia urceos, patinas, diſcos, imo & fornacem, opus figulinum, ſe manducaturum eſſe non modo prædixit, ſed eum quoque dentibus petiit, magnamque eius partem abripuit, & ſtomacho concredidit. Vitra & ſilices dentibus comminuit, & ſine noxa deglutivit; interdum vero lapidibus eius generis tantummodo dentium veſtigia alte impreſſit. Et, quod ſtupebis, totum inſtrumentum muſicum, quo utricularii utuntur; (*einen Dudelſack,*) avidiſſime devoravit, ipſumque utricularium, hoc facto perterritum, ſibique proſpicientem, & per feneſtram ſaliendo ſecuritatem quærenſem, per ſat longum ſpatium perſequutus eſt. Viva etiam animalia, aves, mures, aliaque integra ingeſſit, ut talium murmur ſonitusque velut per ventriculum ab adſtantibus perciperetur. Magnam denique copiam erucarum, &, quod ſupra omnem fidem eſſe videtur, atramentarium, ex ferri laminis, ſtanno confectis, factum, una cum calamis, ſcalpello, atramento, atque arena, comminuit & ventriculo tradidit. Hæc omnia ſemper magna cum voluptate, & ſine ulla noxa, peregit, modo ſobrius, modo ebrius, plerumque tamen ſpiritum vini ſuperbibit. Præditus autem fuit corpore robuſtiſſimo, & multa ſtupenda præſtitit. In officina ferraria, ex rota, magnis capitatis clavis ferrata, claves omnes dentibus extraxit, maximam incudem e ſede ſua, ope laquei quadrigemini, dentibus movit, & in hypocauſtum transtulit, quam deinde duo fabri ferrarii in locum priſtinum reſtituere vix poterant. Quatuor homines ſatis robuſtos, ex pago vicino, *Pratau* dicto, in urbem transportavit, brachio ſcilicet unoquoque unum, tertium in dorſo, quartum dentibus apprehenſum teneas, rel. Hactenus dicta, aliaque plura peregit *Kahlius*, ad annum ætatis ſexageſimum, a quo tempore imbecillior, ſobrie vivere coactus,

 cor-

Digitized by Google

corpus emaciatum circumduxit; anno demum ætatis ſeptuageſimo nono vivis ereptus. Hæc de vita. Nunc & ea trademus, quæ culter anatomicus detexit. Emaciatus *Kahlius* habuit omnia membra bene conſtituta, thoracem amplum & elevatum, abdomen valde contractum collapſumque, nullos dentes. Aperto abdomine apparuit omentum vere parvum, corrugatum, omnique oleo carens; hepar pondere deorſum nitens, margine anteriori ſiniſtrorſum lienem attingens, omnemque tegens ventriculum; ventriculus præternaturaliter conſtitutus, a cardia ad pylorum usque unius eiusdemque diametri & craſſitiei. Tunicarum ventriculi denſitas inſignis, & prope cardiam fibræ carnoſæ diſtinctæ, pallidæ tamen; eius capacitas magnitudini inteſtini coli, ut ea in ſtatu naturali eſſe ſolet, æqualis fuit. Ventriculus e corpore avulſus & inverſus, in ſuperficie interna ubique oſtendit elevatas partes, iugis in duodeno & ieiuno valvuloſis ſimiles, non circulares, ſed longitudinales, ab uno orificio ad alterum protenſas, alias quidem phalangem, plurimas digitum longas, præſertim in curvatura magna copioſas, ſine ullo tamen earum veſtigio in ſuperficie externa. Situs inteſtinorum fuit naturalis; ileon eo in loco, qui colo inſeritur, denſius, alio in loco anguſtius; colon in hypochondrio dextro & lateribus & parte poſteriori arcte accretum peritonæo, & anguſtum, in zona ampliatum, in latere ſiniſtro rurſus, & ad quatuor quidem digitorum latitudinem, contractum, eo loco, quo lienem attingit, denuo ampliatum, facta vero una convolutione, ita, ut vix digitum admitteret, coanguſtatum. Sic contractum colon, nova flexura facta, ſupra pſoas & lumbarem muſculum deſcendit, & pelvis cavitatem recta intravit, ita, ut gyri eius, qui extenſi trium fere ſpithamarum longitudinem æquarunt, in eadem continerentur. Inteſtinum rectum non oſſi ſacro incumbens, potius hoc nudum, ſolo peritonæo tectum, & ſiniſtro eius margini agglutinatum apparuit; infra foramen vero ovale, maxime dextrorſum, contractum antea colon, uno quaſi impetu expanſum, rectum conſtituit, & in eam amplitudinem, naturali maiorem, deſiit. In omni coli

Digitized by Google

coli anguſtata parte tunicæ fuerunt albicantes & robuſtæ, & hinc inde ad corii ſiccati denſitatem accedentes. Plurima ex illis abuſui ſpiritus vini adſcribenda eſſe liquet. Reliqua inſolita, quæ ſectione reperta ſunt, cum nullum nexum cum vitæ ante actæ genere habeant, ſilentio præterimus, unum hoc adiicientes, Cl. BOEHMERVM, dum in cauſas ſummæ illius voracitatis inquireret, reperire alias non potuiſſe, præter dentium ſine dubio in iuventute firmitatem ſummam, maximumque omnium muſculorum robur, ſic, ut *Kahlius* duriſſima quæque comminuere poſſet. Alia ſimul polyphagorum heluonumque exempla, ex variis ſcriptoribus, adiecit Cl. Auctor.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREmentum Scientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per partes publicata. VOLUMINIS DECIMI PARS TERTIA.

Lipſiæ 1758. apud Lanckiſii heredes, plagg. 12. in 8.

Producentibus novam partem Operis, cui olim vel principis architecti, hoc eſt *Menckenii* noſtri, cauſſa, doctorum hominum ſententia favebat, non iam ab auctoritate clariſſimi nominis, ſed ab ipſo, ſi fas eſt, libri argumento, quædam illi commendatio arceſſenda fuerit. Videntur enim nonnulla & utilia cognoſcentibus, & iucunda, his paginis ſcripta proponi. Iudicare autem ipſos Lectores noſtros volumus. Quo conſilio, quam habeant ſingulæ diſſertationes vim & virtutem, breviter demonſtrabimus.

Diſputat primum quædam ex Iure Civili *Ioh. Ludovicus Conradi*, Vir Doctiſſ. Iur. Utr. in hac Academia Doctor. Non ſunt illius in illuſtrando Iure Civili labores obſcuri, nec cedunt prioribus acumine & elegantia, quæ hic leguntur obſervationes. En unam & item alteram. Ad hæc *Ulpiani Lib. II. ad Sabinum:* Feminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt, & ideo nec iudices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire,

nec procuratores exiſtere. §. 1. Item impubes omnibus officiis civilibus debet abſtinere; ad hæc ergo Ulpiani Conradus noſter adſcripſit quæ ſequuntur: „Eo tempore, quo teſtamenta in comitiis condebantur, non erat cum feminis teſtamenti factio. Ea illis poſtmodo permiſſa eſt, ita, ut auctoritatem tutoris interponerent. Sed illud ex iure veteri „remanſit, ut arcerentur a teſtimonio in ultima voluntate dicendo. Quare Ulpianus Lib. I. ad Sab. de teſtamentis ordinandis agens, feminas excludit a numero teſtium claſſicorum, pronuntians eas eſſe officiorum publicorum ſive civilium incapaces, eaque officia enarrat, a quibus eſſent remotæ. De quorum ſingulis diligenter expoſuerunt Petrus Faber, & Iac. Gothofredus. De Gothofredo autem ſciendum „eſt, eum ſubtilius quam verius, differentiam quærere inter „officia publica & civilia. Nam verbi cauſſa tutelam, quæ „munus eſt, recte dixeris officium publicum. Sed illa & officium virile dicitur, quod idem eſt ac civile. Non eſt cur „longi ſimus commemorandis locis, quæ indifferenter ac promiſcue habent officium civile & publicum. Similis huic „eiusdem Gothofredi error eſt, exiſtimantis, aliud eſſe intervenire, aliud intercedere. Quod perſpicue falſum eſſe patet ex toto Tit. Dig. de Scto Vellei. Iuvat unum e multis „locis adponere. Cap. 9. §. 14. Ulpianus ait: Si, cum eſſem „tibi contracturus, mulier intervenerit, ut cum ipſa potius „contraham, videtur interceſſiſſe.

Hanc obſervationem excipit alia in Ulp. L. III. ad Sab. *Eius eſt non nolle, qui poteſt velle.* „Iſta libri Florentini lectio, inquit V. Cl. una, proba, vera eſt; reliquæ variant, & ſententiam habent frivolam, omninoque talem, cui nomen regulæ non conveniat. Regula eſt de patientia, ſive tacita voluntate: nam *non nolle*, quod inter *velle* & *nolle* medium eſt, proprie ſignificat *pati*, hoc eſt, tacite conſentire. Cap. I. §. 3. tit. Dig. de tribut. actione. Itaque hæc eſt regulæ ſententia: Eius, qui iure civili velle poteſt, etiam tacita voluntas effectum habet. Ac propterea cauſſa recte ponitur hæc: is, qui hereditatem ſibi delatam adire poteſt, eam per alium quo-

quoque, v. c. per ſervum, patiendo adquirit. Contra ea impubes, qui iure civili non habet voluntatem adquirendi, multo minus per alium hereditatem ſibi adquirere patiendo poteſt. Poſtrema harum Obſervationum, quæ eadem ſexta eſt, oſtendit, male ſuccesſiſſe CORN. RVCKERO corrigendæ 77. tit. Dig. de condition. & demonſtrat. interpunctionis artificium. Sed nos ad ſecundam Commentationem accedimus.

Ea inſcribitur *de Bipenni Tenedia.* Nomen Auctoris amoenus & doctus labor præfixum non habet; nos a Viro multis & magnis laudibus conſpicuo profectum comperimus. Deſignat autem verbis, quæ adpoſuimus, ſuadente in Adagiis Eraſmo, immoderatam omnem in iudiciis capitalibus ſeveritatem. Eius duo adfert exempla: alterum ex Ioſepho Archæol. XIII. 6. ubi poenæ in Advocatos Samaritanorum, ante quam templi ſui cauſſam oraſſent, ſtatutæ narrantur; alterum, famoſiſſimam ſtragem a Theodoſio M. Theſſalonicæ editam. Tum duplicem ſtatuit ab eodem Imperatore legem latam fuiſſe, qua poenæ infligendæ dilationem iuſſerit: priorem anni 382. ſupereſſe in L. 20. C. de Poenis, repetitam ex L. 13. C. Th. poſteriorem anni 390. commemoratam Rufino, periiſſe. De ratione legis egregie diſſerit. Monet etiam, linguæ & calami peccatum non eſſe atrocius puniendum. Sane Oldenburgeri ſortem, qui duo folia libri, in quo parum honorifice Principis cuiusdam acta perſecutus erat, devorare coactus, & inſuper fuſtibus cæſus eſt, ſtolidi ſcriptores, a quibus hodie pene opprimimur, vehementer deprecentur.

Succedit tertio loco *Necrologium Corbeinſe*, a Ven. *Ioh. Chriſtoph. Harenbergio* ex MSCto editum. Faſti ſunt, ex codice membranaceo, quem antiquisſimum Corbeienſe ad Viſurgim Monaſterium adſervat, deſcripti. Præcipua eorum pars in referendo obitu illuſtrium virorum verſatur. Incipiunt autem ab a. 790. deſinunt in a. 1145. nec pauca habent memoria digna, & vulgo ignota. Excerpſit & quædam ex alio Codice Editor, quæ res in Germania a. 1146. geſtas ſpectant, pasſimque adnotationes adiecit, multam Lectoribus lucem præeuntes.

Venimus ad *Ioh. Gottlieb Hornii* Adnotamenta uberiora ad alteram Epiſtolarum mutilarum de nutante cauſſa fugitivi ſecundum Bennonis Epiſcopi Miſenenſis, Seculo XI. ſub Henrico IV. Imperat. exaratarum, & abs Vir. Clariſſ. Bern. Pezio ac Ph. Huebero in Cod. Dipl. Hiſt. Epiſtol. A. Vindel. & Græcii 1729. fol. publicatarum, qua denuo pariter ad vicisſitudines Archiepiſcopatus Magdeburgenſis atque Ducatus Bohemici, quales ſe habuere circa a. 1085. ſqq. penitius ruminandas, large oblata fuit manuductio. Longa, diligens, & adcurata diatribe Viri hiſtoriæ patriæ nuper peritisſimi. Pertexit ea telam, Volumine VIII. Miſc. Lipſ. p. 587. ſqq. coeptam, & ita pertexit, ut ſcriptorum recentiorum complures emendet, in Hiſtoria vero Seculi XII. declaranda prudentiæ criticæ pulchrum exemplum præbeat.

Iohannis Conradi Fueslini, de genuina Albigenſium & Waldenſium diſtinctione, adverſus Iac. Gretſerum Diſſertatio, non minus ſe probabit Hiſtoriæ ſacræ ſtudioſis. Nam cum Gretſerus, magnæ potius quam excellentis famæ ſuperiore Seculo Ieſuita, in publicatis a ſe Ingolſtadii 1613. Scriptoribus aliquot contra Sectam Waldenſium, itemque tribus libris Lucæ Tudenſis contra hæreticos Albigenſes, docere conatus eſſet, nullam eſſe inter Albigenſes & Waldenſes, niſi nominum, diverſitatem: ita doctiſſ. *Fueslinus* audacem hominis calumniam redarguit, ut ex ipſis illis ſcriptoribus alia omnia eliciat. Hi enim diſerte fatentur, Waldenſes Symboli Apoſtolici dogmata ſingula adprobare, recteque de plerisque Relig. Chriſtianæ capitibus ſentire; Albigenſes contra veram Manichæorum propaginem eſſe. Quod ut firmius conſtaret, duo præterea Seculi XIII. Scriptores ex *Franc. Quercetani* (du Chesne) Scriptoribus Hiſtoriæ Francorum adduntur, Petrus Cernenſis, & Guilielmus Podolaurentius, quorum uterque diligenter Waldenſes ab Albigenſibus, & dogmatum quidem nomine, diſtinguit. Quodſi, inquit Vir Cl. factum eſt, ut Albigenſes aliquando Waldenſes dicti, aut Waldenſes Albigenſibus adiuncti fuerint, hoc ſcribentium incuria accidiſſe cenſendum eſt. Opportune nobis, hæc in litteras referentibus, non-

nonnulla in eandem rem obſervata ſe offerunt a *Moshemio*, quo vix quisquam noſtra ætate acutius & clarius de rebus in Eccleſia medio ævo geſtis diſſeruit. Is igitur æterni Operis, Inſtitut. Hiſt. Eccleſiaſt. Antiquæ & Recentior. pag. 550. not. l. duplicem nominis *Albigenſes* poteſtatem, latiorem aliam, aliam anguſtiorem, advertit. Latiori ſenſu, omnes varii generis hæreticos, qui Sec. XIII. in Gallia Narbonenſi conſederant, Albigenſes adpellatos fuiſſe. Tum Petri Sarnenſis, (qui eſt idem ille Petr. Cernenſis a *Fueslino* laudatus,) verbis utitur, deſumtis ex editione prima Nic. Camuſati, Trecis 1615. 8. ac deinde hæc adiungit: Hos Albigenſes poſtea Petrus in varias ſectas dividit, quarum optimam dicit Waldenſium. Sic autem in univerſum omnes in Gallia hæretici, non ab urbe Albigia, nominabantur, ſed ideo, quia maxima pars Galliæ Narbonenſis hac ætate Albigenſium vocari ſolebat, quod adcurate demonſtrarunt Monachi Benedictini, in Hiſt. générale de Languedoc, T. III. Not. XIII. p. 552. Anguſtiori ſenſu Albigenſes ſunt illi, qui alioquin Cathari in Italia, Publicani ſeu Pauliciani, Bulgari vocantur, homines ad Manichæorum diſciplinam propius accedentes. Hæc *Moshemius*. Sed *Fueslinus* noſter, poſtquam perſpicue rem propoſitam ediſſeruit, ſapienter monet, a Proteſtantibus, qui recte ad innumeros teſtes veritatis eius, quam Reformatio reſtauravit, provocant, non eſſe ſine diſcrimine Albigenſes & Waldenſes excitandos; imo & in Waldenſibus, purioris doctrinæ amicos ab iis ſecernendos eſſe, in quibus iure nonnulla reprehendas. Ceterum commentationem hanc ſpeciminis loco exhibuit, ut maioris operis, vernacula lingua edendi, de hominibus qui ante Reformationis tempora ſe a Romana Eccleſia ſegregarunt, prodromum. Huius operis eo acriori deſiderio tangimur, quod hiſtoriam tractabit, ad diſceptationes & errores ſatis lubricam. Erunt etiam fortaſſe qui latino ſermone legi malint librum, cuius utilitas per omnem Europam pateat.

Alio nos vocat *Davidis Richteri* Enodatio Quæſtionis: utrum liceat defunctæ uxoris ſororem ducere in matrimonium?

Digitized by Google

nium? Id vero negat Auctor, motus loco Levit. XVIII, 16. ubi prohibetur frater defuncti viri uxorem ducere. Argumentatur autem a pari his fere verbis: quicunque prohibet fratri ducere fratriam, ille etiam eo ipſo prohibet ſorori nubere ſororio. Hanc argumentandi rationem diligenter & copioſe defendit.

Deſinit tandem hæc Pars in Ioſephi Scaligeri, Iſaaci Caſauboni, & Iuſti Lipſii epiſtolis aliquot ineditis, quarum edendarum initium Vol. X. P. II. p. 364-378. factum eſt. Pleræque, quas hic legas, a Scaligero & Caſaubono ad Dav. Hoeſchelium miſſæ ſunt, ſi unam demas, quæ eſt Scaligeri ad Marcum Velſerum. Atque hæc quidem poſteriore duntaxat parte ſua profertur, cum priorem iam Collectio Epiſt. Scaligeri Lugd. Bat. p. 405. num. CLXXVII. teneat. Credibile autem eſſe ait Editor noſter, Velſerum, aut heredes eius, præſentem Epiſtolam, Heinſio edituro mittendam; truncaſſe ideo, quod eius pars altera in Ieſuitas acerbior ſit, ægre hoc ferente amico eorum Velſero. Reliquæ epiſtolæ, de libris maxime a Scaligero & Hoeſchelio edendis, ut Chronico Euſebiano, ut Procopio, verba faciunt, lectu certe amoeniſſimæ. Dabimus, quæ ſuperſunt ex Sylloge iſta, Parte Voluminis huius ultima: quam qui ſymbolis ornare ſuis cupiant, noſtram in publicando alacritatem non deſiderabunt.

HERODIANI INFANTICIDII VINDICIAE, Auctore F. CASTO INNOCENTE ANSALDO, Ordinis Praedicatorum. Accedit eiusdem diſſertatio, de loco Ioannis, aliter atque habet Vulgata, a nonnullis Patribus lecto.

Brixiæ, excudebat Ioannes Maria Rizzardi, ſuperiorum approbatione, Alphab. 1. plag. 5. in 4. mai.

Elegantiſſima hæc commentatio inſcripta eſt *Benedicto* XIV. tum ut ipſum, qui de gloria ſanctorum tam egregie ſit meritus, eminus adſectaretur, tum quoniam illuſtris gens Lambertina urbem Brixienſem, in qua A. ſacras docet

docet litteras, ſibi maxime obſtrinxerit. Prior diſſertatio Cap. IX. abſolvitur. C. I. nominat illos, qui infanticidium Herodianum ſunt inficiati, ſpeciatim Ioſ. *Scaligerum*, qui in Scaligeranis hiſtoriam hanc tanquam ſpuriam reiecit, quoniam reliqui Evangeliſtæ illam prorſus prætermittant, neque ullam eius *Ioſephus* faciat mentionem; exiſtimat igitur, a primævis Chriſtianis Matthæo adſutam fuiſſe. In eadem opinione verſati ſunt olim Manichæi, & adhuc Anabaptiſtæ. C. II. ponit, ſi qua etiam loca in evangeliis ſint corrupta, a præſenti tamen corruptelam abeſſe omnem. Eſt I.) regula critica conteſtatæ veritatis: *nullum locum eſſe ſolicitandum, niſi id cogat evidens neceſſitas, ac praecipue codicum diſſenſus*; id quod limitandum arbitramur, niſi contineat aliquid, cui natura rei, ſcriptoris ſenſus, ac perpetua ſententia, hiſtorici denique ceteri evidenter contradicant. Sed locum hunc haberi in omnibus codicibus, nec de illius ſinceritate, poſt tot oraculorum ſacrorum editiones verſionesque, ſumma induſtria adornatas, totque interpretum curas, dubitaſſe neminem, ſi quis a Scaligero diſceſſerit. Et cum ſint, qui N. T. interpolationem paſſim ſuperveniſſe opinantur, codicibus priſcis, verſionibus, adverſariorum ſcriptis, Patribus, diligenter collatis & excuſſis, hunc tamen locum genuinum declararunt; quod iudicio *Simonii* & *Clerici*, non æque bene in divinorum oraculorum integritatem animatorum, comprobat. Idem demonſtrat II.) ex ſtilo, totoque orationis habitu, quo locus hic incedit, qui ubi cum aliis Matthæi locis comparatur, a Matthæo profectum eſſe dubio caret. III.) Matthæus Evangelium ſuum in gratiam Iudæorum conſignavit, quorum fidem ut expugnet, ad vatum oracula perpetuo provocat. Quod cum hoc etiam in loco fiat, quis credat, falſarium aliquem ex primis Chriſtianis, qui ſimplices fere erant ac indocti, genium Matthæi tam exacte exprimere & adſequi potuiſſe. Nec verba Ieremiæ a falſario effingi potuerunt, cum, uti h. in l. habentur, neque in cod. ebraico, neque apud LXX. legantur: indoles potius Matthæi, per totum ipſius Evangelium regnans, animadvertitur, qui verba prophetarum ſecundum ſcopum & ſignificationem excitat. In loco Ieremiæ c. XXXI. 15. infanticidium Bethlehemiticum

Digitized by Google

directe præſignificatum fuiſſe cenſet: ſi igitur idem illud a Matthæo relatum non eſſet, veritas prædictionis Ieremiæ non conſtaret. Silentium proinde Ioſephi Matthæo fraudi eſſe non poteſt. C. III. Qui manus interpolatrices libro alicui iniiciunt, ad id ratione quadam inducuntur, quod exemplis in medium allatis confirmatur: ſed talis in h. l. non adparet. Nec hiſtoria rei naturæ contradicit. Quodſi enim Herodes fuiſſet humanus, lenis, mitis, cogitari poſſet, facinus hoc ab illius indole fuiſſe alienum: ſed Ioſephus illum nobis deſcribit tanquam ſævum tyrannum, ſanguine multo non civium modo, verum neceſſariorum etiam ac cognatorum, ſe foedum in modum inquinantem. Infanticidium igitur hoc ab ipſius moribus alienum non fuit. Ad hæc dici poteſt, Ioſephum non omnino ſilentio prætermiſiſſe cædem iſtam immanem, licet tecte id fecerit. L. XVII. c. 3. memoratur, eum ob prædictionem Phariſæorum, fore, ut regnum ab ipſo auferatur, inque Pheroræ poſteritatem transferatur, plurimas cædes perpetraſſe; quod ſuſpicionem movet, illum infanticidium hoc tecte ſubinnuere voluiſſe. C. IV. *Euſebium* vindicat, ac ſi adſeveraſſet, Ioſephum l. c. de infanticidio Bethlehemitico verba facere, a *Tanaquilli Fabri* φλυαρίαις, Euſebium malæ fidei reum agentis. Prolatis igitur iis, quæ in hunc Euſebii locum commentatus eſt *Valeſius*, quæque ex *Chryſoſtomo* addere potuiſſet, iudicioſe obſervat eruditiſſ. *Anſaldus*, Cæſarienſem ita excuſari poſſe, quod memoratas a *Flavio* Herodis ante mortem lanienas, ad Bethlehemiticos etiam pueros extenderit. Et ſi quidem Euſebius multa confinxiſſet, & narrationi Flavii Herodianum infanticidium addidiſſet: inde tamen hoc prono ſequeretur alveo, infantum horum ſtragem illa tempeſtate habitam eſſe certiſſimam, receptiſſimam, ac vulgatiſſimam. Illam fama pervulgatam fuiſſe, conſtat ex illis *Macrobii*, Saturn. L. II. c. 4. *cum audiviſſet* Auguſtus, *inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudaeorum intra bimatum iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum, ait: melius eſt, Herodis porcum eſſe, quam filium.* Non hæc eſt mens Macrobii, una cum infantibus bimulis *Antipatrum*, Herodis filium, obtrincatum fuiſſe, qui grandior ætate fuit, & aliquanto poſt victima crudelitatis paternæ

eſt

eſt factus: ſed præter hos infantes, vel illa tempeſtate, vel non longe poſt, trucidatum eſſe filium; vel Auguſtum cædem utrorumque, diverſo tempore factam, coniunxiſſe. Porro, ſi quidem in poſterioribus lapſus eſt Macrobius, prius tamen propterea falſitatis poſtulandum non eſt. Teſtimonium igitur Macrobii, idoneum eſt ad hiſtoriam a Matthæo proditam litteris confirmandam; nec dici poteſt, per piam fraudem eſſe intruſam. C. V. Iam quidem in priſca obtinuit eccleſia hæc ſententia, ſcriptores ſacros non unius eſſe ordinis, eſſe alios de quibus numquam fuerit dubitatum, alios quorum non æque certa & explorata ſit veritas: hoc tamen poſterius de c. II. Matthæi nemo adfirmarit. Præterea, quæ res vel hiſtoria a ſcriptoribus, qui non longe ab illius geſtæ tempore abſunt, commemoratur, de illa non ita facile dubitandi eſt ratio. Exhibetur autem illa ab *Irenaeo* L. III. c. 18. contra hæres. *Origene* homil. IV. in Pſ. 36. *Tertulliano* adverſus Valentinianos, *Cypriano* ep. LVI. ne quid de ſequentium temporum doctoribus dicatur: conſequitur inde, ipſos hanc ex emendatiſſimis codd. habuiſſe. Si quis codex cognitus fuiſſet, in quo hiſtoria hæc eſſet deſiderata, *Irenaeus* non tanta confidentia ſcribere potuiſſet: *interfectos*, infantes ſc. illos, *ſecundum ſcripturas*, nempe ſecundum concordem codicum conſenſum. Provocat A. præterea *ad faſtos* omnes ac *martyrologia*, tum antiqua, tum recentia, in quibus cædes iſta indubie notatur; ad univerſalem denique eccleſiæ, inde ab antiquiſſimis temporibus, ad hæc noſtra usque. Nec obſtat ſilentium Ioſephi, quem conſtat alia non levis momenti, quæ ſub veteri contigere foedere, minus attigiſſe: præſentem autem rem ſtudio ſilentio involviſſe, inde patet, quoniam de Chriſtianis, illorumque incremento, ne verbulum quidem habet, quorum tamen res in populo Iudaico multum turbarum dederunt. Et ſi quidem factum hoc non retulit, tamen non negavit, nec aliquid in contrarium attulit. Si auctoritate Ioſephi ſemper ſtandum eſſet, multa certe e N. imo & V. T. proſcribenda forent. De cæde Galilæorum Luc. XIII. 1. de Chriſti actionibus, nihil habet; unde iudicatu eſt proclive, ipſum multa reticuiſſe vel negligentia, vel amore Iudæorum, vel odio Chriſtianorum, vel aliis de cauſſis, nobis non æque notis. Hinc

Digitized by Google

fidem hominis, præſtantiſſimi viri, ut *Sixtus Senenſis, Natalis Alexander, Ottius*, alii, in multis rebus merito deſiderarunt. *Noldius* adſeveraverat, pontificios Ioſepho non favere, quoniam recenſio librorum ab illo facta, illorum de libris apocryphis iugulet opinionem: oſtendit igitur A. Proteſtantes etiam in illo multa notaviſſe, & qui ſummis ipſum extulerint laudibus, nævos tamen illius non celaviſſe. C. V. Culpam non relati infanticidii multi coniiciunt in *Nicolaum Damaſcenum*, Herodis amicum, eiusque ad Auguſtum oratorem, quem Ioſephus preſſo ſit ſecutus pede; qui cum hiſtoriam ſuam ad laudes Herodis converteret, ea omnia omiſerit, quæ in illius qualecumque vituperium vergere poſſent. Eſt hæc ſententia *Cellarii, Lamii, Calmeti, Graveſoni*. Sed enim ſi Damaſcenus ea tantum de Herode ſcripſit, quæ illi laudi eſſe poterant, & Ioſephus ea ſolum compilavit, quæ ab illo in litteras relata erant, qui fit, quod hic Herodem paſſim deſcribit tanquam ſæviſſimum tyrannum? vel igitur etiam Damaſcenus hæc narravit, vel Ioſephus iſta aliunde mutuavit. Ioſephum Damaſceno non ſemper adhæſiſſe, hoc argumento eſt. Scripſerat hic, *Antipatrum*, Herodis magni patrem, ἐκ πρώτων Ἰουδαίων, ex antiquiſſimis Iudæis ortum trahere: refragatur Ioſephus, cauſſatus, id non alia de cauſſa illum ſcribere, quam ut Herodi, tum temporis ſceptra tenenti, adularetur. C. VI. *Lamius*, vir doctiſſimus, in adp. chronol. ac geograph. ad comm. in harmon. Evangeliſtarum, cauſſam ſilentii Ioſephi hanc allegaverat, ne Romanis innoteſceret opinio Iudæorum de Meſſia, quem ſe a iugo Romanorum liberaturum eſſe ſperabant. Sed etiam hæc non firmo innititur talo, quia Iudæi Romanis ſemper deriſui ac contemtui fuerunt, & hinc, ubi victi prorſus atque enervati erant, ab illis nihil metuendum fuit. Nec Romanos latebat ſpes Iudæorum, de rege ex oriente profecturo, qui toti orbi imperaturus eſſet: ſed illam in commodum ſuum vertebant, de *Veſpaſiano* oraculum illud interpretantes, quod etiam ipſe fecit Ioſephus. Quærit A. num illud dimanaverit ex Michæ V. 1. quæ mens eſt *Caſauboni*, an ex Gen. XLIX. 10. quod iudicat *Fabricius*, atque concludit, ſi quidem primo, i. e. litterali ſenſu, Ioſephus oraculum illud de Veſpaſiano accepit, illum infanti-

cidium

cidium Bethlehemiticum reticere non debuiſſe. Sed videtur V. C. ex vaticiniis illis plus effeciſſe, quam inde efficiendum erat. Prædicitur rex aliquis inſignis, qui regnum in ſuorum animis erecturus eſſet, cui non Iudæi ſolum, verum etiam gentes obtemperaturæ eſſent. Ponamus iam, oraculum hoc Ioſephum Veſpaſiano accommodaſſe, ratio certe erat nulla, quare infanticidium iſtud commemorare deberet, tum enim verba de ortu dominatoris ad rem nihil faciunt. Probabilius eſt longe, oraculum illud inter Iudæos percrebuiſſe non ex hoc vel illo prophetæ cuiusdam loco, ſed ex omnibus coniunctim ſumtis, qui iſtiusmodi regem univerſalem, qui univerſum tandem orbem ſub ſuum mitteret iugum, imo & tempus, illiusque characteres deſignaverant; quare, cum illud ad metam ſuam veniſſet, in ſpem venerant, fore, ut ille ſe orbi brevi manifeſtaret. C. VIII. ſuam expromturus ſententiam A. monet, *hiſtorici in condenda hiſtoria generali eſſe, non minima quaeque ſectari.* Inde ex ſcopo Ioſephi oſtendit, illum infanticidium hoc non potuiſſe memorare. In Antiquitatum libris hoc ſibi propoſuit, ut in gratiam gentilium, græco idiomate, de originibus & fatis populi Iudaici ea percenſeret, quæ in ipſorum libris habebantur. In libris de bello Iudaico inde initium ducere, ubi ſcriptores ſacri deſierant, eaque attexere, quæ ſuis temporibus evenerant; fuit autem cædes illa perpaucorum infantum, & illa quidem in obſcuro & vili vico perpetrata, nec habuit nexum cum generali ſcopo, cum ſtatu populi Iudaici, ita ut illi ſpectabilem aliquam mutationem induceret. Hæc eadem eſt cauſſa, quare nihil dicat de adventu magorum; quia *ſapientes*, non reges fuerunt, quia ſine pompa & magnificentia urbem ſunt ingreſſi; nihil de cenſu, ſub Auguſto acto, quia tantum ad terram Iudaicam ſe protendit. Exiguum cæſorum infantum fuiſſe numerum inde adparet, quoniam Bethlehem fuit vicus tenuis, qui forte non ultra 100. homines aluit, quos inter pauci infra bimatum conſtituti fuerunt. Ioannes adpellat κώμην c. VIII. Lucas quidem c. II. 4. πόλιν, ſed *Epiphanius* notavit, in aliis codd. legi κώμην, *Iuſtinus* dial. cum Triphone pariter κώμην in apol. II. χωρίον σμικρὸν, *Hieronymus*, *pauperculam villam*,

 item.

item *villulam*, quos recentiores ſequuntur. Nec exiſtimandum eſt, infantes ad bimatum omnes obtruncatos eſſe, ſed illos tantum, qui eo tempore nati fuerant, quo ſtellam a magis obſervatam fuiſſe cognoverat Herodes, quorum proinde non adeo multi eſſe potuerunt. Adhæc factum hoc non ſpectabat ad hiſtoriam gentis Iudaicæ, ſed Chriſtianorum; patratum erat clanculum in viculo exiguo, nullis motibus inde conſequentibus. Denique Ioſephus hiſtoriam ſcribebat in gratiam gentilium, apud quos, quod *Lamius* notat, tanti non habebatur recens natos perimere infantes, cum in parentum arbitrio eſſet, illos vel tollere, vel neci dare. Eorum numerum non exprimit Matthæus, c. II. 16. nominans πάντας, qui pro conditione loci, natura rei, & reliquorum incolarum ſunt intelligendi, nec definiunt calendaria & martyrologia. Ex verbis Apoc. XIV. 4. 5. quæ in ſollemnitate feſtiva infantum horum decantantur, numerum illorum efficere non licet, cum illa alio prorſus ſint referenda. Ingens numerus, quem potiſſimum Græci ſunt commenti, ortum ſuum debet exaggerationibus oratorum ſacrorum & poetarum, qui pro ratione loci non tantus eſſe potuerat, quod viri multi eruditi ſatis agnoverunt. Proinde non eſt, quod miremur, cædem iſtam non enarraſſe Ioſephum.

Sequitur ſecunda diſſertatio de loco Ioannis. In præfatione repræſentat ſtatum rei litterariæ, ſpeciatim orientalis, in Italia. Locus Io. I. 13. aliter legitur apud *Tertullianum: qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex deo natus eſt:* atque ad Chriſtum transfert, cui lectioni etiam antecedentia & conſequentia favere videantur. Obſervavit id in commentario ſuo *Toletus*, nominans præterea *Athanaſium*, L. II. de unita deitate trinitatis. *Simonius* autem, qui tamen alias ſatis ſollicitus eſt de locis, in quibus alia lectio obtinet, conquirendis, prorſus ſilet. At qui nominantur libri Athanaſii, illius non ſunt, ſed potius *Vigilii Tapſenſis*. Eodem etiam modo legit *Irenaeus* L. III. c. 19. it. c. 16. unde in illam fere ſententiam deſcendit præſtantiſſimus Auctor, aliquam illo tempore exſtitiſſe verſionem, in qua verba ita, uti apud Tertullianum

num habentur, fuerint lecta. Sed ſi integer nexus verborum apud Tertullianum expenditur, ſatis adparet, ipſum Valentinianum aliquem loquentem inducere, qui ſuam opinionem, Chriſtum corpus aliquod ſpirituale de cælo ſecum detuliſſe, ac per Mariam tranſiviſſe, propoſuerit. Sed alius extat locus in eodem libro, in quo diſputans adverſus *Ebionem*, verba noſtra eodem, quo ſupra, non ex ſententia adverſarii, ſed ſenſu proprio loquitur: unde A. colligit, *communiorem olim quidem in eccleſia fuiſſe verſionem, in qua lectum fuerit: nati ſunt: ſed aliquam fuiſſe etiam, & quidem absque dolo confectam malo, in qua lectum fuerit:* natus eſt; quod ipſum adſtruit teſtimoniis *Auguſtini* & *Hieronymi*. Diſſerit inde de ſtilo ſcriptorum N. T. qui crebris ebraiſmis fuerint uſi; unde, qui ſermonis ebræi ſint ignari, quique LXXviralem interpretationem negligant, in illis interpretandis non æque feliciter verſari, quod utrumque culpat in *Eraſmo*. Cummaxime vero *Ioannem* iſtiusmodi idiotiſmis ſcatere adfirmat, cuius *ſermo*, indice *Lamio, plane ex Syriaco illius ſaeculi ſit adumbratus*. Hæc iam applicat ad præſentem Ioannis locum, fuiſſe aliquem ex Iudæis converſum, linguæ Ebraicæ probe gnarum, qui illud *οἱ* more ebræorum converterit in *ὅς*, uti apud ebræos nonnumquam pronomen a ſuo diſcordat ſubſtantivo, genere & numero, quod exemplis prolatis confirmatur. Idem dicendum de verbo *ἐγεννήθησαν*, pro quo forſitan in codice aliquo offenderunt *ἐγεννήθη*, deficiente *σαν*; vel, quod magis illi placet, pro more apud ebræos, & inde etiam Helleniſtas, apud quos verbum frequentisſime diſcrepat a ſuo nominativo, quod multis exemplis confirmatur, & ſpeciatim verbis Gen. XXXV. 26. אלה בני יעקב אשר ילד לו, ubi illud יֻלַּד ſingularis numeri, in plurali eſt vertendum *ἐγεννήθη*, legerunt pro *ἐγεννήθησαν*. His poſitis, indicat, illud *οἱ ἐγεννήθησαν* verti potuiſſe *natus eſt*, ac ſi lectum eſſet *ὅς ἐγεννήθη*. Adducit loca ex græcis latinisque ſcriptoribus, ſed quæ non tam ex idiotiſmo helleniſtico ſunt interpretanda, quam pro vitiis ſermonis reputanda. Quod ad locum *Tertulliani* priorem attinet, non tam culpat ille verſionem, quam ſenſum, quem ſubiiciebant Valentiniani, ut hinc Afro non ſit abiudicandus.

Notat

Notat *Auguſtinum Simonius* hiſt. crit. N. T. P. III. c. 17. ludentem verbis ſuper illa: *non ex ſanguinibus*, quod *ſanguines* in numero multitudinis purus ebraiſmus ſit. Verum enim vero, ſi iudicio poetarum eſt ſtandum, qui tamen non omnino ſunt negligendi, dicere non poſſumus, vocem *αἷμα*, in numero multitudinis, generationem naturalem deſignantem, purum putum eſſe ebraiſmum. *Lycophron* certe illa non ſemel hoc ſignificatu utitur: καὶ Τημενείων ἐκ ἄποθεν αἱμάτων, Alex. v. 804. τῶν Ἡρακλείων ἐκγεγῶτες αἱμάτων v. 1249. in ſingulari numero: τοῖς τ' ἀφ' αἵματος ῥίζαν γιγάντων Σιθώνων κεκτημένοις v. 1356. 1357. In quibus locis vox αἱμάτων & αἵματος ſumitur pro poſteritate, quæ ex communi ſtirpe per naturalem generationem ortum ducit. Pergit præſtantisſimus *Anſaldus*, ſe lectionem illam diu multumque in codd. vulgatis & multis manu exaratis fruſtra quæſiviſſe; inveniſſe tamen tandem in vetuſtisſimo capitulari codice MS. eccleſiæ Veronenſis, ut hinc iure notari mereatur *Pamelius*, ad hunc Tertulliani locum ſcribens: *Omnes* MSS. *codices, exemplaria omnia latina, patresque omnes, legere*, ex deo nati ſunt. Ex his infert A. ſententiam ſuam de diverſis verſionibus, olim proſtantibus, poſt perditis, luculenter confirmari poſſe, & huius beneficio, locorum e ſacris litteris a patribus excitatorum, non ſolum in diverſis ipſorum ſcriptis, verum etiam in iisdem libris differentias, conciliari poſſe. Ceterum in diſquiſitionibus his dominatur doctrina haut vulgaris, acre iudicium, circumſpecta ſagacitas, diffuſa lectio antiquorum pariter ac recentium ſcriptorum, proteſtantium etiam, erga quos multa utitur moderatione.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCLVIII.

EDUARDI CORSINI, CLER. REGUL. SCHOLARUM Piarum, & in Academia Piſana Humaniorum Litterarum Profeſſoris, ad Clariſſimum Virum Paulum M. Paciaudum Epiſtola, in qua Gotarzis Parthiae regis Nummus hactenus ineditus explicatur, & plura Parthicae hiſtoriae capita illuſtrantur.

Romæ 1757. in Typographio Palladis, plag. 3. in 4. c. numo aere expreſſo.


Etſi ex veterum auctorum, tam Græcorum, quam Latinorum, lectione & interpretatione; hæc una maxima utilitas petenda eſt, (quod *Graevius* ſuis ſemper inculcaſſe dicitur,) *ut ſapere diſcamus*, id eſt, ut animus noſter elegantiſſimorum ſapientiſſimorumque ſcriptorum uſu & ſenſu ab ineunte ætate ſubactus atque formatus, eodem ſuavitatis, urbanitatis, leporis, omnisque in dicendo, ſcribendo, omnique cum aliis conſuetudine, elegantiæ quaſi colore imbuatur; atque adeo ii, qui in verborum floſculis congerendis, aut antiquis ritibus cognoſcendis, omnia eſſe putant, non leviter errant: certiſſimum tamen eſt, harum minutiarum cognitionem, (ſic enim appellant vulgo, qui in re gemmaria, lapidaria, numaria conſumitur, laborem,) & ad multas res utiliſſimam eſſe, & nos ſine hac nullo modo illa conſequi poſſe. Nam, ſi exemplis & auctoritatibus confirmanda res eſſet, plurimum apud nos veterum diligentia atque religio, in minutis, ut videtur, rebus, valere deberet. Quam ſubtiliter ille magnus

Digitized by Google

gnus *Cicero*, cui rebus immortalibus geſtis paucos, ingenio vero & doctrina neminem parem habemus, de verborum obſcoenitate cum Poeto, (ad Diverſ. IX. 22.) quam diligenter de verbo *tumultus*, (Philipp. VIII. 1.) *inepti*, (Orat. II. 4.) *hortis* (Offic. I. 12.), & *popularium* atque *optimatium* (p. Sext. 44.) diſputat? Nonne idem Tironem ſuum de verbo *fideliter* leni riſu obiurgat, quo non recte fuerat uſus? (L. XVI. ad Div. 17.) & de formula, *inhibere remos*, quæ a nautis acceperit, cum Attico communicat? (ad Att. L. XIII. 21.) Quid vero de eo dicamus, quod *Gellius*, (L. X. c. 1.) ex epiſtola quadam Tironis affert? Pompeium valde primum dubitaſſe, cum ædem Victoriæ dedicaret, utrum conſul *tertio*, an *tertium*, ſcribendum eſſet, deinde vero illud feciſſe, quod Ciceroni placuiſſet, atque extremas litteras omiſiſſe. Sed ſi remota horum auctoritate, recte iudicare velimus, non debebat tamen *Chr. Thomaſius*, alias vir doctus, ſed in his litteris non ſatis exercitatus, *Tollium* ridere, quod in litteris marmori cuidam inſculptis explicandis elaboraverit. Nam, ut alia omittamus, quæ Spanhemius copioſiſſime expoſuit, ex his ſtudiis plurimum lucis hiſtoriæ affunditur. Quæ ne manca, ne imperfecta, ne parum vera videatur, omnia nobis ſunt inveſtiganda. Hiſtoria enim, quæ coniecturis tantummodo nitatur, an illa plus ad demonſtrandam divinam in humanis rebus providentiam, quam cum prudentia vitæ inprimis in illa diſcenda ſpectare debemus, quam fabulæ, valebit? Illa vero hiſtoriæ veritas, nonne maxime ſuum robur & vim ex numis & lapidibus aſſumit? Etſi nos quidem, quod ad numos attinet, lubenter Gudio aſſentimur, qui illos facilius, quam lapides, veteratorum fraude corrumpi poſſe, atque adeo his maiorem, quam illis, fidem habendam eſſe cenſet. Quæ cum ita ſint, non inutilem *Corſinus*, vir, in quo etiam nunc, id quod optimus quisque exiſtimabit, quaſi exempli cauſa, veſtigia antiquæ doctrinæ & elegantiæ exſtant, in numis explicandis operam collocaſſe videtur, cum præſertim animum ad Parthicam hiſtoriam illuſtrandam adiecerit. Eſt profecto hic latiſſimus campus, ſed multis obductus ſentibus, nec illorum

oculis

TAB. IV. ad Nov. Act. Erud. A. 1758. Menſ. Aug. pag. 435.



Krügner Jun. ſculpſ.

Digitized by Google

Digitized by Google

oculis gratus, qui amoena & lævia videre cupiant, dignus tamen, in quo exercitatiſſimus quisque artem & ingenium oſtendat, ſuarumque virium faciat periculum. Quanta enim Parthorum fuerit fortitudo, quamque illorum imperium Romanis formidoloſum & inviſum, ex eo intelligi poteſt, quod quam diutiſſime ſuam dignitatem, contra terrarum illam gentiumque deam, ut poeta dicit, obtinuerint, quæ & vehementiſſime laboravit, ut maculam priori Mithridatico bello ſuſceptam deleret, & nulla prope ex alia re tantam, quam ex *ſignis receptis*, lætitiam percepit. (*Horat.* L. IV. 13. 6. L. I. 12. 53. ep. L. I. 8. *Sueton.* Aug. 21.). Habet vero hiſtoria huius populi magnas difficultates. Quas, ſi quis doctiſſimi *Vaillantii* librum de regum Parthorum hiſtoria legerit, facile animadvertet. Maxime vero hæ difficultates inde oriuntur, quod etiam *Vaillantius* vidit, (p. 185. 241.) quod, cum omnes prope Parthorum numi Ἀρσάκȣ nomine inſigniti ſint, haud facile ſuus cuique numus adſignari poteſt.

Quemadmodum enim Albani reges Sylvii; Romani Imperatores Auguſti; Aegyptii vero reges Ptolomæi: ita Parthorum reges Arſacidæ appellati ſunt, quod etiam *Servius* ad Virgilium (Aen. L. VI. v. 760.) obſervat; ubi tamen illum pro Parthis Perſas dixiſſe Viri docti docent, id quod etiam *Horatius* fecit (L. I. od. 2. 22. L. IV. 5.). In hoc autem numo, quem *Corſinus* nobiſcum communicavit, hoc quoque accedit incommodum, quod, temporumne an hominum iniuriis, aliæ litteræ in illo extritæ, aliæ perperam expreſſæ, quædam temere diſpoſitæ ſunt. Ipſum vero numum videamus, & de illo quid Corſinus ſentiat deinde explicemus.

In antica quidem, ut aiunt, numi parte, regis vultus conſpicitur, qui, licet barbatus, iuvenilem tamen quandam pulchritudinem habet. Frons lato diademate eſt revincta. Diademati ipſi, vel tæniæ illius, vel cincinni, quaſi coronam imponunt. In averſa vero parte rex ſedens apparet, & manu arcum tenens: qui in plurimis Parthicis numis eſt, quamobrem etiam Sagittarii appellantur. Etenim & ipſa natio ſagittandi peritia reliquis præſtitit (Dio. L. XL. p. 142.); & ar- Tab. IV.

cus apud Perſas & Parthos regium inſigne erat. Nam, ut ea taceamus, quæ Corſinus ex *Dione* (L. XLIX. p. 408.) laudat; *Arrianus* quoque commemorat (d. exp. Al. II. 12.), matrem, uxorem, & liberos Darii, poſtquam arcum ipſius & ſcutum apud Alexandrum eſſe audiviſſent, Darium, ut mortuum, defleviſſe. Sed in hoc numo, ut ad eum redeamus, altera extremitas arcus exeſa eſt. Aliæ litteræ, ut iam diximus, iniquitate temporis conſumtæ, aliæ imperitia monetariorum corruptæ depravatæque ſunt. Quod, ut Vaillantius docet (p. 348.), in Parthicis numis ſæpiſſime accidit. Hæc tamen fortaſſe ita reſtitui poſſe cenſet Corſinus, ſi BACIΛEYC (ab hoc verbo reſtat tantum BACΛIE — —) ΓOTEPZHC APσακȣ, (ab hac enim voce adeſt tantum AP —) YIOC KAI, (pro hoc eſt in numo KC,) KAΛOYMENOC APTABANOY legatur, aut KAΛOYMENOY APTABANOY.

Eſt præterea in hoc numo illud ſingulare, quod, cum in aliis nomini Ἀρσάκȣ βασιλέως, verba δικαίȣ, ἐυεργέτȣ, & Φιλέλληνος addantur, in hoc tamen, præter nomen Gotarzis, & patris Artabani, nihil tale videamus.

Illam vero correctionem aliquid difficultatis habere, ipſe *Corſinus* vidit. Primum enim, ſive Καλȣμενος legatur, ut Gotarzes quidem *Artabani* filius fuerit, ſed Artabani vocatus ſit; fortaſſe quia ab eo adoptatus fuit, inde ſequetur; ſive Καλȣμενȣ, duplex patri nomen fuiſſe dicendum eſt. Neque hoc nobis valde mirum videri deberet, cum in Vologeſis numis (*Vaillant*. p. 293.) Αρσακȣ βολαγασȣ nomina videamus. Sed maiora quædam ſunt, quæ nos valde dubios reddunt. Quæ enim fuit neceſſitas, Gotarzis patrem Arſacem fuiſſe, nominatim dicendi? Omnes reges hoc nomine uſi ſunt. Cur Arſacis nomen ſoli patri, non filio datum eſt? Atque etiam brevius fuiſſet, βασιλεως Γοτερζης Αρσακȣ Αρταβανȣ.

Quæ cum ita ſint, Corſinus, priori coniectura reiecta, ſyllabæ AP litteras βAPδανȣ addendas, omnia vero ita legenda eſſe cenſet:

BA-

ΒΑCΙΛΕΥC ΓΟΤΕΡΖΗC ΒΑΡΔΑΝΟΥ ΥΙΟC
ΚΑΙ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΥ ΑΡΤΑΒΑΝΟΥ.

Quæ quidem coniectura, quæ nobis aptiſſima videtur, ut ſuum robur accipiat, breviter Gotarzis, Bardanis, & Artabani hiſtoria a Corſino exponitur. Quæ, cum ex *Tacito* aliisque diſci illa posſint, nihil hic repetere attinet. Ea potius, quæ *Corſinus*, tam in ipſa hiſtoria, quam in ratione temporum, falſa eſſe dicat, & emendet, videamus. Hæc enim non optime nobis a Vaillantio conſtituta eſſe videntur.

Ille enim, *Taciti* auctoritate adductus, Artabanum dicit a. V. C. 797. diem ſuum obiiſſe, regnum vero non Gotarzi, ſed Bardani, ex teſtamento reliquiſſe; Parthos tamen Gotarzem regem quidem primum creaſſe, deinde eodem anno Bardanem elegiſſe. Mithridatem a. V. C. 798. occupaſſe Armeniam, quam ne Bardanes recuperaret, Vibium Marſum Syriæ legatum prohibuiſſe, ineunte vix anno V. C. 798. Gotarzem a. V. C. 801. a Bardane victum eſſe, mox tamen, Bardane admodum iuvene interfecto, regnum accepiſſe. Denique anno V. C. 804. mortuum eſſe.

Sed vix intelligi poteſt, ſi a. V. C. 797. Gotarzes Artabano ſuccesſit, atque prius quam a Bardane expulſus fuit per totum annum regnavit, quomodo uno anno disſidium inter fratres naſci, Romam nunciari, atque Armenia a Mithridate occupari potuerit? Atque etiam Corſinus egregie e *Ioſepho* demonſtrat, Vibium Marſum eo tempore, (a. V. C. 798.) non fuiſſe in Syria, Casſium vero Longinum, qui illi ſucceſſit, a. V. C. 797. illuc veniſſe.

Mithridates igitur, ex Corſini ſententia, a. V. C. 794. a Claudio in Armeniam miſſus eſt. Quod etſi *Tacitus* ea de cauſa factum eſſe dicit, quod diſcordiæ inter Parthos, aut Gotarzem & Bardanem, fratres, ortæ fuiſſent: Corſinus tamen, quoniam disſidia illa longe ſerius acciderunt, humanitati Cæſaris illum reditum tribuendum eſſe putat. Ille vero Mithridates, vel exeunte anno V. C. 794. vel ineunte 795. Armeniam in ditionem poteſtatemque ſuam redegit. Bardani autem, qui vel eodem anno, vel ſequentis initio, Armeniam

recuperare fruſtra conatus erat, a. V. C. 799. Gotarzes ſucceſſit. Quod *Corſinus* inde colligit, quod a. V. C. 800. Parthi legatos Romam miſerint, qui Gotarzis crudelitatem accuſarent. Neque Ioſephus quidquam de teſtamento Artabani commemorat; qui & antiquior fuit Tacito, & longe facilius omnia reſcire poterat. Nam Helena, Izatis mater, & ipſe Izates, ſe ad Iudæorum religionem contulerant, & Iudæos ſecum habebant doctores. Ex iis vero, quæ dicta ſunt, ſequitur, ut Gotarzes tantum ſemel poſt Bardanis interitum regno potitus ſit.

Obiter hic error corrigitur *Lipſii*, qui Artabanum, Gotarzem, & Bardanem, fratres fuiſſe ait. Atque etiam Vaillantii quidam errores notantur, qui & numos, reges ætate graves exhibentes, Bardani & Gotarzi adſcribit; qui tamen admodum iuvenes mortui ſunt. Sed & in aliis item lapſus eſt. Nam, ut hoc unum afferamus, in Bardanis numo apud Vaillantium, ſiniſtro humero characteres ΚΥΔΙΠΠ inſcripti conſpiciuntur, iidemque in altero quoque nummo, quem Vaillantius Arſaci XI. adſcribit, apparent. Hi, ſive artificis nomen indicent, ſive aliud quidquam, duorum certe regum, qui ſibi proximi fuerunt, eſſe debent. Bardanes autem a. V. C. 795. Sinatrucius a. V. C. 679. imperavit. Ignoſcenda tamen hæc omnia Vaillantio eſſe optimus quisque arbitratur, qui ſibi eam rem explicandam ſumſit, in qua maxima eſt obſcuritas, & cuius cognitio multis obſtructa eſt difficultatibus. Quis etiam tam inhumanas ſit, cui illud, *ubi plura nitent* — non probetur?

Sed ad Corſinum redeamus, qui in explicandis quibusdam Philoſtrati locis plurimum operæ collocat. Res vero hæc eſt. Collocat *Olearius*, interpres Philoſtrati, Apollonii iter Babylonem in tertio Claudii Cæſaris anno, a. V. C. 795. eiusdemque Antiochiam reditum in anno V. C. 800. Regnum vero a Bardane a. V. C. 793. recuperatum eſſe arbitratur. Quid *Vaillantius?* Ille Apollonii iter ad Bardanem in a. V. C. 799. retulit. Corſinus utrumque errare, & ad Tiberii & Artabani, non Claudii aut Bardanis tempora, Apollonii iter referendum

dum

dum eſſe docet (a. V. C. 776.). Primum enim Philoſtratus, cum Apollonius in Indico itinere Aſpendi eſſet, plebem urbis Præſidem igne comburere voluiſſe narrat, illumque fruſtra ad aſylum (τοις βασιλειοις ανδριασι, quæ ſtatuæ Tiberii erant, magisque illo imperante (ἐφ' ȣ), quam Olympii Iovis ſtatuæ valebant), confugiſſe. Igitur hoc Tiberio ſuperſtite accidit. Deinde etiam, cum Apollonius a Bardane ad Indos & Pori regionem veniſſet, incolæ, inde a prælio inter Alexandrum & Porum commiſſo, usque ad ea tempora, 350. annos fluxiſſe dicebant. Cum vero proelium illud a. V. C. 426. factum ſit, Apollonius iter circiter a. V. C. 776. fecit. Quomodo enim alias anni 350. confici poſſent? Denique, ut ex Philoſtrato conſtat, Apollonius iter iuvenis (νεος ανηρ) ſuſcepit. Quod, ſi iter illud ad annum 795. aut 799. referamus, eſſe non poteſt. Inde enim ſequeretur, ut Apollonius, qui a. V. C. 850. ἑκατοντȣτης interiit, ideoque a. V, C. 750. natus fuit, quinquageſimum annum agens hoc iter ſuſcepiſſet. Atque etiam, ſi, quæ Philoſtratus ſcribit, expendimus, rem non ad Bardanem Artabani filium, ſed ad Artabanum ipſum referri debere, intelligimus. Nam, ut alia taceamus, quæ de rege dicuntur, qui regnum amiſerit, & recuperaverit, ea de Bardane dici non poſſunt, ut ex Ioſepho & Tacito apparet. Omnia autem in Artabanum Patrem optime quadrant. (*Tacit.* Ann. L. VI. *Dio* L. LVIII. p. 637.). Sed gravisſimum nobis ſcrupulum iniicit Philoſtratus, qui regem illum non ſemel, ſed quinquies Bardanem appellavit. Atque idem nomen, ex Philoſtrato, Euſebius exhibet. Quid igitur eſt, aut quo modo nos expediemus? Corſinus optime hoc fieri opinatur, ſi regem illum binominem fuiſſe, & tam Bardanem, quam Artabanum vocatum eſſe, dicamus. Hoc & in aliis accidit. Nam & Zeno, rex Armeniæ, in Artaxiæ, primi Armeniæ regis, memoriam, nomen Artaxiæ obtinuit; &, ut alios mittamus, iunioris Ariarathis filium, ex Antiochi Magni filia ſuſceptum, initio Mithridatem, adultum Ariarathem vocatum eſſe, obſervat Diodorus. Cui quidem Corſini conjecturæ ſi fidem habemus, quidni vero habeamus? &

Philo-

Philoſtratus cum Ioſepho, Dione, & Tacito, optime conſentiet, & epigraphen huius numi bene a Corſino reſtitutam eſſe quivis fatebitur.

Hæc de Gotarzis Numo. Sed alium præterea numum nobis exhibet Corſinus, quem iam Froelichius V. Cl. in lucem protulit, ingenue faſſus, ſe, ad quemnam Arſacem hic numus referendus ſit, neſcire. Ipſum Froelichium audiamus. „*Protome regis, barbato vultu adverſo, diademato capite, candy tecta*, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ — — ΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ *Regis Magni (Arſacis —) Eu* — (vel) *Theo* — (vel) *Philopatoris, benefici, illuſtris Graecorum amici. Parthus ſedens, dextra arcum, infra quem monogramma, quaſi M.* Hæc Froelichius, quem, ut Corſinus docet, in hoc numo tam coecum fuiſſe miramur; cum alias in his rebus lynceus eſſe ſoleat. Nam & voculam ΚΑΙ omiſit, & in exeſa numi parte — ΠΑΤΟΡΟΣ legit, cum tamen numus — ΠΑΤΟΥΣΗ habeat. Ex quo Corſinus ΠΑΡΘΑΜΑΣΠΑΤΟΥ legendum eſſe coniicit. Illos vero characteres ΣΗ, qui aliquid difficultatis habere videntur, ita exponit, ut vel ΠΑΡΘΑΜΑΣΠΑΤΟΥΣ ΗΥΕΡΓΕΤΟΥ legendum; vel character Η prave expreſſus, in Σ refingendus ſit. Fortaſſe etiam character ille ab imperito artifice additus fuit, quale quid in numo Phraatis I eſt, in quo ΑΡΣΑΧΟΥΗ legitur. Parthamaſpatem autem in Parthia a. V. C. 867. regnaſſe, in alio libello *Corſinus* docet, quem *de Minniſari regis numo* ſcripſit, & quem propediem laudaturi ſumus. Quod vero ad nos attinet, qui huius libelli lectione mirifice delectati ſumus, atque ex eo, ut ex aliis viri doctisſimi ſcriptis, ingenii, induſtriæ, & acuminis præſtantiam probe perſpeximus: nihil tamen de laudibus illius addemus. Neque enim Corſini in litteras merita ita obſcura ſunt, ut teſtimonium; neque ita dubia, ut laudationem deſiderent. Quin rogamus Vir. celeberr. ut, quos ab eo tempore libellos edidit, ad nos mittat, bono rei litterariæ his Actis noſtris proponendos.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICI VANDELLII, PHIL. AC MEDICI, EPI- ſtola de ſenſibilitate Pericranii, Perioſtii, Medullae, Durae meningis, Corneae, & Tendinum.

Patavii 1756. pl. 6. in 8.

EIUSDEM EPISTOLA SECUNDA ET TERTIA DE Senſitivitate Halleriana.

Ibid. 1758. pl. 5. in 8.

Epiſtolas has diverſo quidem tempore editas, de eodem tamen ſcriptas argumento, iunctim Lectoribus noſtris ſiſtendas eſſe res ipſa iubet. Clariſſ. Auctor, ſenſibilitatem variis humani corporis partibus ab Illuſtri *Hallero* ereptam, vindicat, tum accurate factis experimentis & obſervationibus, tum rationibus in eam rem allatis. Epiſtolam primam ad Cl. *Antonium Vandellium* dedit. In ea, antequam experimentorum eventum tradat, ſeqq. præmittit: 1) Per cunctas corporis humani partes indiſcriminatim reperiri parva ſpatia nervis carentia, ac fere inſenſibilia; 2) hominem æque ac bruta animantia non raro affici dolore, ſine ullo doloris ſigno; 3) inſenſibilitate aliquoties obſervata non probari, rem ita naturaliter eſſe. Primum verum eſſe, oſtenditur experimentis eorum, qui cutem, valde ſenſibilem, ſine ullo dolore, acu vel aculeo ſibi traiiciunt. Alterum accidit feminæ triginta annorum, cui tendo muſculi tibialis antici, ulcere detectus, ſine externa eius perturbatione a Chirurgo vellicatus eſt, quæ tamen, de ſenſu tendinis interrogata, gravem dolorem faſſa eſt. Tertium denique ducitur ex eo, quod fieri poſſit, ut animal, cui, ſine doloris ſigno, vis nova aliqua infertur, aut aliis prioribus doloribus, aut mortis timore, vivendique cupiditate concitatum, illatam vim non ſentiat. Poſt hæc Cl. Auctor enarrat eventum experimentorum, quæ in conſeſſu doctiſſimorum virorum publice capta ſunt. In canibus ſeptem cutis variis locis inciſa abſciſſaque eſt, ſine ullo doloris ſenſusque ſigno. Idem in cane vidit præſtantiſſimus *Plancus*, In aliis duobus canibus nullum apparuit ſenſus ſignum, ne

tum quidem, cum cutis, tendines, muſculi & nervi, lapide infernali aduſti, cultroque ſauciati ſunt. Ex his igitur illud tertium ſatis liquet. Pericranii ſenſibilitatem, & teſtimoniis doctiſſimorum hominum, & experimentis de homine, de ave, quæ dicitur bubo, de fele & cane captis, liquido docet; eandemque aliis experimentis perioſtio vindicat: neque ipſam oſſium medullam ea carere, ex Cel. *du Verney* tentaminibus aſſerit. Duram meningem in homine, fele, & vervece, ſemper cum apertis doloris ſignis ſauciatam eſſe fatetur: ubi tamen nos dubii ſumus, num omnia ſatis caute peracta ſint; fieri enim vix poteſt, ut dura meninx, ſine vi cerebro ipſi inferenda, inſtrumentis chirurgicis lædatur. Oculi tunicam corneam, clariſſ. Auctor & in ſemet ipſo, & doctiſſ. *Bertoſſius* in ſe ipſo, in cane, vervece, gallina, hominibusque oculo laborantibus, haud dubie expertus eſt ſenſibilem, dum aut plumula eam leviſſime irritaret, aut ſcalpello incideret. De tendinibus denique numeroſiora experimenta fecit, quæ, poſteaquam de nervorum in Achillis tendinem ingreſſu nonnulla diſſeruit, memoriæ tradit A. Et in maribus quidem, tendinis Achillei vagina tecti vulnera, ſemper ſequuta eſt convulſio. Deinde in quatuor hominibus ægrotantibus, quibus tendo Achillis, aut etiam muſculi peronæi antici, ulcere denudatus fuit, dolor concitatus eſt, quoties is vel candente ferro, vel lapide infernali, vel oleo vitrioli adureretur. Tendo, tum Achilleus, tum muſculi bicipitis cruris anterioris, læſus, canibus æque ac verveci, fere ſemper doloris ſigna expreſſit. Quo loco Cl. Auctor ſimul excitat *Galeni* dicta, e quibus conſtat, nervos, tendines, & ligamenta, probe inter ſeſe diſtincta a Galeno fuiſſe. Inſenſibilitatem vero ligamentorum, cum plerisque ſcriptoribus practicis, ita certam evictamque eſſe credit, ut experimenta de iis capere prorſus ſupervacaneum exiſtimaret. Sub finem huius epiſtolæ nonnulla, quæ Illuſtris *Hallerus* in diſſertatione de ſanguinis arterioſi motu aſſeruit, falſa eſſe declarantur.

Epiſtola ſecunda ad eundem ideo ſcripta eſt, ut, quæ in priore illa tradita erant, magis firmarentur. Clariſſ. Auctor initio monet, cerebrum in hominibus maioris quam in brutis

eſſe

eſſe molis, idque adeo nervos maiori copia ad eas, quæ ſenſu carere dicuntur, partes dimittere; deinde, hominis animum, ad aliud vehementer intentum, vulnera partium quamvis ſenſibilium vix ſentire; porro, telam celluloſam maiori copia & craſſitie in brutis animantibus quam in homine reperiri, ac proinde illis ſenſum obtuſiorem eſſe; deinceps partes debito tono privatos ſenſum omittere demonſtrat; poſtremo *Halleri* diſcipulis ſtudium pàrtium exprobrat, eosque vera & iuſta experimenta ab aliis eruditis facta negare, & propria ſolum admittere atque extollere, ſcribit. Poſthæc tradit novas obſervationes, quæ exquiſitum pericranii & perioſtii ſenſum, in hominibus ſauciatis, docuerunt; quas inter maxime memorabilis eſt ea, qua de magna perioſtii interni ſenſibilitate liquido conſtitit, cum ægrotus, cui vitioſum tibiæ os locis ſex terebra perforatum, toties de gravi dolore conqueſtus eſt, quoties modiolus ad medullam usque deſcenderat. De meningum ſenſibilitate obſervationes, ab Experientiſſimo *Gaëtano Manfreo*, Chirurgiæ doctore, cum Cl. Auctore communicatæ, leguntur: cerebrum vero ſenſu carere ex eo colligitur, quoniam illud ſine dolorum ſignis in pus mutatur. Id quod deinde etiam experimentis, de fele & vervece captis, probatur. Iis namque animalibus cerebrum ipſum ſauciatum eſt ſine doloris ſigno, qualia tamen ſtatim atque medulla oblongata læderetur, obſervata ſunt. Hæc omnia aliorum etiam doctorum hominum teſtimoniis firmantur. Tunicam oculi corneam ſenſu gaudere, in uno equo, canibusque tribus, haud dubie vidit. De ſenſibilitate tendinum, nova numeroſaque fecit experimenta, quæ Clariſſ. Auctorem de ea dubitare haud ſinunt. Mox nervorum in Achilleum tendinem ingreſſum, priori epiſtola deſcriptum, denuo aſſerit, & nova obſervatione in equo facta confirmat. Quibus omnibus addit experimenta in cane uno, & equis duobus viſa, quæ motum inteſtinorum periſtalticum, quem *R. P. Berterius* in Comment. Acad. Reg. Scient. Pariſ. a. 1751. negare auſus eſt, ſatis manifeſte oſtenderunt. Epiſtolam hanc tandem claudunt experimenta quædam, de partium irritabilitate, & cordis motu.

Digitized by Google

Epiſtola tertia, brevior, ad Celeberr. *Io. Michaelem Lambertum* data, continet nonnulla, quibus ea, quæ in prioribus illis dicta ſunt, magis confirmantur. Gratulamur Auctori, Viro doctiſſimo, & ad artem, quam didicit, cum laude faciendam, inſtructiſſimo, eximia hæc præclaræ doctrinæ documenta, & rogatum cupimus, bono litterarum, ut pergat ornare rem litterariam libris talibus, quos non a quovis Medico exſpectes, & qui ad artis certitudinem ſuo tempore multum proderunt.

ABURY, A TEMPLE OF THE BRITISH DRUIDES &c.

i. e.

ABURY, TEMPLUM VETERUM DRUIDARUM Britannorum cum aliis aliquot eorundem templis. Qua in tractatione ſpecialior quaedam notitia primae & Patriarcharum propriae religionis, & modi, quo Britanniae inſulae coeperunt habitari & excoli, perhibetur. Auctore WILLIAM STUKELEY, Med. D. Rectore Colleg. Omn. Sanctor. Stamfordienſ.

VOL. II.

Lond. 1743. 1. Alph. 7. pl. in fol. cum 40. tab. æneis.

Libri huius eruditus & ingenioſus auctor opera nobis in eo exhibet, quæ in Anglia partim adhuc ſuperſunt, partim ante paucos annos ſuperfuerunt, prodigioſa, Druidarum, ut perſuadere nobis vult, monumenta, quibus ſimilia ſol alibi nusquam viderit. Dignum nobis fuit argumentum, quod ipſius Angli verbis luculentius exponeremus. Tempus docebit, an multi futuri ſint, qui credant tantam fuiſſe ſapientiam Druidis, ut tantas moles, tam mathematice, tam hieroglyphice, conſtruerent. Certe erunt, qui videbunt, Anglum noſtrum, in operibus aut a natura productis, aut a temeraria & ſtolida quadam veterum hominum audacia congeſtis, abſtruſiſſima myſteria, ad quæ humana mens pertingere nequit, inveniſſe. Sed ea de re iudicare noſtrum non eſt. Credimus tamen, magnam huius operis, & ſplendidi, & non ſine operoſa

roſa eruditione congeſti, partem, docta eſſe inſomnia, & Romanenſes, quos appellant, commentarios veterum Druidarum. Sed ipſum audiamus & luſtremus Auctorem.

E regione tituli conſpicitur tabula, quæ præſentem faciem oppidi vel villæ Aubury, ubi quondam fuit templum Druidarum, exhibet. In præfatione ſuum propoſitum his verbis exponit: „Studebo hoc in libro declarare & pandere tempora „primæ poſt diluvium quaſi plantationis mundi: quomodo ſi„mul cum genere humano creverit & propagata fuerit vera re„ligio: quomodo declinatum fuerit illud in idolorum cultum: „homines, qui varias formas templorum patriarchalium con„diderunt tales, quales videmus in regionibus orienti ſoli ma„gis propinquis: viros, qui Britannicas inſulas potiſſimum im„pleverunt hominibus & cultura: & tandem connexionem, „qua gentes orientales cum occidentalibus, quoad religio„nem, cohærent: unde apparebit, primo tempore tantum „unam & puram fuiſſe religionem.“ Inde Britticum templum Druidarum, de iſta vera prima patriarchali religione teſtari, ait, eo, quod ſimulacra non habeat; quibus etiam antiquiſſima quævis Græcorum & Romanorum templa caruerint. — Interiectis paucis, pergit: „Quapropter credidi omnino dignisſi„mum, operam & ſtudium impendere his eorum [Druidarum] „templis, ut monumentis patriarchalis religionis quæ ſola no„bis ſuperſunt, præſertim ſi ratio habeatur extraordinariæ eo„rum magnitudinis & magnificentiæ, qua poſſunt iure meri„toque cum antiquo quovis ſic dicto mundi miraculo compa„rari. Satis evidenter demonſtravi, condita fuiſſe per totum „terrarum orbem talia templa primis temporibus: quum „vero, ut probabile eſt, nullum adhuc eorum exſtet, quod com„parari queat cum illis, quæ noſtra inſula monſtrat, iudica„vimus officii noſtri eſſe, ut ea ab oblivione & interitu vindi„cemus, antequam nimis ſero veniamus. Adhuc unum vo„lumen edere mihi ſedet, ad complendum & perficiendum hoc „argumentum; quatenus nempe materiam & ſylvam eo per„tinentem ad manus habeo. Quidquid ego feci, ego equi„dem reputo aliquid imperfectum & rude eſſe, videorque

„mihi tantummodo ſcenam nobilisſimi huius argumenti ape-„ruiſſe. — Generalem efficere concluſionem ex hoc noſtro „opere licet, veram religionem, ex quo recultus fuit poſt di-„luvium terrarum orbis, in noſtra potisſimum inſula floruiſſe. „[Novimus, qui luculentioribus argumentis probare posſit, „religionem Abrahamicam in Arabia apud Arabes Iſmaelitas „perſtitiſſe.] Hic [in Britannia, pergit] inſtituimus longe „optimam reformationem univerſalis Chriſtianiſmi pollutio-„nis, papatus nempe. Hic antiquus Dei populus, Iudæi, ſunt „oportunisſime, ſi usquam terrarum, conſtituti, ut posſint „converſionem adipiſci cui deſtinati ſunt: — hic (in Britannia) „posſit aperiri gloria regni Chriſti in terris." Facile eſt ex his de ingenio hominis ſenis iudicare. Præfationem ſuam paullo poſt concludit veteri carmine Anglicano, de quo en eius verba: „Claudam præfationem meam ſpecimine veteris „poeſeos, verſibus aliquot nervoſis venæ non contemnendæ, „quod centum abhinc annis de noſtro hoc argumento „Samuel Dangel, famulus Reginæ Annæ, uxoris Iacobi I. ſcri-„pſit. Ingenioſus Lector delicatam per illud totum elegan-„tiam ſententiarum obſervabit, luctamque temporis cum mag-„nitudine horum operum, æqualem luctæ literarum cum „tempore, quæ memoriam eorum ἀναλαμβάνειν & conſer-„vare ſtudent; quod ſolum auctores iſtorum operum, utut „abunde docti & literarum periti, facere ſtudent." Carmen conſtat vſ. 84.

Cap. I. p. 1. inſcriptio promittit originem demonſtrare templorum Druidarum ſeu patriarchalium, cultusque publici, & celebrati Sabbathi. Fuiſſe illa rudibus ſtructa ſaxis, e fundo ſurſum erectis, in circulum formata, & in ſummo patula. In regionibus calidis lucos circum fuiſſe plantatos. Id feciſſe Abrahamum, & ad exemplum eius, Druidas. Patriarchas habuiſſe cognitionem divinæ naturæ diſtinctis in perſonis adorandæ, quod vel ex mera ratione deduci queat. Druidas id ipſum agnoviſſe, quemadmodum ex eorum operibus pateat. Primum publicum exercitium religionis fuiſſe invocationem nominis Iehovah, id eſt mediatoris. Cap. II. p. 7. ſpecialius

cialius agit de origine templorum, & huius vocis etymologia, [derivat autem a τέμενος,] quum vera templorum & propria forma fuerit rotunda, & ſuperne patula: Moſen in contrarium quadratam & coopertam adinveniſſe, ut iſta vetera, per idololatriam profanata, quaſi exploderet. Alia vero ex ratione fuiſſe coriis tecta, quia debebant Meſſiam adumbrare. Patriarchalia Druidarum templa rotunde condita & patula, fuiſſe ſymbola divinitatis, & quidem diſtinctarum eius perſonarum; ideoque, irrepente idolorum cultu, plurima templa Soli, quoniam rotundus is eſt, fuiſſe dedicata. Antiquisſima ſymbola divinitatis fuiſſe circulum, ſerpentem, & alas, quæ pasſim in Aegyptiacis & aliis monumentis conſpiciantur. Ideoque patriarchalia templa, repræſentandæ divinitati deſtinata, fuiſſe formæ triplicis: aut circulum ſolum oſtendiſſe, aut circulum cum ſerpente, aut tandem circulum cum alis. Cuiusvis formæ ſpecimen in Britannia exſtare, & in hoc libro deſcribi. Templum *Rouldrich*, in Oxfordenſi agro, primæ formæ eſſe, quod breviter deſcribitur. Druidarum id opus eſſe evincitur ſtrictim: 1. quia in alto iacet, & deſuper patet, ad fontes aliquot fluminum: 2. quia eſt circulus lapidum e fundo ſurſum erectorum: 3. quia tam inſignia iam paſſum fuerit damna, temporis ab iniuriis, unde non posſit non antiquisſimum eſſe: 4. quia nominis eius etymologia, (quam videre eſt apud auctorem,) notet *rotundum templum*, aut potius ſecundum ipſum *circulum Druidarum*, prorſus ut *Gilgal* Ioſuæ: 5. quoniam eadem menſura conditum ſit atque cætera Druidarum templa: 6. ex adiacentibus tumulis & curiis Druidarum: 7. ex antiquis traditionibus huc ſpectantibus: 8. ſepulchra omni tempore fuiſſe plerumque occaſioni fundandis templis, ob ſpem futuræ corporum reſurrectionis; dediſſe quoque anſam apotheoſi heroum, & introducendæ idololatriæ. Cap. III. p. 14. deſcribit Abury, maxime ſtupendum quod exſtet in mundo, templum ſerpentinum, vel ſecundæ formæ. Incolas iſtius tractus in eo iam fuiſſe, ut illud diruerent, ideoque neceſſariam fuiſſe huius operis ab oblivione vindicationem; deſcribit igitur indolem iſtius tractus. Ex appellatione lapidum orientali

com-

concludit, Druidarum opus eſſe. Apponemus ipſa eius verba. „Has ingentes lapidum moles appellant incolæ *Sarſens*, & „proverbio vulgari ibi dicitur, *aeque durum atque* Sarſen: vox „mere Phoenicia, quæ a primis inde temporibus remanſit, „ſignificans ſaxum, vel cautem. Ipſum Tyri nomen inde de„ductum eſt. — Tota circumcirca regio eſt ſolidum corpus „calcarium, tenui & ſubtili terra bituminoſa inſtratum. Cal„caria hæc materies indurata evomuit ſolidisſima corpora la„pidea, & multo ſpecifice ſe ipſa graviora, & adiuta a vi centri„fuga, quæ debetur rotationi globi circa ſuam axin, eiecit ea „in ſuam ſuperficiem ubi nunc iacent.“ Ibidem obſervat, inſignem illam molium ſaxearum ſeriem, quæ *Hakpen* appellantur, eo nomine, quod orientale ſit, a Druidarum inde temporibus citari. Imo p. 17. de lapidum natura ſic loquitur. „Huius lapidis internam texturam quod attinet, fractus „apparet albicans, ut marmor. — Conſiſtit, ut omnes alii „lapides diverſis ſpeciebus, quas ſucci lapideſcentes ſat longo „tempore conglutinarunt. — In uno quodam fracto — in„veni multa oſſa planisſime animalia, quæ partem compoſi„tionis & craſeos lapidis efficiebant; quod valde admiratus „ego, concluſi antediluvianum eſſe.“ Quum itaque multo plura paſſum ſit ab iniuriis temporum hoc monumentum Aburitanum, quam illud alterum *Stonehenge* dictum, concludit, iſtud hoc poſteriore multo antiquius eſſe. Cap. IV. p. 18. exhibet chorographiam tractus Aburitani, & nominis eius originem, quod templum circuli & ſerpentis figuram exhibeat, & de menſuris huius operis, quæ exacte cum antiquis orientalibus cubitis, quibus uſi fuere Druidæ, conveniant. En ſpecimina huius capitis. „Frequentans ego hunc locum, ait, ut „aliquot abhinc annis continuis feci, duas ibi ſeptimanas ſem„per exigens, inveni mentem totius operis per gradus: alio „anno, novus aliquis aditus ad hoc opus erat meæ mentis oc„cupatio: tertio anno alius, ita ut tandem myſterium eius „poſt longum tempus detegerem. Eſt enim myſterium, ſi „verum volumus fateri, in eo conſiſtens, quod tota figura „exhibeat ſerpentem per circulum transmiſſum.“ Adeoque

noſtrum

noſtrum antiquum opus ſua ſponte dividitur in tres partes, ad quarum normam noſtrum opus dirigemus. Circulus eſt apud *Abury*; anterior pars ſerpentis eſt verſus *Kennet*; & poſterior verſus *Bekamton*. — Poſſunt hæ viæ ut aditus conſiderari ad grande illud templum Aburitanum, quod κατ' ἐξοχὴν debet templum vocari. — Villa hæc ſcribitur *Aubury*, *Aveburỳ*, *Avesbury*, *Albury*, *Aldbury*, quorum quod rectum ſit, dictu eſt difficile. — Neque operæ pretium eſt inſiſtere diu etymologiæ, niſi forte *Albury* alludat ad illud *al*, *håll*, *healle*, quod notat templum, aut grande ædificium. Omnia quæ p. 21. leguntur, ſunt memorabilia. Nos magnam eorum partem huc adſcribemus. „Semper fui, ait, initio nonnihil perple-„xus in metiendis, & ad proportionem redigendis, operibus „Druidarum, quæ mihi magica videbantur, donec tandem „eorum rationem intellexi. — Nèmo opinetur, illos mole-„ſtiſſimum exantlaſſe laborem, tot montes ſaxeos in unum lo-„cum cogendo, & regularem in formam collocando, absque „ut quærerent, quomodo effectus inde optimus obtineatur. „Quum neceſſario lapides requirebantur rudes & nativi, run-„cina non tacti; neque tamen fieri poſſet, ut exactis illi ſpatiis „æqualibus diſtarent: conſiderabant, pulchritudinem adſpe-„ctus eorum conſiſtere in eorum conformitate, quanta poſſit „obtineri maxima, & in proportione inter ſolidum corpus & „vacuum intervallum. Hanc rationem maturo iudicio illi „eligebant eſſe talem, qualis eſt 2 ad 3; duas nempe partes „latitudinis lapidum, tres vacui intervalli. — Inveni, lapides, „qui 15, 16, 17 pedes eminent ſupra planum terræ ſolum, „totidemque ſunt lati, quemadmodum plerumque ſunt, 43 „circiter pedes anglicanos diſtante centro unius lapidis a cen-„tro alterius, ibi quadratum ſolidi ſive lapidis eſſe decem cu-„bitos, vacuum intervallum 15, totam centralem diſtantiam „25. ita ut proportio ſolidi ad vacuum ſit ut 2 ad 3. — „Porro deprehendi, illos providiſſe, ut probabilis gradatio „magnos inter & parvos lapides adhiberetur, ita ut magno la-„pidi exiguum non apponerent, ſed paullo minorem, & huic „rurſus paulo minorem, itaque porro per gradus deſcenden-

Digitized by Google

„tes & adſcendentes. — Porro obſervavi, quod, quum la-„pides hi habeant in genere rudem & aſperam faciem, & aliam „molliorem, & magis politam, illos curaſſe, ut facies politior „intro verteretur, verſus interceptam aream. Vaſtus enim „iſte circulus lapidum conſiderandus eſt tanquam porticus, „ipſum proprie templum includens." Pag. 22. continuat. „De „nobili hoc lapidum circulo, qui centum olim fuerunt, ſu-„pererant anno 1722. quum ego meum hoc opus adornare „inſtituebam, admodum 40. conſpicui, quorum 13. erecti „adhuc ſtabant, 27. aut deiecti machinis, aut ſponte decli-„nantes. Reliquorum decem omnes contigui, ab uno Tho-„ma Robinſon *a*) fuerunt ſimul everſi, & ſolum complanatum „paſturæ deſtinatum." In aditu villæ ſeptentrionali cadebat aliquando ſponte ſua lapis unus, molis abnormis, & inter ca-dendum medius crepabat. *Nec ipſo monte minor procumbit.* Virg. Implebat, quum metiremur, 22 pedes. Erga deſtru-ctores horum monumentorum quomodo animatus ſit Auctor, intelligas ex his eius verbis. „Quidam lapides in æternum „ſunt in paſcuis ſepulti, quidam in hortis; quibus ego votum „hoc Virgilianum dicam:

„*Pro molli viola, pro purpureo narciſſo,*
„*Carduus, & ſpinis ſurgat paliurus acutis.*

Caput V. p. 23. ſic orditur. Grandis ille circulus lapidum modo deſcriptus, una cum vallo & foſſa totum opus circum-cingente, conſiderari poteſt tanquam præcinctus templi, non templum ipſum, ſed tanquam eius area. Sunt enim in am-plo iſto vaſtoque ambitu duo templa ſimilis formæ & dimen-ſionis, quorum unusquisque conſiſtit circulis duobus concen-tricis. Linea, quæ connectit eorum centra, procurrit ex NW ad SO, ſive ex borea occidentali, ad auſtrum orientalem; ea-demque linea ſecat centrum totius areæ. Exterior cuiusque horum templorum circulus unusquisque conſiſtit 30 lapidi-bus, eiusdem dimenſionis cum lapidibus in porticu diſpoſitis, & ad ſimilia intervalla. Interior vero circulus conſiſtit 12 la-pidibus,

a) Hunc alibi Heroſtratum templi Druidarum appellat.

pidibus, eiusdem formæ & diſtantiarum. „Geometria itaque „horum circulorum in charta deſignata monſtrare poſſit, in- „terioris diametrum eſſe 100 cubitorum, exteriorem 240. „Centra horum circulorum diſtant 300 cubitis. Circuli ipſi „externi, ubi proximi ſibi ſunt, diſtant cubitis 50. Qua ra- „tione minime ſibi officiunt, ſpatiumque extra ſe liberrimum „relinquunt intra grandem illam circularem, quam ſic appel- „lamus, porticum. Nulla intercedit, quam ego quidem de- „tegere potuerim, diſcrepantia, inter hæc duo templa, quam „quod auſtralius templum habeat obeliſcum centralem, ſeu in „centro erectum, ad quem tanquam ad Kiblam inter ſacros „ritus convertebant religioſi ſuam faciem: borealius vero in „medio ſui habet immenſum illud opus, quod Britones a *Cove* „appellant, & quod conſtat tribus lapidibus, ad angulum ob- „tuſum collocatis —, & adytum huius templi repræſentanti- „bus. Sæpe ſæpius miratus fui ſtupuique abnormem & inſo- „litam huius operis magnitudinem & maieſtatem. — Erat „procul dubio Kibla huius templo, & vergit ſatis exacte ver- „ſus boream orientalem. — *Varro* ſcribit, aras olim fuiſſe „*anſas* appellatas. — Forte deſignabant eo figuram hæmiſphe- „ricam, ſimilem illi operi, quod *niche* (quaſi nidus) appella- „tur, repræſentandi aliquo modo coeli gratia. *Sext. Pompe-* „*ius* ſcribit, coelum a veteribus fuiſſe *Cove* dictum. Ara co- „ram ſuperba hac *niche* (vel nido) iacebat in fundo, fuitque „procul dubio iam dudum amota, ut quæ terræ firmiter infixa „non erat, quemadmodum anſarum una quoque, borealis „nempe, periit, nam anno 1713. cecidit. Narrarunt mihi, eam „integras ſeptem perticas [ſive viginti & unum pedes] fuiſſe „longam, prorſus ut oppoſita eius [adhuc exiſtens] par, lon- „gam & anguſtam. Metiebamur hanc [oppoſitam] ad ſe- „ptendecim pedum a ſuperficie ſoli altitudinem, & invenimus „7 pedes latam, & unum cum dimidio craſſam. Hæ erant „*anſae* ſeu alæ nobilis huius ellipſeos. Ala, quæ a tergo eſt, „multo eſt latior, eſt enim 15 pedes lata, totidem a ſolo alta, „& quatuor craſſa. — Nihil poſſumus imaginari audacius, „& maiore ſpiritu conceptum, quam eorum, qui hæc opera

Digitized by Google

„congeſſerunt, cupiditatem, tantas moles comportandi. Vul-„gus hos lapides appellat *Diaboli tripodes*, ob molem eorum „extravagantem, nigrumque & caminis ſimilem adſpectum. „Hæ *covae* monſtrant, quod *Maundrel* de *Turcis* affirmat, „Druidarum ab idololatria averſionem, exprimentium τὸ ἐ-„ναργὲς divinæ ibi præſentiæ, ſimulque eius τὸ ἀόρατον; „quod dubium non eſt quin ab antiquiore & orientali fluxerit „inſtituto. — Centralis templi obeliſcus eſt formæ in imo „circularis, vaſtæ molis, 21 pedes altus, diametri 8 pedum „& 9 pollicum, ideoque, quum erectus ſtabat, cæteris eminen-„tior. Hoc eſt quod Scriptura appellat columnam, aut ſtan-„tem imaginem, Levit. XXVI. 1. Hæc opera in Palæſtina „erecta ab iisdem populis, qui noſtra erexerunt, nempe Phoe-„nicibus, imperatum fuit Iſraelitis demoliri, quoniam tunc ad „idololatriæ uſum converſa erant. Omnes lapides, totum no-„ſtrum templum fuerunt appellati *ambres*, ab ipſis noſtris „fundatoribus *Phoenicibus*; ſed in ſpecie hic lapis [nempe obe-„liſcus centralis.] Eodem nomine ſuos obeliſcos deſignabant „Aegyptii, quod Kircherus recte non intellexit, quum pro „*ſacris libris* accepit. Sed Aegyptii deſignabant ea voce *pe-„tras ambroſias, main ambres* [ſeu grandes & capitales Ambras] „celtice, inunctos, conſecratos lapides. *Manah*, nomen in-„gentis lapidis hoc ex genere, quem Arabes colunt *a*). Pariter „iſti lapides appellabantur *Gabal*, & hodie uſitata vox *Kibla* „ſeu *Kebla* inde venit; ſed obtinuit ſenſum latiorem. *Ela-„gabalus* inde derivatus, poſtquam has Keblas in ipſos deos „transformarunt. Significat ea vox [Elagabalus] *bonum obe-„liſcum*, & inde noſtrum Anglicanum *gable end* in ædificio, „[id eſt τὰ γεῖσα, ſuggrundia tectorum], *javelin* ſive pilum „Romanum, & *javeloc*, acuta trabs ferrea." [En ſpecimen ſomniorum Angli noſtri Etymologiſtæ, quibus ſimilia paſſim per totum librum offendas.] „Hæc duo templa, pergit, omne „fuit quod ἀρχῆθεν ſtabat in magna illa area, quæ circulari „periſtylio comprehenditur. Valde probabile eſt, fuiſſe hoc „ma-

a) Quæ ex Arabia adfert Auctor, meræ ſunt nugæ.

Digitized by Google

„magnificentiſſimum templum patriarchale, quod ſol vidit. „Ea in area nunc exſtat villa triginta circiter domuum, adeo„que complecti poterat immenſam hominum vim in panegy„ribus feſtivis, vallumque circum circa ſpectatoribus cooper„tum formabat nobiliſſimum amphitheatrum, & ictum oculi „exhibebat maxime auguſtum inter adminiſtrationem ſacrifi„ciorum." *Ter denas curia vaccas Accipit* &c. Ovid. Faſtor. IV. Hactenus Auctor noſter, templum ſuum, ut putat, Druidicum deſcribens: quem quamvis nolebamus primum tam fuſe perſequi, fuimus tamen ab argumenti nobilitate in aliam ſententiam invitati. Cap. VI. p. 26. loquitur de antiquis monumentis in iſto tractu repertis: de via Badonica a Romanis inſtituta. p. 27. de celebri illo Wansdyke aggere τῶ μεθοϱίω, Belgici regni in Britania, qui ſub rege Belgico Divitiaco fuit conſtructus; de quo rege etiam diſſerit: de *Verlucio* quoque, & *Calne*, Romanis ibi urbibus, & aliis ibi repertis reliquiis. Cap. VII. p. 27. de lapidibus agit, qui aditum ad hoc templum formant, & quaſi volumen ſerpentis: p. 31. ſeqq. de iſto celebri *Overton-hill*, proprie dicto *Hakpen*, quod 7000 pedibus abeſt a vallo Aburitano; cuius operis ante paucos annos adhuc integri deſtructionem, ab iniquis manibus tentatam, amaris querelis proſequitur. De ipſius vocis etymologia ſic loquitur, quaſi velit eam ex Arabico deducere: p. 32. hæc ſunt eius verba: „Noſtro nomini *Hakpen* alludet אחים *ochim*, quæ „appellantur *doleful creatures*; *animalia doloſa*, in noſtra [An„glicana] interpretatione Ieſai. XIII. 22." *Ther houſes shall be full of* ochim, *and owls shall dwell there, and ſatyrs shall dance there*. Arabes appellant ſerpentem *Häie*, [bene & recte] „& ſerpentes ſylveſtres *Hageshin*. [Vellemus addidiſſet cha„racteres arabicos, & unde hoc hauſerit? Forte ex Bocharto, quem non videtur recte cepiſſe. Nobis certe, qui hæc ſcribimus, ea vox prorſus ignota.] „Et inde noſtrum *Hakpen*. „*Pen* eſt *caput* in lingua Britannica: עכן *acan* Chaldaicum ſig„nificat ſerpentem, & *hak* nihil aliud eſt quam *ſnake*, ſpiritu in„ter pronuntiandum in ſibilum degenerante, per naturalem „lapſum, ut ſylva factum ex ὕλη." Hæc pugnant cum præ-

cedentibus. Si enim *Hak* idem eſt atque *Snake*, & hoc venit ex Chaldaico *acan*, quando nempe per adſpirationem ſibilantem *ſacan*, & tandem per tranſpoſitionem *ſnaka* facimus, non poteſt ex arabico *Hajja* deduci. Et vide modo tortuoſum Etymologiſtarum ingenium, qui ex ſola vocum & literarum ſimilitudine, absque peritia linguarum, quas inter ſe comparant, absque ſcientia grammaticarum & genuinarum artis etymologicæ regularum, audent linguas europæas cum orientalibus comparare: ſed revera operam ludunt, & nihil agunt quam Lexica volutare, & anxie ſuo propoſito inſervientia vocabula, vitrea fracta, conquirere, & inde teſſellata opera, hiantibus & plaudentibus ſpectatoribus proponere. Sed hoc in tranſitu. „Templum, pergit, quod ibi ſtabat, & in portentoſa iſta pictura exhibere debebat caput ſerpentis, conſtabat duabus figuris concentricis ovalibus, circulo non valde diſſimilibus, quarum longiſſima diameter orientem & occidentem reſpiciebant. — Externus circulus conſtabat 40 lapidibus, internus 18." Caput hoc ſeptimum ſequentibus verbis claudit: „*Pauſanias* „in *Boeoticis* ſcribit, in via, quæ Thebis Gliſas ducit, eſſe ſpa„tium interceptum ſelectis lapidibus, quod ſpatium Thebani „*anguis caput* appellent, allegantes ridiculam hiſtoriam de an„gue, qui caput ſuum ex antro exſeruerit, quod Tireſias gla„dio ſuo amputaverit. Proxime inde abeſt, addit, collis, qui „*ſupremus* appellatur, & templum *Iovis ſupremi*. Iamne du„bitare poſſumus, quin templum hoc fuerit antiquum ei ſimile „quod hactenus deſcripſimus? quod condiderit Cadmus, aut „gentilium eius aliquis; de quo Cadmo plura cap. XIV. affe„remus. Concludo hanc relationem verſu poetæ, de opere, „ut ego arbitror, eiuſdem plane naturæ, ut in proceſſu noſtri „operis declarabimus:

„*Quod caput ante fuit ſummo eſt in monte cacumen.*
„*Oſſa lapis fiunt.*

Catum nobis promittit μυθομυϛαγωγὸν. Capite VIII. p. 34. deſcribit alterum templum, quod Bekamtonenſe appellat, quemadmodum præcedente cap. Kennetenſe deſcripſerat. Pag. 35. deſcribit *the Lang ſtone cove*, his verbis: „*Lang ſtone* „*cove*,

„*cove*, quod vulgus appellat *Long ſtones*, i. e. longos lapides, „eſt proprie *cove*, ut veteres Britanni appellabant, tribus con„ſtans lapidibus, ſimile magnificentiſſimo illi, quod exſtans in „centro templi borealis Aburitani ſupra deſcripſimus. Impo„ſiti ſunt hi lapides ſegmento arcus circuli, ſic ut ſeſe invicem „reſpiciant adverſi, ad angulos obtuſos. — Coniicio fuiſſe „id *ſacellum* aut *proſeucham* vicinorum diebus ordinariis devo„tioni deſtinatis, nempe diebus Sabbathi. Si enim Druidæ huc „venerunt Abrahami tempore, eiusque fuerunt diſcipuli, ut „mihi videtur probabile, non poſſumus dubitare, quin Sabba„tum obſervaverint. — *Long ſtone* cove, quoniam in apertis „ſtat campis, magis inclaruit apud incolas huius tractus, quam „maiora illa & numeroſiora ſaxa Aburitana. — *Aubri* ad „*Cambdenum* allegat ea ſaxa (*Long ſtone*) ſub nomine of the „*Devil's coits*, (*des palets du Diable*.) — Affirmarunt mihi, „qui ſaxum tale unum fractum ab ignis violentia viderunt, „vidiſſe in eius maſſa veros pyrites & oſſa. Ego ipſe credo „me fruſtum huius ſaxi vidiſſe cum inhærente oſſe. Unde „probabiliter concludo, hæc ſaxa fuiſſe a natura formata a di„luvio inde Noachico, illaque oſſa eſſe animalis alicuius ante„diluviani, quod caſu delatum fuit in materiam iſtam petrifi„cantem.“ Ex pag. 37. adſcribemus hæc verba. „Confido „iam, lectorem concepiſſe iuſtam ideam admirabilis huius ope„ris, quod quanta potuimus brevitate deſcripſimus; ſimulque „fato eius indolebit, quod intra ſpatium viginti annorum de„ſtruxit monumentum hoc, nobilisſimum eorum omnium, „quæ per globi terrarum ſuperficiem exſiſtunt, quod perſtitit „tot ætates, & comparatum eo fuit, ut plures adhuc perſta„ret. — Quantum ad ritus religioſos ibi peractos attinet, „parum mihi liquet quod dicam, niſi hoc, me nihil in iis de„prehendere, quod Patriarchis item in uſu non fuerit, ante„quam nempe templa in orbem introducerentur deſuper coo„perta: cuius rei aera, ut certisſime perſuaſus ſum, a taberna„culo Moſaico eſt repetenda. Poſſumus probabiliter aſſeve„rare, hoc noſtrum iſto Moſaico anterius eſſe. — Druidæ „pellecti fuerunt ad opus hoc ſuſcipiendum, quoniam vide„bant

„bant totum illum tractum ex altero latere τȣ̃ *Hakpen* lapidi-
„bus, qui appellantur vulgo *the gray weathers*, conſitum, adeo-
„que nihil difficultatis ipſis occurrebat in concipiendo mente tali
„conatu, & ipſo opere nullam ipſi ſibi movebant difficultatem.
„Conducebant nempe & comportabant iſtorum lapidum ſele-
„ctiſſimos, numero 650. ex quo templum ſuum conſtrue-
„bant. p. 38. aſſerit, hoc Druidicum templum amplius fuiſſe
„illo Salamoneo, & maiorem hominum multitudinem cepiſſe.
„Videtur mihi probabile, ait, iſtos (veteres Britannos) conven-
„tuum religioſorum potiſſimum terminos habuiſſe quatuor
„anni tempeſtates, æquinoctia, & ſolſtitia. Non ſine iuſta
„cauſſa mirabimur, quomodo hi populi potuerint comportare
„tot lapides, eosque tam exacte diſponere. Mechanica eorum
„inſtrumenta, & tractandi ratio, procul dubio eo tempore ſim-
„plicisſima fuit, ideoque eo maiorem admirationem habet.
„Credo, illos ſua ſaxa grandibus & robuſtis vehiculis, quæ
„homines trahebant & agebant, deduxiſſe. Certe Cæſaris
„adhuc tempore abundabat Britannia hominum copiis. Viden-
„tur longis arboribus, tanquam vectibus, quas procul dubio
„artificioſe quoque applicabant, ſaxa elevaſſe. Methodus,
„enormes iſtas ſaxorum moles ſtabiliendi, hæc erat. Effodie-
„bant foveam in ſolido ſolo calcario, quam magna cum arte
„ope piſtilli cæmentatorii parvis lapillis, pyritis, & κάχληξιν
„ἔσαττον καὶ συνέβυον. Iſtæ foveæ, profunditatem duorum
„pedum cum dimidio, non excedunt. Cumque tota regio ſit
„ſolida quaſi εὐνὴ calcarea, permovebat hoc ipſos, ut de ſtru-
„endis hic æque ac apud *Stonehenge* extraordinariis ædificiis
„cogitarent. Conductio, & iuſta oeconomia atque applicatio
„tam innumerabilis hominum manus, & cura ſuppeditandi
„ipſis victus neceſſarii, res erat magnæ ſapientiæ pariter at-
„que auctoritatis. Mirabilis inde profectus effectus, poteſt
„omnino confirmare gloriam Druidarum Britannorum, quæ
„ultra Oceanum reſonuit, & haud parum pondus addidit opi-
„nioni multorum, qua noſtros crediderunt Magos eſſe.“
Poſt adiecta quædam de magia Druidarum, „vox hæc, ait, ve-
nit a *maaghim, meditabundi.* Pag. 39. demonſtrare vult, quod
tem-

templum Aburitanum ab Abrahami temporibus inde repetendum ſit. Audiamus ipſum. „Nihil eſt manifeſtius, ait, quam ſa„xa *Stonehenge* fuiſſe cæſa, quædam in rotundam, quædam in „triangularem formam. Aburitana ſaxa plane non tetigit fer„rum. Nullum inde eſt dubium, aboriginalem patriarcha„lem methodum tam antiquam atque mundus eſt, ferrum ſa„cris ſaxis non admovendi, eo tempore fuiſſe obſervatam. „Ipſius templi Salomonei ſaxa, etiamſi cæſa magna fuerint arte: „id tamen factum antequam ipſi ædificio adhiberentur. Id „ipſum forte, ut probabile eſt, factum in *Stonehenge*. Proba„bile quoque ſit, cum ſtrueretur Stonehenge, Druidas habuiſſe „notitiam templi Solomonei, a mercatoribus Phoenicibus ac„ceptam, ideoque feciſſe ſuum τελωνεῖον in eorum gratiam, „cæſis lapidibus, tanquam πρόβημα ad templum ſuperne co„opertum.“ Capite IX. agit de vetuſtis tumulis ſepulchralibus Aburitanis. Quum templum Aburitanum fuerit grandis quaſi cathedralis ædes, aut patriarchale & metropolitanum templum totius inſulæ Britannicæ, mirum non eſſe, ait, ibi numerum infinitum tumulorum reperiri; quum magni principes, & alii, in ſacro hoc tractu maluerint quam alibi iacere. Et quum magnæ differentiæ obſerventur in illis tumulis, fuiſſe procul dubio ſic diſtinctas humatorum dignitates, & artes, quas profitebantur vivi. De iſtis coniecturas ſuas proponit. Parvos circulares tumulos, cum levi quodam ὄχθῳ in medio aſſurgente, putat Druidarum eſſe: tumulos cum circumducta ſcrobe, regum: largos & vaſtos oblongos, quosdam cum circumducta ſcrobe, quosdam abſque illa, Archidruidarum. Inde diſſerit de *Silbury*, quod, ſecundum *Camdenum* & Noſtrum, eſt ampliſſimus in toto iſto tractu, & tota fere inſula, tumulus. „Et revera, ait Noſter, *Silbury* eſt maxime ſtupenda moles ter„ræ, artificioſe congeſtæ, digna Aburytano templo, digna rege „qui ibi conditus eſt, fundatore *Abury;* quod non ſine magna „probabilitate affirmaverimus. Conſiderantes picturam tem„pli Aburitani, facile poſſumus deprehendere, quod, quemad„modum immenſum hoc corpus terreum excitatum fuit pro „humando ibi magno principe, quisquis ille tandem fuerit,

Digitized by Google

„ſic templum Aburitanum ſtructum fuiſſe in gratiam eius tu-„muli: & rebus ita ſtantibus, veraque exiſtente mea coniectura, „ius & fas eſt opinari, mauſoleum hoc eſſe magnificentiſſi-„mum, quod in orbe terrarum exſiſtit, ipſis etiam pyramidi-„bus Aegyptiacis non exemtis. Opus Aburitanum, quod eſt circulus, & gemini ad illud aditus, qui exhibent anguem per illum circulum transmiſſum, ſunt magnum illud hierogrammaton, aut ſacer prophylacticus character divinæ mentis, quæ principis huius ibi humati depoſitum protegere vult. — Eodem plane modo prodigioſus iſte anguis incubat, ut ita dicam, colli *Silbury*, tanquam fovens ibi ſepultum corpus, & ad novam vitam reducturus. Noſtri enim Druidæ docebant & inculcabant exſpectationem futuræ, tam corporis, quam animi, vitæ, tanquam rem certiſſimam & omni dubio exemtam. Inde narrat hiſtoriam regii huius ſepulcri, & cadaveris anno 1723. eruti, & quæ ipſe inde vetera monumenta & ſcruta acceperit, & inter alia lupatum ferreum equinum. Talia ςόμια ſepeliendi cum corporibus morem fuiſſe antiquorum, probat ex Pauſaniæ Eliacis.„— Noſtrum lupatum, ait, pertinens ad panopliam curruum Britannicorum, nobis in mentem revocat equos & currus Aegyptios, primis mundi temporibus celebres. Hercules Tyrius, qui, ex coniectura & hypotheſi mea, primam huc advexerit coloniam orientalem, erat rex Aegyptius. — Noſtri Britones, venientes tam ex Aegypto, quam ex Canaan, huc attulerunt uſum curruum, qui ſingulares & proprii noſtræ inſulæ quodammodo permanſerunt usque ad tempora Romanorum. — Silbury nomen eſt collis, quod noſtri maiores Saxones ipſi dederunt, ſignificans *magnum* aut *admirabilem collem*; plane ut *Silcheſter*, quæ eſt *Vindoma* Romanorum, notat *magnam Cheſter*. Sed hoc nihil proficimus ad detegendum nomen regis ibi ſepulti. Verum ſi quis conſideret, illum tumulum exſtare apud fontem fluvii *Kennet*, *Cunetio*, quem populares ſemper *Cunnet* appellarunt, & appellant; & maxime celebre inter antiquiſſimos Britones fuiſſe nomen *Cunedha*, quod tanquam magni regis nomen celebrant: poſſet in eam venire ſententiam, regem ibi ſepul-

tum

tum eſſe iſtum Cunedham. Hæc coniectura robur accipit a ſententia cl. *Baxteri*, qui putat, *Cunetio*, vel *Marlborough*, quod opidum fluvius Kennet primum alluit, habere nomen a celebri rege *Cunedha*, qui vixerit *Marlboroughi*, & cui nomen fuerit *Kynyd Kynüidion*, quod poſſit Anglice verti *Cunedha of Marlborough*, cuius nominis mentio fit in antiquis Britannicis genealogiis ante atavum regis Arthuri. *Cyngetorix* rex Britaniæ, cui cum Iulio Cæſare res fuit, & *Cunobelin*, rex inſulæ, tempore Auguſti, poſſunt eſſe huius *Cunedhae* poſteri. Saltim eorum nomina iſti conſonant. „*Conetodunus*, princeps „Gallicus, memoratur a Cæſare B. Gall. VII. Hoc plane idem „nomen eſt. — Probabile eſt, regem noſtrum *Cunedha*, vi„xiſſe Marlborughi, ſepultum eſſe Silburii, & auctorem eſſe „operis Aburitani, & Archidruidam; qui una cum ipſo & ex„cogitavit & perfecit illud opus, Marlborughi fuiſſe ſepul„tum." Inde regum exempla, ad fluviorum fontes ſepultorum, adfert ex Strabone & Pauſania. Inde geometrice deſcribit tumulum Silburitanum, & ait in fine: „Quidam aſſeve„rarunt, ad talem tumulum perficiendum opus fore impendio „20 millium librarum Angliæ." Porro coniicit, iſtum regem verno tempore ibi ſepultum fuiſſe, & allegat rationem: quoniam populares convenire quotannis apud iſtum tumulum Dominica palmarum, ibique exſultare ſoleant; ſimul huius ritus exempla ex Virgilio & Herodoto affert. „Obſervavi, ait, por„ro, læto proventu apium ibi creſcere. Plinius ſcribit: *defun„ctorum epulis dicatum apium.* Et certe hodienum populares „magni faciunt herbas ibi creſcentes, & magnas iis virtutes „tribuunt." Quantum coniicimus, inſinuare vult, Druidas ibi plantaſſe apium, credentes, id defunctorum epulis dicatum eſſe. Debuerat hoc ex Aegyptiacis antiquitatibus demonſtraſſe, non ex Romanis. Poſthæc de ſupellectile diſſerit, quæ ſolet in iſtis tumulis reperiri, ut calcaribus æneis, lupatis, gladiis, cultris, &c. Enumerat inde monumenta hæc vetera, & eorum loca denominat. Tandem p. 46. de tumulis memorat, qui aut terra congeſti & lapidibus ſepti fuerunt, aut ſolo conſtant ſepto lapideo, absque ὄχθῳ aliquo;

Digitized by Google

& allegat eam in rem ex Pauſania exempla, & inter cætera ex libro octavo, ubi ait Scriptor, ſtudioſe fuiſſe contemplatum *Aepiti* tumulum, (terra congeſtum non valde vaſta, circuloque lapidum ſeptum,) quoniam Homerus eius mentionem fecerit, & fuiſſe admiratum; nullum enim aliud vidiſſe elegantius. His addit noſter: „Adeo naturaliter, φύσει, ſolet „genius [animus humanus] admirari opera antiquitatis, *he* „*ſeems thereby to antedate his own being*, quo videtur ſuam ἐ„σίαν ἀναχρονίζειν, ſuam exiſtentiam corporalibus ſuis initiis „anteriorem facere & ſentire, & prodere, quod vixerit iſtis „temporibus longe antea quam nunc." En hominem Platonico-Pythagoreum! Caput concludit his verbis Geneſeos XXXV. 20. *Iacob imponebat columnam tumulo Rachelis.* Capite X. p. 47. agit de curiis iudiciariis Druidarum, & earum varias variis in locis deſcribit, & inter cæteras inſignem unam *Temple-down* appellatam; quam deſcriptionem omittemus, quandoquidem iam nimis ampli fuimus, & multa monenda reſtant. Iam abſolutis omnibus, hæc Aburitana & vicina monumenta concernentibus, concludit ad ſapientiam Druidarum, quam mire extollit p. 49. tribuens ipſis ſcientiam myſterii Trinitatis. Pag. 50. „Filius, ait, ſummi Dei, appellatur *mens, crea*„*tor, ſapientia patris,* tam a Druidis, quam a nobis, Chriſtianis." An legit unquam libros Druidarum? „Numquam, pergit, ex „quo creatus eſt orbis terrarum, tam magnifica idea ſubnata „fuit animis mortalium, quam hæc nobis coram propoſita ſa„xea idea. — Vulgus, ut probabile eſt, ideo non cognoſce„bat veram figuram totius, non magis atque nunc." [Neque mirum: ruſtici ſunt nimis craſſi, quam ut tanta myſteria poſſint aſſequi, quæ noſter Anglus medicus, theologus.] Sed qui ad hunc locum accedunt cum mente religionis plena, & qui intelligunt myſticam eius intentionem, non poſſunt non ſacro horrore & ſumma voluptate affici. — Tertium obſervo, ait, quod, quamvis vulgus figuram ſerpentis non ſenſerit, quam facit geminus aditus: notio tamen ab omni ævo propagata fuit, quæ obſcurum huius rei dat veſtigium, & coniiciendi anſam, potueratque de prophylactica virtute, quæ huic ſerpentinæ figuræ

Digitized by Google

guræ ineſſet, monuiſſe. Vulgus nempe fert, in toto hoc ſolo & tractu, quem *ſacrum campum* appellare poſſimus, nunquam fuiſſe anguem conſpectum, & quicunque illuc apportentur, ſtatim mori. Abundant tamen ſerpentibus loca circumvicina. — Hæc notio, neſcio an iuſto nixa fundamento, altas tamen egit radices in animis popularium. Multa narrat Plinius, de Druidarum in ſerpentes amore, ſed obſcure. Inde de poſitione templorum in genere, & Aburitani in ſpecie, agit, monſtratque, ſacratiſſimam eius partem reſpexiſſe ſeptentrionem, qui ſemper tanquam deorum dextra in honore fuerit, & proinde quoque Druidicorum horum templorum ſeptentrionale fuiſſe altero auſtrali ſacratius. Quemadmodum *the cove* adytum erat templi ſeptentrionalis, ſic totum templum ſeptentrionale erat adytum totius operis, cuius quaſi corpus erat templum auſtrale. — Et, ſi licet prodere noſtram opinionem, ſponte cuiusvis animo ſe ingerit, quoniam ſaxum annulo inſtructum *a*) eſt in templo auſtrali, ibi quoque ſacrificia fuiſſe oblata, & tractata a ſacerdotibus minoris ordinis, circa *the ambre*, ſive ſaxum centrale pyramidale. Summæ & maxime ſublimes partes religionis debebant ab Archidruidis & ſacerdotibus ordinis ſuperioris perfici, coram magnifica *cove* templi ſeptentrionalis, una cum hymnis, thure, muſica, ſimilibus. Sexto loco de acu magnetica agit, eiusque variationibus his in locis: quam acum, ait Auctor, noviſſe Druidas, & adhibuiſſe huic operi. p. 52. ſic diſſerit: Totum itaque hoc opus erat proprie mauſoleum, ſeu tumulus unus cadaveri fundatoris [templorum] ſuperimpoſitus, prophylacticum a magnis divinitatis ſymbolis formatum, cineres defuncti herois cuſtodiens. Et ex hac mythicorum temporum conſuetudine inventa fuit notio, quæ fecit & credidit ſerpentes genios eſſe heroum defunctorum. — Ita *Virgilius*, deſcribens Aeneam anniverſarium diem obitus patris ſui Anchiſæ celebrantem, apud eius in Sicilia tumulum, recitansque ritus antiquos ibi locorum & temporum frequentatos, inducit quoque anguem prorepentem

a) Cui, ex mente noſtri, victimæ alligabantur.

tem ex adyto ſeu tumulo, & poſtquam præterlapſus aram & ſacra vaſa fuiſſet, rurſus abeuntem. Tandem, in fine huius capitis, de epocha monumenti huius ſic diſputat. Halleius ſupponit, totam periodum [& complexum operum Aburitanorum] perfectam fuiſſe intra ſpatium ſeptingentorum annorum. In quo libenter acquieſco, conſiderans diverſum effectum tempeſtatis in ſaxa Aburitana & Stonehenge; magnam ipſorum operum & ſtructuræ diverſitatem; aliaque momenta, quæ perſuadent, Aburitanum monumentum debuiſſe prius fuiſſe iſto altero Stonehenge, plus 700 annis. Quando iam ſumimus duas integras annorum revolutiones aut periodos, id eſt 1400. annos, eosque anteponimus anno A. C. N. 460. æram ſuppoſitam ſtructuræ τȣ̃ *Stonehenge*, tunc incidit computus, ſecundum Uſſerii chronologiam, quam ego tanquam optimam aſſumo, in annum emortualem Saræ, uxoris Abrahami, quæ obiit æſtate anni 1859. A. C. N. id eſt paullo ante Inachum. Optimis autem & luculentiſſimis, quæ obtinere potui, argumentis, coniicio, Herculem Tyrium ſuſcepiſſe ſuam in Oceanum expeditionem circa finem Abrahami; eſtque probabiliſſimum, Aburitanum templum fuiſſe primum in Britannia conditum a prima quæ illuc venit Phoenicum colonia." Cap. XI. p. 54. his verbis incipit: Deſcribens Aburitana monumenta, ſtudui hactenus omnia quantum potui explicare cum a propoſita oculis rerum forma, tum ab exacta earum deſcriptione. Iam venimus ad partem ſpeculativam. — Vidimus, planum [ut dicunt, ſeu τὸ ὑπόγραμμα, vel τὸν τύπον] ſecundum quod formatum fuit hoc templum, fuiſſe familiare illud Aegyptiis & aliis gentibus hierogramma, circulum nempe & anguem. Figuram integram efficiebant circulus, anguis, & alæ. Hoc modo putabant ſeſe pingere, ut poterant optime, naturam divini numinis. Circulus ipſis notabat ſupremum omnium entium fontem, patrem; ſerpens divinam illam a patre emanationem, quæ appellata fuit filius; alæ tandem, alteram iſtam divinam ab utroque emanationem, quæ appellata fuit Spiritus, *anima mundi*. Hæc eſt iſta figura, quam *Kircherus* appellat *ophiocyclopterygomorphos*. — *Dracontia*, primæ illæ

Digitized by Google

illæ eruditæ nationes appellabant vetuſta illa templa, de quibus certi quid neſciebant tradere, & quorum rationem atque intentionem non intelligebant. *Strabo.* Nomen id erat huius ſpeciei templorum patriarchalium, cuius unum aliquod ſpecimen eſt noſtrum Aburitanum. Nomen hoc deductum fuit ad ſeriora tempora, quamvis res ipſa, & modus ædificandi, extra uſum & notitiam evaſerit. — Serpens, ut ait Tyrius Maximus, magnum erat ſymbolum divinitatis apud plurimas nationes, & tanquam numen colebatur apud Indos. — Adeo apud gentes in univerſum omnes in honore fuiſſe ſerpentes, iubet concludere de ſumma ſymboli huius antiquitate, quæ ipſum prævertat diluvium. — Symbolum hoc, circulum & anguem, quod eſt pictura & delineatio templi Aburitani, videmus in plurimis monumentis Aegyptiacis; quorum in omnibus ſummum ſemper locum occupat, quod monſtrat eius ſublimem divinum characterem. Seldenus ad M. Ar. ait, *haec figura*  *in ſcriptura compendioſa Graecorum notat divinitatem*, δαίμων. — Nullo modo poſſum credere, hanc Aegyptiorum inventionem eſſe. Sed Aegyptii a communibus humani generis ſatoribus acceperunt traditum; quod ſufficienter evincitur ex eo, quod huius ſymboli uſus ab ipſa China in Britanniam usque, imo ipſam Americam ſeſe extendat. Inde ſtudet declarare, quare ſerpens fuerit in ſymbolum τοῦ Θεοῦ aſſumtus: primum ex conſideratione eius naturali; dein ex conſideratione naturæ ſymbolorum. Ad primum monumentum quod attinet, affert, ſerpentes inter animalium pulcherrima numerari. Inter cætera „Hephæſtion, ait, ſcribit de hydra Herculis, quod dimidium eius caput fuerit aureum. Ipſe ego tam exquiſitæ formæ anguem vidi. Quum motus agilitas, & ſpecies radiantis & vibrantis coloris aurei, tam ſimilis ſit angelicis & ſeraphicis ſubſtantiis, non mirum &c.“ Secundo, ait, conſideres motum ſerpentis; eſt certe mirabilis. Quum abſque pedibus ambulet, & incomparabiliter velocius quam crocodilus & lacerta, eiusdem generis animalia quadrupedia, motu rapido, molli, undulante, & amabili atque pulchro, concipiebant inde veteres, motum eius ambulationi deo-

rum

Digitized by Google

rum eſſe ſimilem, & inde crevit idea heroum in deorum numerum relatorum ὀφιοπόδων. *Pherecydes Syrus* ait, deos habere pedes ſerpentinos: quo volebat dicere, motum & proceſſum eorum eſſe mollem & συρματώδη." Tertio, ait, potuiſſe admirabilem, quæ in ſerpente fuit obſervata, ſapientiam, veteres in eius cum deo comparationem inducere. Poſt alia addit: „Lingua erat ſolum telum Apoſtolorum, & bifida lingua ſerpentum eſt ſolum eorum telum. [Pulchra comparatio.] — Frequentes & fide dignæ narrationes, quæ mihi occurrerunt, perſuadent mihi ut credam, ſerpentes vim incantandi habere, non oculis tantum ſuis igneis, quorum fixo obtutu aves, mures, &c. quæ captant, ita perturbant, ut ſenſim atque ſenſim in apertos eorum rictus ſponte incurrant; ſed etiam ſibilo ſuo." Inde p. 59. de honore ſerpentibus apud omnes gentes exhibito diſſerit, & de ſecta ophitarum; & ad alterum momentum devenit, ſcil. conſiderationem naturæ ſymbolorum. p. 60. inſtituit comparationem ſerpentis cum Meſſia; & originem phalli apud Græcos indicat: nempe a Philiſtæis eam deducit, qui plaga affecti in partibus genitalibus, ob abreptam arcam Iſraelitarum, quum eam avertendæ peſtis gratia remitterent, addiderint aurea ſimulacra partium genitalium, & murium qui ſegetem ſuam corruperant. „Coeci eſſemus procul omni dubio, ait, niſi hinc originem phalli gentilium intelligeremus." Caput his claudit verbis. *„Horus Apollo* ait, ſerpentem eſſe ſymbolum oris. Hoc egregie repræſentat VERBVM quod omnia fecit, perfectum, fructiferum, architectum, creatorem mundi." Cap. XII. p. 61. miram lucem Mythologiæ Græcæ affert. Quum circulus fuerit dei ſymbolum, ait, tanquam figura omnium perfectiſſima, & ſerpens ſymbolum verbi dei, ut hactenus declaratum: mihi, pergit, evidentiſſimum videtur, divinas veritates maxime momentoſas Chriſtianæ eccleſiæ, primis quoque generationibus hominum notas & impertitas fuiſſe. — Filium dei, ſymbolo ſerpentis denotatum, appellabant primi homines *Ptha*, voce Hebræa, quæ *verbum* notat. Tertiam numinis perſonam, vulgo *animam mundi* dictam, Aegyptios *Knef* appellaſſe, quod Hebræis

alam

Digitized by Google

alam notet, & *alarum* quoque ſymbolo fuiſſe deſignatam. — Abury non ſolum eſt templum Dracontium. Aliud vidi apud *Shap* in *Weſtmorland.* — Aliud eſt *at Claſſerneſs*, villa in inſula *Lewis* (aut *Ludovici*), intra Scotiam & Hyberniam. p. 63. leguntur hæc: „Solebant Patriarchæ templa dracontia condere, ſub ipſum fere mundi initium. Argumenta mihi ſunt ad manus, quæ probent, illa fuiſſe diluvio antiquiora. Sed his nunc non inſiſtam. Primus, quem hac in re obſervabo, eſt *Phut*, frater Canaanis, filius Chami. Phut erat homo multo eminentioris antiquo tempore dignitatis, quam vulgo reputatur. — Sed de eo nihil reperimus notatum, niſi apud gentiles hiſtoricos. — Vaſti & ampli theſauri antiquæ eruditionis, præſertim hiſtoriæ tam civilis quam ſacræ, latent in mythologia. — *Phut* eſt *Apollo*, cuius mentionem fecit Sanchoniathon, filius Croni, ſeu Chami, utpote quos unum eundemque eſſe, Epiſcopus Cumberlandiæ evidenter demonſtravit. — A vocabulo Phut venit Græca appellatio *Python*, & levem per tranſpoſitionem *Typhon*. — Quo melius capi poſſint veteres, en offero lectori genealogicam tabulam magnorum hominum, de quibus ἐρχόμεθα φράσοντες. Ad demonſtrationem particularem cuiusque γενεᾶς poſſem ſollicitam deductionem heraldicam afferre: ſed nimius forem.“ En ſpecimen eius tabulæ p. 65.

LAMECH, Geinus Autochthon, Ophion, Ophiuchus, Ehoun, Hypſiſtus. = Beruth.

NOACH Agroverus, Agrotes, *maritus.* Epigeus Autochthon. Ouranus, *maximus deorum.* Titan. = Ge, Eſtia, Veſta.

IAPHET Nereus.

IAVAN Pontus, Ianus,

TARSIS Poſeidon Neptune,

Albion — Bergion.

SHEM Magus, Mithras, Dis, Sumanus, Pluto.

CHAM Amynus, Ammon, Saturn, Mannus, Cronus, Ilus, Baal I.

CHVS Belus II. — Nimrod.

MISRAIM Mi-ſor, Oſiris.

PHVT Apol-lo, Typhon. — Phaëthon.

CANAAN Agenor, Mercurius, Phoenix.

CADMVS HIVITE Heveus, Hyas.

Hamor — Schekem

Hor

HETH, Hittite. — Zohar — Ephron. Geneſ. XXIII,

Europa.

Atlas — Antæus.

Triptolemus. — Betylus.

Perſeus

Melica

Hercu

Pag. 66. „Phut erat primus celeberrimus navigator, & mediterraneum mare coloniis inſtruebat. Strabo ait, Phuthum vel Apollinem appuliſſe ad Parnaſſum, eiusque accolas manſuefeciſſe. — Quoad vultum ſimilis erat *Auguſto*. Poſſideo quosdam Rhodiorum numos &c. — Neque dubitare fas eſt, quin numi eius imaginem veram exhibeant. Telchines enim, Rhodi incolæ, primi dicuntur imaginum fictores fuiſſe. Hodienum licet hunc Apollinem — in hortis Vaticanis, ad Auguſti imaginem, effictum videre. [Poterit hic nobis patriarcharum omnium imagines deperditas reſtituere, & ignoratas indicare: cuius rei ſpem eius diligentia nobis in tertio Volumine poſſit facere.] Nusquam, pergit Noſter, celebrior fuit Phut, quam in Phocide —, ubi ad radicem Parnaſſi condebat magnum Dracontium, ut ego coniicio, noſtro Aburitano ſimile. Colligo hoc ex Græcorum relationibus de immenſæ molis ſerpente Pythone, nutrito a terrea mucilagine, vel coeno, quod diluvium generale reliquerit. — Muta iam locum, ſuppone Abury Parnaſſo, & habebis tam naturalem quam chronologicam loci hiſtoriam, vaſtum templum in forma ſerpentis, formatum ex lapidibus in ſuperficie terræ relictis poſt diluvium. Parnaſſus olim erat *Larnaſſus;* qua in voce litera prima L non eſt radicalis, ſed acceſſoria. Ergo fuit olim *Harnaſſus*. Atqui *Har* notat ἄκραν, promontorium, & *nahas* ſerpentem. Ergo Parnaſſus idem eſt atque *Hakpen*, nempe caput ſerpentis. Unde concludimus, ſerpentinum templum prodigioſam ſuam longitudinem extendiſſe a fundo inde Parnaſſi, & caput ſuum in eius vertice depoſuiſſe, prorſus ut nunc Aburitanum noſtrum in Overtonenſi clivo. Quapropter Ovidius credendus eſt non mere poetice ceciniſſe:

— *Tot iugera ventre prementem.*

Hoc erat originale templum patriarchale, vero deo dedicatum, ubi primum oracula edebat *Themis*, quæ vox, meo quidem iudicio, ex Hebræo *Thumim*. — Saxum centrale obeliſciforme, in circulari quodam opere ibi [in Parnaſſo] erectum, quod *Keblam* exhibebat, ut in templo auſtrali Aburitano, poſteris temporibus idololatricis cultum fuit Delphis tamquam Apolli-

 nis

nis ſtatua. Inde explicat, quare in numo Cæſareenſium apud *Vaillant*. Num. Colon. p. 242. Vol. I. Apollo conſpiciatur manu ſerpentem tenens, quod perplexum tenuerit doctum iſtum Francum. Pag. 68. demonſtrat, Delphis, & alibi, Sabbatum fuiſſe celebratum ex inſtituto patriarchali. Opus hoc, pergit Noſter, templum nempe ſerpentinum a Phuto conditum, vocabatur cædes aut ſubactio prodigioſi ſerpentis Pythonis, proprie filii terræ —: quumque ſacrificia, ludi, hymni, Sabbati obſervatio, ibi in uſu fuerint, iuſta nobis eſt ratio credendi, eadem a Druidis noſtris Aburitanis obſervata fuiſſe. — Labor hic Phuti paſſim alibi narratur exſtitiſſe. Quidam in Myſia tradiderunt, alii in Phrygia, Cilicia, Pithecuſa, Boeotia, in Syria apud Orontem, qui proprie Typhon & ὀφίτης fuit appellatus. — Quæ nobis indicare velle videntur, aut Phutum ipſum, aut eius gentem & poſteros, ibi locorum omnium talia templa condidiſſe. Acæas, filius Phuti, condebat tale Colchis. *Perſeus*, natus in Aegypto, æqualis Phuti, gerebat in ſuo clypeo τὸ hierogramma, & condidit procul dubio quædam dracontia: unde poetæ arripuerunt de Meduſa fabulam. Cap. XIII. p. 70. Herculi Tyrio deſtinatum eſt, heroi iſti Phoenicum & Aegyptiorum, æquali Phuti, regi paſtorum Aegyptiacorum. Pag. 71. memorabilia ſunt hæc verba: Paſtores iſti fuerunt Canaanitæ, qui Miſraimum ſecuti in Aegyptum, primi tranquilli vivebant, ſecuto autem tempore cum Miſraimitis terribilia geſſerunt bella per duo ſæcula. Miſraimitæ incolebant Nili ſuperiora [Thebaidem], Canaanitæ inferiora, paludoſam illam regionem *Delta* dictam. Unde iſti hos appellabant *Titanes*, id eſt *dirty*, ſordidos, infames; *fen men*, incolas paludum; *bogtrotters a*), id per contemtum noſtro dicimus idiomate. Ipſi ſe appellabant Miſraimitæ *Elohim* ſive deos: — vivebant nempe in elevatiore regione verſus Aegyptum Aethiopicam, ubi Homerus fingit deos ſuas celebrare panegyres.

Ita

a) *Coureurs de marais.* C'eſt ainſi qu'on appelle les voleurs d' Irlande, qui vont en troupe come les bandits d'Italie. *Boyer* Dict.

Digitized by Google

Ita Græci, ſoli editioris incolas *Athamanes* appellabant, id eſt *coeleſtes*. Olympus mons ipſis erat habitatio deorum. — Canaanitæ contra ſe ipſos *Hycſi* appellabant, id eſt *paſtores regios*. — Hinc poetæ gigantomachiam finxerunt. Inde rationes Chronologicas Marſhami, Uſſerii, & Cumberlandii examinat & reformat. Pag. 72. Sic narrat: Anno 2083. Abraham patriarcha veniebat ex Chaldæa in Palæſtinam, ſeu anno 13. de regno noſtri Melcarthi in Aegypto inferiore. Anno 2087. fame compulſus confert ſe in Aegyptum: unde apparet, Pharaonem, de quo ſermo Geneſ. XII, eſſe hunc Melcarthum. „Inde teſtimonia gentilium de Abrahami eruditione & dignitate affert, & præſertim de peritia eius aſtronomica. Videtur, ait, usque ad hoc tempus plurima hominum pars, ſive ex ignorantia, ſive negligentia, veram anni longitudinem non obſervaſſe, ut cui tantummodo 360. dies imputarint. Verum Abrahamus Aegyptios erudiebat. Nunc enim poſſumus intelligere obſervationem Syncelli, nempe, regnante *Aſſis*, ſive Hercule ultimo rege Paſtorum, quinque illos dies ἐπιβολιμαίους fuiſſe anno inſertos. — Mirum nonnihil eſt, quod Aegyptii quinque illos dies appellent *Neſi*; quæ vox notat ſerpentem. Coniicio illos ita voluiſſe *ſacros dies* & *conſecratos* dicere. Collocabantur in fine anni, & reputabantur pro deorum genethliis, ex aliqua, ut ego coniicio, προαισθήσει καὶ προγνώσει futuræ aliquando ſub anni finem nativitatis Meſſiæ. Invenio enim, omnem antiquitatem iſtam habuiſſe notitiam. Verum Syncellus nobis totam veritatem non expoſuit. Abraham præterea quoque docebat Aſſim iſtum intercalationem quatuor temporum, & diei intercalaris ſingulis quadrienniis. Nam quantum ego potui hac in re videre & colligere, annus moſaicus ſeu patriarchalis erat ſolaris, & ſtricte Iulianus. Sed mundus, quum idololatria obrueretur, providentia divina iudicabat annorum mutationem e re ſua fore, quo nempe feſtos eorum dies paganos & ſuperſtitioſos dislocaret. Propterea Deus impertiebat Moſi notitiam anni lunaris, quo Iudæi adhucdum utuntur. Sed circa Meſſiæ adventum, curabat providentia veterem annum patriarchalem

Digitized by Google

Iulianæ formæ reſtitui. — In ſacris de Abrahami diæta Aegyptiaca relationibus nihil occurrit, quod Aegyptiorum averſionem a paſtoribus indicet, qui nepotis eius, Iacobi, tempore, abominationi erant iſti genti. Unde concludendum, regem, qui cum res Abrahamo fuit, fuiſſe regem paſtorem — quibus expulſis Iacobi gentem, quæ ex Canaan veniebat, fuiſſe ab Aegyptiis pro iisdem paſtoribus habitam, quibuscum diuturna bella geſſerant, & quos expulerant. Pag. 73. monſtrat Abrahamum tradidiſſe Aegyptiis artem literas pingendi, & alphabetum. Inde recenſet & corroborat Tolandi ſententiam, de Luciani Hercule Gallico, *Ogmio* dicto, quem ait ab Abrahamo literas didiciſſe; & Druidas quoque literas habuiſſe, priusquam eas Græci a Cadmo, licet ex eodem fonte, acceperint. Hercules itaque, ait p. 74, erat vir doctus & eloquens, inſignis aſtronomus & philoſophus —; adeoque apparet dignus Abrahami diſcipulus, quicum non tantum in Aegypto coluit amicitiam, ſed etiam in Palæſtina. Nam ex pacto cum Tethmoſi excedebat anno 2120. ex Aegypto, ſecum ducens 240. millia capitum, quibus impleret coloniis totum mediterraneum & oceanum. Debebat tamen interea annos aliquot in Palæſtina exigere, antequam propoſitum ſuum maturum eſſet. Abrahamus autem mortuus eſt an. 2183. — Itaque, quum Patriarcharum mos eſſet templa condendi quocunque venirent, id idem de Hercule quoque credendum; ſive id ſua ſponte religione motus, ſive ad imitationem Abrahami fecerit. Certe dicitur columnas ereхiſſe, quæ nihil aliud fuerunt quam templa ſaxea. Unde etiam nomen *Herculis Saxani* obtinuit. — Sed quod maxime nunc urgeo argumentum, Herculem condidiſſe templa ſerpentina ſive dracontia, eſt id, quod ſæpe dicatur ſerpentes viciſſe & ſuſtuliſſe. Unde & illa fabula de ſerpentibus geminis, quos adhuc in cunis eliſerit. Pag. 75. coniicit, eum tale templum apud Accam, vel Acconem, aut Ptolemaidem condidiſſe, & inde nomen urbi adhæſiſſe *Accon*, a Chaldæo עכן *ſerpens*, voce Noſtro adamata & chara. Pag. 76. diſſerit de hydra Lernæa. Porro dicunt veteres, ait, in vincendo hoc animali, (quod aliud nihil eſt quam perficiendo

endo opere tam laborioſo,) magnam ipſi utilemque operam præſtitiſſe Iolaum, eius ἀρμηλάτην. Et ſane non potuit non utiliſſima huius opera ipſi fuiſſe in transvehendis ſaxis. — Interea mirum & paradoxum videri queat, quod narratur, ſerpentem adiutum fuiſſe a magno & prodigioſo cancro, donec myſticam eius rei mentem perceperimus, quæ hæc eſt. Ut ſerpens notat templum ſerpentinum, ſic cancer erat ſymbolum figura & notione reſpondens *globo iſti alato*, quæ erat antiqua pictura *animae mundi*. — Hercules habebat filium nomine *Iſaac*, cui ſponſorem & compatrem vel ſuſceptorem fuiſſe in eius baptiſmo Abrahamum, aut eius filium Iſaacum, quis non male coniiciat. Patriarchalis enim cultus pars erat baptiſmus, & æque ac nos habebant ſuos ſponſores. — Inde commune ibi [in Phrygia] evadebat nomen; & *Aeſaci*, filii *Priami*, nomen, unum idemque eſt. Pag. 77. ex eo evincit Herculem coloniam miſiſſe in Britanniam, quod *Albionem* & *Bergionem*, filios Neptuni, devicerit. Atqui, ait, hæc duo nomina ſunt antiquiſſima Britanniæ, ut neminem latet. Item ex eo, quod Plinius dicat *Melcarthum*, (cuius loco corrupte in vulgatis legatur *Midacritum*,) id eſt Herculem, primum ex Britannia ſtannum eduxiſſe. Ex Poetarum item fabulis de Titanum in occidentem abitu, quod videatur Herculis ἀποικία Britannica. Item quod Parthenius dicat, Herculem, traiecta terra Celtarum, fuiſſe a *Britanno* exceptum hoſpitio. Pag. 78. ait: Supra notavimus, quod paſtores, qui ſub Herculis ductu exceſſerunt Aegypto, ſeſe appellaverint *Hycſi*. — Huius ipſius nominis reliquias non tantum Romanorum tempore; ſed ipſo quoque Venerabilis Bedæ reperimus, *Huiccios* gentem ſic dictam, cui reſpondent *Orduices* & *Vigornienſes*. — Ego credo, Hibernos & antiquos Scotos, editioris ſoli incolas, eſſe reliquias genuinas Phoenicicorum colonorum. Doctus meus amicus, *Pocokius*, quum in Hibernia eſſet, obſervabat mirandam Hibernos inter præſentes & Aegyptios vario reſpectu conformitatem. Cap. XIV. p. 79. de Cadmo agit, quo nemo fere celebrior eſt in hiſtoria Græca. Filius erat *Agenoris*: quod nomen, tanquam mollius, amabant Græci potius, quam difficilius illud *Canaan*, pronuntiare.

Digitized by Google

tiare. — Stephano Byz. appellatur *Phoenicia χνα*, & *Phoenices χναι*. — Cadmus vivebat eodem cum Hercule tempore, aut paulo poſt. Pag. 80. monet, per *Kadmonitas* Geneſ. XV. 18. intelligi Cadmi gentem, & eosdem deinceps Hivitas appellari. Ipſe Cadmus pariter *Hyas* & *Hivaeus* appellatus fuit; & Hyas ſive Cadmus erat nomen, vel illud ſolum, vel ambo, honorarium, nomen conſecrationis, pro more iſtorum temporum. — Mons *Hermon* probabiliter ab eius uxore *Hermione*, & in eius honorem fuit appellatus. — Pſalm. CXXXIII. 3. legitur: *ut ros Hermonis, qui cadit in clivum Sion.* Abſurda hæc lectio, quæ magnam Auguſtino crucem olim fixit, mutanda eſt in *Sirion.* Sunt enim & *Hermon* & *Sirion* partes Libani. — Ieſai. XXIII. 28. appellatur *Tyrus* civitas *coronans*, quia coronam auream Alexandro mittebat. — Kadmonitæ appellationem *Hivitarum* acquirebant inde, ut mihi videtur, quia ſolebant templa ſerpentina condere, — (p. 81.) vox enim *Avim, Hevaeus*, in lingua Syriaca notat ſerpentem. Et ab hac conſuetudine templa ſerpentina condendi, forte ducta opinio de Phoenicum ophiolatria, de qua Euſeb. *Pr. Ev.* I. & inde Græcorum fabula de Cadmo, magnum ſerpentem vincente, dentesque eius ſerente, e quibus armati homines exſilierint. — Pag. 82. Europa fuit aſportata ex *Sarepta*, urbe in tractu *Sidonis:* quantum ex nominum ſimilitudine colligere poſſum, fuit ibi (*Sareptae*) templum *ſerpentinum*. *Sareptha* eſt *ſerpens Ptha.* — Quod armati iſti homines proſilierint ex terra, dum ſerebantur dentes ſerpentis, ſignificare vult, Hivitas noſtros religioſam inſtituiſſe periodum circa aditus [& ſyrmata] ſerpentinorum ſuorum templorum, diebus feſtis, quum victimas cæderent. Talis περίοδος ἔνοπλος inciſa conſpicitur templo *Perſepolitano*, in *Brunii* Itinerario. — *Ovidius* Metam. IV. 560. de *Meliceſta*, noſtro *Melcartho*, narrat, & eius matris apotheoſi, & de Sidoniis mulieribus in ſaxa &c. ob luctum mutatis. Quod dicere vult, iſtos homines condidiſſe templa ſerpentina & alata, prope ſepulchra heroum εἰκιστῶν. — Poſt *Melicertae* fata, *Ovidius* ἀμέσως tradit fabulam de *Cadmo*, & eius uxore, in ſerpentes mutatis. Quod

eodem

Digitized by Google

eodem modo accipiendum.— Pag. 83. Coloni apud *Chippin-*Norton habitantes, & in toto iſto ambitu circa templum *Rowldrichi,* ſupra a nobis deſcriptum, conſtanter affirmant & certiſſime credunt, quod lapides, qui opus iſtud conficiunt, fuerint olim rex & eius tam proceres, quam ſequioris ordinis cives. Allegant in eam rem antiquum proverbium de longo iſto ſaxo, *Regis* appellato:

If *Long Compton* thou canſt ſee
Then king of *England* shalt thou bee.

Si tu, Longe Compton, *poteris videre, eris rex Angliae.* Hoc mihi retulit amicus. Eſt ea vulgaris opinio popularium iſtius tractus, cui qui audet contradicere, pro audaciſſimo *Free-Thinker* reputatur. Id ipſum remanſit circa templum Druidicum in *Stanton-Drew,* in agro *Somerſetenſi,* quod templum proximo volumine deſcribam. Nobile hoc monumentum vulgo *the Weddings,* id eſt nuptiæ, appellatur, & populares perhibent, ea ſaxa fuiſſe olim homines, qui, dum nuptiis adeſſent, fuerint in ſaxa converſi. — Pariter vaſtus ille circulus in *Cumberlandia,* quod olim fuit Druidarum templum, appellatum *long Meg and her daughters,* id eſt, *procera & perticae ſimilis foemina cum ſuis filiabus:* creditur ex humana forma in ſaxeam abiiſſe. — Pag. 84. Hinc videre licet originem idololatriæ,— quæ videtur orta in Phoenicia. — Demaroon erat Iupiter, ſupremus deus: Phutum deum faciebant, & eius filium credebant: ex Canaano faciebant tertium numen. Ex cap. XV. p. 85. nihil excerpemus, contenti, ſolam eius inſcriptionem attuliſſe, quæ hæc eſt: Metaphyſica diſquiſitio de natura dei, oſtendens, quomodo Druidæ, ſola vi ratiocinii, potuerint ad cognitionem divinæ cuiusdam emanationis, ſive perſonæ, a prima ſuprema cauſſa, quam emanationem nos appellamus filium dei, pervenire? itemque neceſſitatem admittendi talem emanationem; quod omnes philoſophi & pontifices antiquitatis ea notione inſtructi fuerint, quemadmodum legimus in Platone & aliis pluribus. Cap. XVI. perſequitur monumentum Druidicum tertii generis, alatum nempe, quod exſtat prope *Barrow,* in litore *Humberenſi,* loco ſaxorum e

Digitized by Google

vaſtis molibus aggerum terreorum congeſtum. Iam aliquoties indicavimus, noſtrum docere, quod deus ſub circulo, dei filius ſub ſerpente, ſpiritus dei ſub alis deſignatus a Druidis fuerit. Unum oblitus fuit addere, quod nempe Druidæ templa ſua circularia Deo patri, templa ſerpentina Deo filio, templa alata Deo ſpiritui ſancto, dedicaverint. Interea tamen nihil decedit integritati ſyſtematis Chriſtiani Druidarum. Totum opus integrum, pergit p. 93. nempe circulus, ſerpens, & alæ, fuit Cneſpthah appellatum, Ptha nempe in ſpecie deſignante ſecundam divinitatis perſonam, Cnef autem ſeu alas tertiam, ſeu ſpiritum ſanctum, Græcos autem hunc Cnef in Neptunum convertiſſe, monarcham aquarum, ex eo, quod Hebræus legislator ſcribat in principio ſuæ *coſmogoniae: Et ſpiritus dei motitabatur ſuper aquarum facie.* Vox Neptuni, ait, venit a *Cnef* & דניא *Dunia*, orbis, *circulus, globus alatus.* — Inde quoque intelligendum, quare Druidæ hoc ſuum alatum templum ibi loci collocaverint in nobili iſto æſtuario (*ἄκρᾳ περιῤῥύτῳ*) Humberenſi, ubi limbi & pedes eius poterant ab exundante per affluxum aqua marina lavari, quum interea aquæ dulcis rivi ſtricte pedes eiusdem præterlabantur. Nempe voluiſſe illos auguſtum exhibere hieroglyphicum divinitatis, tam ſalſæ quam dulci aquæ ἐπωχζύσης. — Pag. 95. Tumulus Orphei videtur templum ſerpentinum fuiſſe, cuius occaſione nata fabula de ſerpente, qui, dum Orphei caput devorare volebat, ab Apolline fuit in ſaxum verſus. Rurſus poſſumus haud absque re ſupponere, tumulum Memnonis, qui humatus in Phrygia dicitur, fuiſſe templum alatum; ut qui, precibus Auroræ matris, in aves converſus fertur, ex ſua ſtele, ex qua etiam integrum examen avium, *Memnoniarum* dictarum, exortum fuerit. Et quod ſimile examen avium quotannis ex Aethiopia eodem die veniat, quæ poſtquam ter obierint eius, (Memnonis,) monumentum, diſcedant & pugnent in honorem ſui ſatoris. Quid aliud inde colligamus, quam gentem & poſteros Memnonis quotannis ad eius tumulum, more antiquis ſolenni, veniſſe μνημοσύνην τελέσαντας ἐτήσιον. Eodem ſenſu intelligendi Auctores, qui dicunt, Cadmum in inſula

ſula Rhodo templum Neptuno condidiſſe. Templum id non erat elegantibus columnis inſtructum, neque idololatriæ conſecratum, quod opus erat ſerioris ætatis: ſed templum alatum. —Pag. 96. Eodem ſenſu, tradente Strabone XII. Hercules *Canopeus* fuit appellatus, quia Cnef (idem quod *Canopus*) templa alata condidit. Iam quoque intelligemus hactenus ignoratum vas Aegyptiacum *Canopus*, περιῤῥαντήριον —, cui quo certius alligarent divinam aquæ benedictionem, imprimebant ei ſacrum characterem τȣ *Cnef*, ſeu circulum alatum. — Poſſum in tranſitu memorare, quædam iſtorum vaſorum præferre *ſcarabaeos* expreſſis alis, eiusdem prorſus ſenſus cum circulo alato. [Horribile monſtrum, ſpiritum dei ſub imagine ſcarabæi pingere.] Suſpicor *Genevam* aut *Geneſſam* [urbem] inde nomen ſuum habere, a ſimilibus alatis templis ibi olim conditis. — A Cnef eſt quoque vox nebula, νεφέλη, & forte quoque *nebulo*. [Igitur affinis eſt nebulo animæ mundi?] Anno 1725. inveniebam aliud ſimile templum alatum, ad *Naveſtok Common*, in provincia *Eſſex;* ſed quod videtur ætate poſterius, & eo forte tempore conditum, quum authentica doctrina theologiæ ſpeculativæ nonnihil abierat in oblivionem, quia conditum illud eſt in ſolo ſicco, procul ab aquarum vicinio, de cætero forma eſt prorſus eadem. Quod maxime dignum eſt notatu, & confirmat ante dicta, nomen eſt Naveſtok; non enim potuit Naveſtok appellari, niſi ab antiqua arbore, forte quercu, quæ aut ſuper, aut apud iſtud Cnef, ſive alatum templum, ſtetit. Noſtrum anglicanum *Knave* — idem ſignificat, nempe *alatus*, *impiger;* Latinum *gnavus* idem, & Teutonicum quoque *knap*, omnia ab Hebræo *Cnef* deducta. — Abaris, Druida ſuæ regionis, — Pythagoræ donabat arcum Apollinis, quem ſecum attulerat ex patria, ubi fuerat in templo alato depoſitus. Narrant quoque, Abarin ſuper iſto arcu per aëra in Græciam equitaſſe. Hoc procul dubio venit ex opinione, qua imbuti erant, Druidas exercere artes magicas. — Pag. 97. Supra memoravimus ex Plinio, quod Phut Rhodum duxerit in matrimonium. *Rod* Pſalmiſtæ & Prophetis notat ſerpentem. Quid quod Plinius VII.

& LVI. perhibet, nomen primum Rhodi fuiſſe Ophiuſam; voce ἰσοδυνάμῳ. Probabiliter id ipſi nomen hæſit a templo ſerpentino ibi condito. Pag. 98. — credo Canaanum habuiſſe penes ſuum tumulum templum alatum, quod poſteris anſam dedit, eum ad deos referendi ſub nomine Mercurii." Mittimus reliqua: nam ohe iam ſatis eſt nugarum.

En narravimus vobis, lectores, lepidam & comtam exquiſita eruditione fabellam de Druidis; appoſuimus vobis lautas ſerpentium & ſcarabæorum dapes: ſi ſtomachum habetis talium appetentem & patientem. Unum adhuc ferculum exſpectate. Non fuiſſemus tam diu immorati huic libro, niſi credidiſſemus eum in paucorum manus perventurum, fore tamen nonnullos, qui aut mirabilium hic prolatarum opinionum dulcedine capiantur, aut dignas eas refutatione reputent. Intelligimus quidem quorſum hæc tendant omnia: nempe, ad ſtabiliendam antiquitatem Chriſtianæ religionis contra atheos & ſimilis farinæ homines, quibus Anglia ſcatet. At verveces iſti forent, ſi talibus mormolykiis terreri ſe paterentur. Tantum abeſt, ut hæc ſubtiliter & artificioſe contexta ἀράχνια, hæc operoſe deducta inſomnia, proſint Chriſtianæ religioni, ut ei potius opprobrio apud empæctas ſint.

DISSERTAZIONI EPISTOLARI THEORICO PRAtiche di Medicina &c.

i. e.

DISSERTATIONES EPISTOLARES THEORETICO practicae de Medicina, Doctoris ANTONII FELICIS, Medici, Phyſici, ad Dominum NN. Medicinae Candidatum, Amicum. Decas prima.

Venetiis 1748. apud Ioſephum Coronam, pl. 18. in 8.

Quo brevior de ſelectiore argumento, quo maiore etiam ingenio atque induſtria elaborata eſt ſcriptio, eo plus ſæpe & delectat, & iuvat. Eſt in magni voluminis libris aliquid quod Lectorem deterret; ſæpe etiam plus oſtentatio-

tationis quam utilitatis illis ineſt. Præſens libellus, maximi ambitus argumenta brevi oratione amplectitur.

Diſſertatio prima exponit medicæ artis origines, progreſſus, nova inventa, & præſentium temporum ſtatum, variis ſcientiis ad luxuriem usque locupletem. Humana calamitas, & mali, quod quisque ſecum habebat, ſenſus, artis neceſſitatem fecit. Experientia adeoque demonſtratione prior erat, veluti inſtinctus caſusve fortuitus auxilia obtulit. Subito tamen acceſſit ſolers principiorum cognitio. Anatomen docebant extiſpicia; Chirurgiam bella; cogitandi & comparandi artem philoſophia. Fuit ergo penes ſacerdotes & philoſophos medicina quam diutiſſime. Deinde in artis formam coacta fuit, diuque viguit illa dogmatica medicina, quam cultior experientia, atque analogiæ ſtudium, interpolabant; plusque profeciſſet illa, niſi Peripateticorum nugæ interſperſæ fuiſſent, quibus a Galeni temporibus univerſa Arabum ætas inhæſit quam pertinaciſſime, donec una cum reſuſcitatis veluti ex tumulo liberalibus artibus, nova lux accenſa eſt eorum ſtudio, qui vel anatomen ſtudioſius tractabant, vel leges motuum animalium ad matheſeos dogmata exigebant. A quo tempore nulla medicinæ pars fuit, quin ſuos ſtatores atque principes inveniret. Maximum autem ad praxin medicam adiumentum illud erit, ad machinæ ideas operandi modos exponere; in quo uno principio totius medicinæ veluti aliquod centrum eſt.

Altera Diſſertatio, de inveniendis veris atque indubitatis artis principiis agit. Cogitando, & ſingula, quæ ſenſibus percipiuntur, ad præcognitas artis regulas comparando, invenitur veritas; adeoque principia cognoſcendi, niſi ex Philoſophia habeantur, unde alias haberi debeant nemo videt. Sed principia eſſendi aut fiendi, ex quibus ſingula corpora conflata ſunt, nuda ſpeculatione haud inveniuntur: ſed pro generum, cui quælibet creata ſubſunt, differentiis, alia atque alia eſt principiorum expoſitio. Principia agendi in medicina, ex corporis cognitione, & effectibus auxiliorum cognitis, petuntur.

Diſſertatione tertia continetur mutationum illarum, quæ homini, ex quo natus eſt, contingunt, deſcriptio. Statim ex quo aerem ſuxit infans, evaneſcunt illi vitæ ante nativitatem in utero ma-

 tris

Digitized by Google

tris actæ auxilia; nova enim nunc vitæ lex eſt. Aer novello nato cutem mutat, ut & tranſpirare illa poſſit, & humores alios excretorios in ſe ſuſcipere valeat. Nec levis ad minima totius corpuſculi vaſa redundat utilitas; poſtquam ſanguis per pulmones transiicitur, & ab illis vegetos motus accipit ad circulum obeundum. Tunc enim excretoria ac ſecretoria extrema vaſcula ſeſe magis diſtendunt, & humores illi vitales exſurgunt, quos embryo ſatis abſolutos haud habuit, bilis, ſuccus pancreaticus, ſaliva, alii. Obfirmatur ſenſim fibra, compinguntur motus organa, cerebrum uberiores elaborat ſpiritus, ſic homo fit

Iam iuvenis, iam vir, iam ſe formoſior ipſo.

Diſſertatio quarta, de Coryza, Cephalalgia, & apoplexia agit. Licet enim hi morbi perfecta aliqua inter ſe analogia haud fruantur, ut uno loco ſtare poſſint: eodem tamen mechaniſmo fiunt, ſanguinis ſcilicet determinato ad varias capitis partes motu. Vis enim cordis ad exteriorem carotidem dirigit, quidquid propter ſingularem arteriæ carotidis internæ atque vertebrarum flexionem ad cerebrum propagari nec poteſt, nec debet. Sed ſi dura mater, per ſanguinis ad arterias meningæas propulſi impetum feritur, tunc Cephalalgia eſt aut cephalæa, aut hemicrania. Sed apoplexia ſanguinis intra corticalem cerebri ſubſtantiam impedimenta habet. Eſt adeoque ſingulare illud naturæ beneficium, quo ſequeſtrantur viſcida acria, quæ ceteroquin ad cerebrum duci poterant, intra pituitariam narium tunicam. Aſt CAROLVS SIGONIVS *Lib. I. Hiſt. de Regno Italiae, de Sternutatione ita habet:* ſternutationem feliciter ſemper haud cedere obſervarunt in peſte illa Italica, *qua multi, cum ſternutarent, alii cum oſcitarent, repente ſpiritum emiſerunt. Quod cum ſaepius eveniret, conſuetudo inducta eſt, quae nunc etiam obſervatur, ut ſternutantibus ſalutem precando, oſcitantibus ſignum crucis ori admovendo, praeſidium quaererent.*

Diſſertatio quinta agit de Cachexia, Chloroſi & Hydrope. Eſt etiam inter hos morbos cauſalis nexus, dum omnis ex lympha eſt ſpiſſiore, quam quæ circumduci in homine poſſit; omnis etiam purpuræ illius vitalis, quæ ſanguinem facit, iacturam ſupponit: ideo quod purpureæ moleculæ in ſeroſas diſ-

tractæ

Digitized by Google

tractæ ſunt. Hydropis duas ponit ſpecies, quarum altera curabilis ſit, quandoquidem nihil quidquam quam venarum lymphaticarum inter valvulam atque valvulam extenſio, eſt; veluti eiusmodi hydropen ſubito facis, ſi venam quamvis ſanguineam maiorem, ex Loweri experimento, ligaveris. Aſt incurabilis illa hydrops eſt, quæ cum ruptura venarum lymphaticarum coniungitur.

Diſſertatione ſexta de hypochondriaca paſſione exponitur. Ab atonia venæ portæ, vaſorum meſentericorum, inteſtinalium ſplenicorum, hæmorrhoidalium, hypochondriaca affectio ortum utplurimum trahit. Vi ſpaſmorum imi ventris, traditur ſanguis vaſis ad cerebrum ducentibus, unde caput obnubilum, ſtupor, oblivio, triſte delirium, vel alia; eſt & præcordiorum tenſio & anhelitus. Igitur morbus ille variorum morborum quædam quaſi ſylloge dici poteſt.

Diſſertatio ſeptima de præſagio medico inſcribitur. De eventu morborum ſunt qui audacter pronuntiare intendunt, dum peſſima quævis nuntiant, ut vel vera prædixiſſe videantur, ſi res ita, uti præfatum erat, male cedit; vel ut arti tribuatur, ſi melius res cedat. Nemo autem eſt, qui de exitu morbi ſecure ſemper affirmare quid auſit. Sunt ſæpe, ex effato GALENI, qui inter optima ſigna pereunt; ſunt etiam qui inter peſſima convaleſcunt. Si quid autem eſt, quod coniecturæ ſecurum aliquod fundamentum ponere poſſit, erit morbi æquum iter vel iniquum, vis ſuperior ægroti vel inferior, ſymptomatum ſolemnium aut peregrinorum concurſus, excretionum leges rectæ vel turbatæ. Ut vel ſperare vel deſperare poſſis, his omnibus recte perſpectis efficitur.

Diſſertatio octava agit de antiqua gymnaſtica medicina ad imitationem proponenda. Erat medicina gymnaſtica ſcientia auxiliorum, quæ motu ſanant. Hanc natura omnibus animantibus indidit: hanc infantes exercent, dum, niſi alio motu, vagitu certe, ſibi ſanguinem movent, quare & *vociferatio* inter artis gymnaſticæ præcepta fuit: deinde pueri laſciviunt, geſticulantur, balnea petunt. Naturam ergo imitata eſt ars, palæſtræ exercitio, pilæ luſu, frictionibus, unctionibus, balneis. Quales morbi his auxiliis obſequioſi ſint, docetur ampliſſime.

Diſſertatio nona, Mercurii uſum defendit. Licet horrenda ſint facinora, quorum crimen Mercurio intenditur, dum FERNELIVS ſtupidos

pidos & mutos, FORESTVS paralyticos hinc factos eſſe criminantur. Non tamen hoc Mercurii eſſe, ſed illius, qui recte Mercurio uti neſcit, docetur eruditiſſime.

Diſſertatio decima Anthracem exponit, ſeu Carbunculum. Ulcus nigrum depaſcens, inflammatum, urens, partem ſubito in gangrænam vertens, Anthrax eſt, ſive magnus ille fuerit, ſive parvus. Si cruſta alte penetrat, & febris magna accenditur, malignus eſt, & peſtilentialis; ſi ſubita accedit virium proſtratio, lethargicus ſopor, Leipyria, intercurrens ſyncope. Verus anthrax plerumque lethalis eſt. Eſt tamen & mitior, qui ſumma cute ſedet, circumcirca rubet, febremque magnam haud habet.

NOVA LITTERARIA.

Libri celeberrimi, inprimisque eminentis in recentiorum hiſtoricorum choro, novam Editionem accepimus, non ſine quadam commemoratione dimittendam. Ea hunc indicem præſcriptum habet: *Iſtoria del Concilio Tridentino, da* FRA-PAOLO SARPI, *dell' Ordine dei Servi, con note critiche, iſtoriche, e theologiche, di* PIETRO FRANCESCO LE COVRAYER, Dottor in Theologia dell' Univerſità d' Oxforte, e Canonico Regolare, ed antico Bibliotecario dell' Abbadia di S. Genovefa di Parigi, 1757. Volumina duo, quaternis. Alph. 7. plagg. 12. Londinum quidem & Fratres Torneos (*de Tournes*) adſcripſerunt Bibliopolæ: ſed ſatis conſtat, Lugduni Gallorum procuratam eſſe hanc tam elegantem Operis præſtantis repetitionem. Ita nunc poſtliminio in Galliam redit *Courayerus*, V. doct. qua olim excedere eum coegerat pugnaciſſimorum hominum malevolentia. Redire aimus ſtipatum libro, quem iidem illi adverſarii eius iure quodam ſuo abominantur. Quis autem neſciat, Courayerum, (qui hodieque, niſi fallimur, in Britannis ſupereſt) iubente diva Carolina, Magnæ Britanniæ nuper Regina, ad vertendam denuo Francogallice Sarpii Hiſtoriam, imo ad illuſtrandam & limandam, ante annos admodum viginti acceſſiſſe, eoque labore perficiendo inſignem apud doctos laudem & gratiam retuliſſe. Has illius curas, in eundem ſermonem, quo uſus eſt Sarpius, hoc eſt Hetruſcum, transformatas hoc tempore videas. Omnino Sarpianæ narrationis ſuavitas, non minimam ab ipſo elocutionis genere partem trahit. Ergo Epiſtolam Courayerii ad Reginam, eiusdem ad Lectorem præfationem, animadverſiones omnes, denique concinnum de vita Sarpii commentarium, Hetruſce licet legas univerſa. Ceterum, nihil eſt in forma litterarum, nihil in chartæ probitate, a librariis curata, quod reprehendas. Adiunxerunt etiam in fronte operis ſcienter pictam Pauli Sarpii imaginem, viri ingenio, doctrinaque, ſed præcipue animo magno, & patriæ amantiſſimo, immortalis.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLVIII.

Pars I.

GERARDI GUILIELMI AB OOSTEN DE BRUYN, ICti, diſſertatio de progreſſibus, quos per ſolum rationis lumen in Ethices doctrina fecerunt mortales, qui revelationem divinam prorſus ignorarunt, quae XIII. Octobris MDCCLVII. LEGATI STOLPIANI praemium reportavit. Accedunt Anonymorum de eodem argumento diſſertationes tres: latine duae, tertia belgice conſcriptae.

Lugduni Batavorum 1758. apud Sam. & Ioh. Luchtmans, Alph. 1. plagulæ 13. quaternis.

Cum omnino difficile eſt, ſuum cuique rei pretium ita ſtatuere, ut illam non populari quadam trutina, ſed vera aurificis ſtatera examinaſſe videaris; tum de rebus ad litteras pertinentibus iudicare difficillimum eſt. Hoc vel ex eo facile intelligitur, quod multi, alias boni viri & acuti, in hoc ita lapſi ſunt, ut magis interdum miſerandi, quam irridendi videantur. Nihil attinet, in re manifeſta, multis, & ab inſtituta diſputatione alienis exemplis, uti. Multum noſtra ætate de Philoſophia veterum diſputatum eſt. De qua quam diverſa fuerunt hominum iudicia! quam inter ſe contraria! Alii eam amplecti, defendere, laudibus in coelum tollere; alii contemnere, vituperare, accuſare; pauci me-

dium quendam curſum tenere. Quod cum illi, quibus Stolpiani Legati cura mandata eſt, intelligerent, hanc propoſuerunt quæſtionem diſceptandam, *quos progreſſus* per ſolum rationis lumen in Ethices doctrina fecerint mortales, qui divinam revelationem *prorſus ignorarunt?* Quam cum quatuor viri præ aliis eleganter & acute explicuiſſent, dignos iudicaverunt eorum libellos, qui typis exſcriberentur. Quo quidem in certamine illud ſingulare eſt, quod cum, cui palma tribuenda eſſet, dubii hærerent ii, quibus erat iudicium commiſſum, res ad ſortem vocata eſt. Obtigit tamen præmium illi, cui iure debetur, nempe, *G. G. ab Ooſten de Bruyn*; ICto, in quo, præter probabile ſcribendi genus, magnam ingenii elegantiam, & acumen, atque animum inprimis ab omni partium ſtudio liberum, laudamus. In prooemio quidem huius libelli Auctor potiſſimum de eo diſputat, quod omnibus, quicunque recte de veterum doctrina iudicare cupiant, & faciendum & cavendum ſit. Primum igitur omnes noſtri ingenii nervos in eo intendamus, oportet, ut veritatem, quoad eius fieri poteſt, inveſtigemus. Nam ut & ineptum & improbum eſt, ea veteribus philoſophis affingere, quæ illis nunquam in mentem venerunt, (quod plerumque noſtra ætate, invidiane dicamus, an ignorantia? accidit,) ita vera de illis ſcribere valde eſt difficile. Quæ difficultas maxime inde oritur, quod vel nulli, vel pauci certe veterum philoſophorum libri ad nos pervenerunt. Quis maiori apud omnes eruditionis, ingenii, diſciplinæ fama floruit, quam Pythagoras? Ille litteram nullam reliquit. Hierocles autem, aureorum carminum interpres, etſi non a Pythagora, a Pythagoreo tamen, ſine dubio, conſcriptorum, ſeculo IV. p. C. N. vixit. Socratis Sermones, atque Ingenium, Plato immortalitati tradidit. Illum vero multa, quæ Socrates nunquam dixerat, ſcripſiſſe, nonne ipſe Socrates queſtus eſt? Quid de Speuſippo, Xenocrate, Zenone, Theophraſto, aliis, dicamus, quorum libros iniuria temporis nobis eripuit. Quorum interitum lubenter ferret erudita reſpublica, quid enim, niſi fortaſſe multa ſuavia ſomnia ignoramus? ſi modo tempus illorum libris pe-

per-

perciſſet, qui de vita ac familiis Philoſophorum ſcripſerunt. Deinde, quorundam veterum Philoſophorum doctrina tantis obſcuritatis tenebris abſcondita, & ænigmatum veluti integumentis involuta eſt, ut vix tam lynceus quiſquam ſit, qui tantis in tenebris non offendat, nusquam incurrat. Quis enim neſcit, non modo Pythagoram, (ſicut olim Scholaſticos, quanquam quid eos ſolos accuſamus? inſolentia verborum illud effeciſſe aiunt, ut oratio, quæ lumen rebus adhibere debuit, obſcuritatem & tenebras attulerit:) numeris & ænigmatibus ſpiſſam ſuæ doctrinæ noctem offudiſſe, ſed diſcipulos illius quoque mori, quam quidquam Pythagoricæ ſapientiæ eloqui maluiſſe? Denique, quoniam plerumque accidit, ut Philoſophi eos, a quibus vel in verbis quibusdam, quibus ipſi quaſi addicti & conſecrati ſunt, diſſentiant, gladiatoria iracundia inſectentur, & illorum famæ maculam quandam inurere ſumma ope nitantur: quis Philoſophis ubique fidem habendam eſſe cenſebit, quando de aliis male loquantur? Nihil tam impium eſt, nihil tam turpe, quod Cyrenaici ac Theodoriani vel dixiſſe, vel feciſſe, non dicantur. Tamen de iisdem, ob locum quendam Strabonis (L. XII. p. 927. ed. Amſt.) mitius ſentiendum eſſe cenſet Iſ. Caſaubonus. Quis maiori Democrito flagravit infamia, aut quis eſt veterum ſcriptorum, qui eum non accuſet? Accuſat Cicero, accuſat Ariſtoteles, Plinius, Sextus Empiricus, accuſant alii ita bonum Democritum, ut in eum quaſi coniuraſſe videantur. A quorum impetu præclare Democriti Theologiam Io. Conr. Schwarzius defendit. Deinde quoque ſummopere cavendum eſſe cenſet Auctor, ne nimio erga homines non Chriſtianos odio abducti, ea, quæ laudabilia apud illos reperiantur, in deteriorem partem convertamus, ut Tertullianus; nec, ſi quid magnum atque excelſum dictum factumque ab ethnicis, illorumque libris, magnitudinis animi, patientiæ, aliarumque virtutum exempla conſignata inveniamus, ſtatim hæc ſplendida peccata appellemus. At didicerunt, inquiunt, veteres illi Philoſophiam, tanquam artificium aliquod venale. Quid ſibi tam contrarium, quam illorum oratio vitæ ac moribus? Quis diſciplinam ſuam legem

vitæ putavit? Quis non oſtentationem ſcientiæ? Quis ſuis præceptis ipſe obtemperavit? Quibus accuſationibus docte ac copioſe Auctor reſpondet, & multa inprimis illuſtria virtutum exempla commemorat. His igitur præmiſſis, quomodo ipſam rem tractet Auctor, videamus. Totius autem diſputationis duo capita facit, quorum primo optima quæque morum præcepta ex veterum libris profert; altero vero, in quibus & hæſerint & erraverint illi, exponit. Atque tali ratione facile intelligi poteſt, quid ingenium hominis, non alienis viribus ſuſtentatum, perſpiciat. Diſtribuerunt autem veteres illi, qui primi Philoſophiæ ſtudium litteris illuſtrabant, omnem Philoſophiam in tres partes, in naturæ obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam & mores, (Cic. de orat. I. 15.) aut, ut Laertius dicit, *εἰς τὸ φυσικὸν, τὸ διαλεκτικὸν, καὶ τὸ ἠθικόν.* Atque hoc quidem per *τὸ περὶ τοῦ βίου καὶ τῶν πρὸς ἡμᾶς* explicabant. Unde tamen minime colligi debet, illam Ethicæ partem, quæ de hominum erga Deum officiis exponit, omiſſam eſſe a veteribus. Nam & Phyſicorum præ aliis eſſe putabant, ea, quæ ad Deum pertineant, docere; & ex aliis veterum locis apparet, minime hanc partem veteres ignoraſſe. Sic Plato: *ἡ μὲν (δικαιοσύνη πρὸς θεούς ἐστι,* inquit, *ἡ δὲ πρὸς ἀνθρώπους κ. τ. λ.* Senecæ vero hæc ſunt. (Ep. XC.). Huius opus unum eſt de divinis humaniſque verum invenire, — hæc docuit colere divina, humana diligere, & penes Deos imperium eſſe, & inter homines conſortium. Eſt vero, ut nemo ignorat, præcipua huius doctrinæ in Græcia a Socrate repetenda origo, qui iis, quæ ad coeleſtia pertinerent, omiſſis, (ita enim illa Ciceronis in L. V. Tuſcul. Diſp. devocavit Philoſophiam de coelo, intelligenda, non ut vulgo fit,) omnem operam in eo collocavit, ut, quod Seneca dicit, bona malaque diſtingueret. Verum non male Auctor exiſtimat, Græcos multum in hac doctrina ab orientalibus populis accepiſſe, a Magis, a Gymnoſophiſtis, a Druidis. Vixerunt etiam ante Socratem, qui in moribus conformandis elaboraverunt, ut Pythagoras, ut ſeptem illi Sapientes, qui ampliſſimam omnium artium, bene vivendi diſciplinam, vita magis

quam

Digitized by Google

quam litteris perſecuti ſunt, ut plurimi poetæ. Quorum tamen, cave, quemquam Homero anteponas, (de quo Auctor infra (p. 82.) quædam dicit,) qui profecto, in conſcribenda Iliade & Odyſſea, quidquid alii contra dicant, nihil ſibi aliud propoſuerat, quam ut doceret, ut corrigeret errorem mortalium:

Quid ſit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.

Id quod Boſſuetus, in elegantiſſimo libro, de carmine epico, & Horatius in Epiſt. II. L. I. demonſtraverunt. Celebrantur etiam multa ſapienter dicta a ſeptem illis Sapientibus, a Solone, Mileſio Thalete, Pittaco Mitylenæo, quæ hic repetere nihil attinet. Quid quod ante Pythagoram, in Italia, Numa Pompilius & ipſe bene de Deo ſenſit, & nihil prætermiſit, quantum facere enitique potuit, quin barbaros immaneſque Romanorum & Sabinorum animos præceptis ac legibus excoleret. Iam de ipſo Pythagora vix ſe certi quidquam dicere poſſe, Auctor fatetur. Illa enim aurea carmina, etſi Pythagoræ diſciplinam tradere uno ore omnes conſentiunt, & a Pythagoreo, Hierocle, copioſe explicita ſunt: tamen, quoniam & Hierocles, ut ſupra iam diximus, IV. Sec. p. C. N. vixit, &, ut ex ſcribendi genere quivis facile intelliget, procul dubio ſacros libros legit, atque etiam de magiſtrorum diſciplina non ſemper ex diſcipulorum ore iudicandum eſt, (notum eſt enim illud Socratis de Platone: quanta de me mentitur ille puer,). Vix igitur nobis illa aurea carmina tantam vim & auctoritatem habere videntur, quantam Auctor illis tribuit. Ait vero Auctor, dixiſſe Pythagoram, eſſe Deum ſolum ſapientem, eſſe æternum, corporis expertem, eſſe omnium rerum auctorem, nec homines ſolum, ſed Ηρωας & Δαιμωνας creaſſe. Sed operæ pretium erit, ut eo melius de Pythagoreis iudicare poſſimus, verba *Dacierii* (ex comment. de vit. Pyth. p. 61.) adſcribere, qui ſibi totam hanc rem explicandam ſumſit. En illa: Aiebant primo, ad verum cultum requiri, ut quis probe noſcat Deum, quem colat; deinde, ut ſe quam ſimillimum Deo reddere co-

 netur.

netur. Ita enim natura eſſe comparatum, ut, quem amemus, illum conemur imitari. Neque nos illum, qui nulla re indiget, honorare poſſe, quam modo, quo accipiamus beneficia, quæ nobis largiatur. — Unde illud præceptum Pythagoricum, Deum optime honoraveris id agendo, ut anima tua ſit imago Dei. Quicunque enim donaria offert Deo, tanquam illis indigenti, in errorem graviſſimum imprudens incidit, quo ſe maiorem potentioremque Deo credit. Hinc donariorum oblationumque & ſacrificiorum magnificentia Deo honorem non reddit, niſi adſit pius ea obferentis animus &c. Quibus ſimillima ſunt ea, quæ Plato in Alcibiade II. diſputat, & Auctor ex Th. Galei collectione Mythologicorum, Phyſicorum, & Ethicorum veterum affert. Dicebant quoque iidem Pythagorei, Deum non quæ agamus tantum, ſed quæ cogitemus etiam, noſſe, omnium rerum primordia a Deo eſſe capienda, malorum originem perverſitati eſſe tribuendam, animum eſſe immortalem. Quæ tamen communis fuit veterum Philoſophorum opinio, etſi, quis eam primus docuerit, dubitant eruditi. Explicabant denique Pythagorei, quæ parentibus, quæ cognatis, quæ amicis debeamus, ita ut, quid amplius ab homine, cui nondum divina lux affulſit, exſpectandum ſit, non videamus. Quæ quidem omnia huc adſcribere, nimis longum eſſet. Atque hæc de Pythagoreis. Horum ſimillimi ſunt, qui e Socratis & Platonis ſchola provenerunt. Nam in eo maxime elaborandum eſſe docebant, ut Deo ſimiles fiamus, ut nunquam animi ac morum curam deponamus. Deum eſſe corporis, mutationis, ac corruptionis expertem, perfecta omnium rerum ſcientia frui, omnium bonorum eſſe auctorem, omnia curare; piis denique ac iuſtis bene conſulere. Quid denique de immortalitate animi dicamus, quam in toto Phædone Plato docet, atque ita docet, ut nos ea legentes ſæpe optaverimus, ut hic homo, qui tam accurate omnia perpenderit officiorum momenta, vitam ad certam virtutis normam direxerit, de religione optime ſenſerit, atque illud tempus, quo animus, ab hac terreſtri labe ſejunctus, ſe cum puriſſimo coeleſtium

ani-

Digitized by Google

animorum coetu conſociaret, tam avide exſpectaverit, ut ne igitur hic Plato tanta ſpe deiectus ſit. Sed de his noſtrum non eſt iudicare. Affert hoc loco Auctor ex Phædone ea, quæ Plato de locis, quæ animus poſt mortem petat, diſputat, & quæ magis poetam, quam philoſophum decent. Atque etiam nos illa nulla prope alia de cauſa a Platone dicta eſſe putamus, quam ut animus lectoris, a graviſſimarum, quæ in illo dialogo tractantur, rerum cogitatione paullulum abducatur ac relaxetur. Ipſe Socrates, & ſe, & alium quemvis, certi aliquid de his dicere poſſe negat. Omnia contra ex vetuſta opinione hominum hauſta eſſe fatetur. His varia Auctor addit de Platone, cuius auctoritas quanta fuerit apud veteres ex eo intelligitur, quod plerique Philoſophi, etſi in alia erant hæreſi, Socratici appellari voluerunt, ut *Graevius* ad Offic. L. I. c. I. docet. Nos illud unum addimus, difficili ac ſcopuloſo loco verſari, qui ex Pythagoræ, Socratis, & Platonis Philoſophia, de viribus humani ingenii iudicent. Iam quod ad Pythagoram attinet, nonne illum iter in Aegyptum feciſſe conſtat? Aegyptios autem, homines diſcendi cupidos, Iudæorum religionem perſpectam & cognitam habuiſſe, inde colligimus, quod & Ioachas, rex, a Pharaone in captivitatem ductus eſt, & Ieremias atque Baruch per aliquot annos in Aegypto vixere. Nobis igitur admodum probabile videtur, multa Pythagoram de Iudæorum religione ab Aegyptiis accepiſſe, quæ deinde a Socrate ad Platonem, tanquam e manu in manum tradita pervenerint. Quid enim nos aliud per traditionem, cuius ſæpiſſime Plato mentionem facit, & quam ſacram appellat, intelligemus? Aut quid de illis Platonis locis dicamus, in quibus, ſive ſententias ſpectes, ſive verba, ipſos Sacros Libros expreſſiſſe videtur. Atque eiusmodi exempla, eaque bene multa, laudat Dacierius in vita Platonis, verſioni Gallicæ Platonis præmiſſa. Quemadmodum vero Platonem multa a Iudæis accepiſſe diximus: ita quoque Stoicos, qui p. C. N. vixerint, Chriſtianorum multa pro ſuis evulgaſſe, probabile eſt. De quo eſt elegans Bruckeri libellus. Putabant vero Stoici, ſummum eſſe bonum, ſecundum naturam vivere. Hic

illis

illis totius Ethices finis erat, huc omnia referebant. Quare Auctor hoc præceptum Stoicorum tam copioſe explicuit, ut, quæcunque ad hanc rem illuſtrandam pertinerent, colligeret. Quod ad Theologiam Stoicorum attinet, illud omne *Cicero* his paucis complexus eſt (L. II. de N. D. 1.): Primum, inquit, docent, eſſe Deos, deinde quales ſint, tum mundum ab his adminiſtrari, poſtremo eos conſulere rebus humanis. Hic vero difficilis, eaque multis controverſiis implicita oritur quæſtio, quid Stoici de providentia divina ſenſerint? Plurimi quidem graviter eos accuſant: auctor vero ex illo loco Senecæ, ille ipſe omnium rerum conditor ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur, ſemel iuſſit, ſemper paret, Stoicos ita defendit: dicunt, hanc legem a nullo niſi a Deo dictam, hunc iuſſiſſe quæ fieri deberent, deinde nihil mutaturum. Cui autem iubendi auctoritatem tribuis, eidem quoque iubendi, quæ velit, libertatem relinquendam eſſe res ipſa loquitur: ea autem e diametro contraria eſt eiuſcemodi neceſſitati, quam iniuria Stoicorum mihi videntur viri illi docti ſyſtemati intruſiſſe. Acuta vero vox, & veri rectique ſtudioſo digna! Quæ deinceps Auctor de aliis Stoicorum præceptis tradit, lubenter prætermittimus. Sunt enim & nota, & e Stanleio atque Bruckero facile peti poſſunt. Venimus nunc ad alteram huius libelli partem, ad ea nempe, quæ Auctor in veterum doctrina vituperanda cenſet. Primum vero veteres falſas quasdam & ridiculas imbiberant opiniones, de ſpiritibus minoris ordinis, quos deos, dæmonas, heroas appellabant, & quorum frequens eſt in ſcriptis Platonis mentio. Qui error, ut nobis videtur, forte inde natus eſt, quod, quæ antiquiſſimis temporibus homines de angelis acceperant, ea variis deinde fabulis ita deformaverunt, ut vix ullum veritatis veſtigium appareret. Atque in aliis quoque veteres lapſi ſunt. Solem ſomniabant & lunam, aſtra, deos eſſe, & iis divinos honores eſſe habendos. Quam ineptæ multorum fuerunt de Deo ſententiæ? quas Cicero non Philoſophorum iudicia, ſed delirantium ſomnia appellat. Quid vero de eo dicamus, quod plurimi, nam de omnibus, ut Auctor fecit, illud

lud vix affirmaverimus, æternitatem materiæ (ita interpretabimur verba τῆς πρώτης ὐσίας) crediderunt, & alii deos ludis & ſacrificiis flecti ac placari poſſe putaverunt? Unde graviſſimi ut orirentur errores, neceſſe fuit. Tranſeamus ad doctrinam de immortalitate animi. Eam, ut ſupra vidimus, omnes prope amplexi ſunt, ſi & Stoicos excipias, qui animos quidem poſt mortem ſupereſſe, ſed natura æternos non eſſe, dicebant; & alios, qui, Pythagoram ſecuti, μετεμψύχωσιν docebant. De qua tamen nos, licet Auctor aliter ſentiat, ſed ſunt iudicia libera, iis, quæ Dacierius & alii dixerunt, aſſentimur. Nam, ne ea, quæ a doctiſſimis viris dicta ſunt, repetamus, certiſſime nobis perſuaſimus, Platonem, (quem, quæ in ore plebeculæ de Cerbero, de Acheronte, de aliis erant, pro fabulis habuiſſe, ex aliis locis conſtat,) μετεμψυχώσει patrocinantem, non alia de cauſa hæc dixiſſe, quam ea, quam Strabo (L. I. p. 15. ed. Caſaub.) explicat. Ille enim: ὐ γαρ ὀχλοντε γυναικων, inquit, και παντος χυδαιυ πληθυς ἐπαγαγειν λογω δυνατον φιλοσοφω, και προκαλεσασθαι προς ἐυσεβειαν, και ὁσιοτητα, και πιςιν, αλλα δει και δια δεισιδαιμονιας. τυτο δε ὐκ ἀνευ μυθοποιιας και τερατειας. Quodſi vero, (nos enim non acriter de re pugnabimus, in qua diſceptanda probabilia coniectura ſequi debemus,) μετεμψυχωσιν veteres docuerint, recte Auctor omnem illos fructum, qui e doctrina de immortalitate animi percipi poteſt, ſuſtuliſſe iudicat. Neque enim Deo dignum eſt, hominem ob aliena peccata punire; neque homo, qui prioris vitæ ſcelera non recordatur, dignam flagitiis poenam ſubire videtur; neque etiam ea vita beata dici poteſt, in quam tam moleſta cadit mutatio. Cum igitur ethnici parum de Deo, parum de animo, parum de ſtatu animi poſt mortem, perſpectum cognitumque haberent, negari omnino non poteſt, ea quoque, quæ in Ethica viderunt, admodum lubricis fundamentis niti. Auctor hoc loco varia, ut de morte Socratis, de obſcura veterum docendi ratione, de inconſtantia, aliisque vitiis, atque de præſtantia Chriſtianæ religionis, addit. Hæc ſunt, quæ de priori libello dicenda putavimus, in quo nihil,

Digitized by Google

præter nimiam copiam, atque redundantiam non iniucundam, quod reprehendendum eſſet, invenimus. Veniamus ad alterum, qui, etſi non tanta rerum copia, atque veterum ſcriptorum cognitione effloreſcat, magnum tamen ingenii acumen, & intelligens, Auctoris, ſubiniqui interdum ethnicis Philoſophis, præ ſe fert iudicium. Eſt vero hic libellus in duas partes deſcriptus. Primum enim Auctor præcipua veræ Ethicæ capita commemorat; & deinde, quæ fuerint Philoſophorum de illis ſententiæ, exponit. Atque nobis hæc deſcriptio valde apta ad id, quod propoſitum eſt, efficiendum, videtur. Iam in ipſa Ethica definienda ſequitur Auctor Wolfium, cuius verba adſcribemus. *Ethica*, ſive doctrina de moribus, eſt diſciplina practica, docens homines modum, ita componendi actiones liberas ad legem naturæ: (Romani, qui, quoniam actiones componere de Iurisconſultis dicebant, v. Cicer. Ep. ad Att. VI. 1. hæc vix intelligerent; dicerent, ſecundum naturam, aut ex præceptis naturæ ita vivendi:) ut felicitatem conſequatur. Ex qua definitione quæ veritates eliciantur, videamus. Habeat Ethica hominis felicitatem ſibi propoſitam, eumque, qualis eſt, non qualis eſſe debet, conſideret. Exponat deinde, quæ ſit vera felicitas, quid ſummum hominis bonum. Atque hoc Auctor in naturæ perfectione collocat. Quis vero naturam perficit? Nempe is, qui animi bonis, ex naturæ præceptis, i. e. ita utitur, ut vitam integram & innocuam agat. Oſtendat porro Ethica viam hanc felicitatem ex voto conſequendi, atque adeo doceat, maxime curandum eſſe animum, ingenium excolendum, effrenatas cupiditates tanquam in gyrum rationis ducendas. Exponat denique Ethica de officiis erga Deum, erga nosmet ipſos, erga alios; vires addat, ſi poteſt, ea præſtandi, atque quovis modo ad eorum obſervantiam incitet. His dictis tranſit Auctor ad difficultates, quibus propoſita quæſtio implicita ſit. Nos, iis omiſſis, ad ipſam rem veniamus. Iam primum laudat Auctor veterum Philoſophorum de diſciplina morum merita, multaque eſſe ab illis ſapientiſſime dicta ac præcepta fatetur: eosdem vero, tanquam parum via & ratione in explicandis philoſophiæ decre-

decretis progredientes, parum perſpicue dicentes, vituperat. Quod nobis ſecus videtur. Primum enim nos veterum in dialogis docendi rationem, (quorum elegantiam quoniam vulgo homines non capiunt, veteres ordinem neglexiſſe clamitant,) & iucundiſſimam, & ea de cauſa laudandam eſſe cenſemus: quoniam veritas, ſi de rebus in utramque partem diſputatur, optime intelligi poteſt; atque ſingula ita explicantur, ut homines, alias in cogitando non valde exercitati, ea tamen perſpiciant. Nihil tamen noſtra defenſione opus eſt, cum Collega noſter, Erneſtius V. C. & in ſingulari libello de methodo mathematica, & in egregia illa, atque Ciceroni præfixa præfatione, ita veterum docendi rationem defenderit, ut nihil ſupra. De obſcuritate vero orationis caute accuſandum eſſe ſcriptorem, quivis, vel nobis non monentibus, intelligit. Nam ſæpe, quæ nobis obſcuriſſima videntur, ab aliis facili negotio intelliguntur & explicantur. Sæpe eadem, quæ nos non capimus, eo tempore, quo Auctor ſcripſit, ab omnibus intellecta ſunt. Atque, ſi vel in Theologicis & Phyſicis paullo obſcurior eſt veterum oratio, in præceptis tamen vitæ tradendis, Plato, Xenophon, Cicero, perſpicuo atque eleganti utuntur dicendi genere. In eo vero aſſentimur Auctori, quod in Philoſophorum doctrina de officiis hominis erga Deum, & erga ſe, reprehendit. Sed vehementer errat, cum illos modeſtiam, (humilitatem enim, ut Auctor dicit, non in virtutum, ſed vitiorum numero habebant,) commendaſſe negat. De ea Plato, in primo & quarto libro de Legibus, non pauca dicit. Quot quæſo ſunt apud Ciceronem loca, ubi amandos eſſe inimicos, illisque ignoſcendum docet; quod tamen a nemine veterum factum eſſe Auctor dicit. Illud vero haud negandum eſt, veteres, quoniam originem hominis, originem peccati, neſciverunt, in multis lapſos eſſe, ut in doctrina de animi morbis ſanandis, de acquirenda virtute, de diis placandis, de providentia divina. Quam ſi Epicurei negarunt, ſimul ullam e precibus utilitatem capi poſſe negarunt. Atque hoc loco diſputat Auctor de viribus humani ingenii, in immortalitate animi indaganda. De qua etiam eos, qui proxime ad veritatem acceſſe-

 rint,

Digitized by Google

rint, valde dubios fuiſſe cenſet. Quod cum omnino negari non poteſt, venit nobis in mentem dubitare, an firmum aliquod argumentum pro immortalitate animi ex ratione peti poſſit? Ea certe, quæ noſtra ætate a Philoſophis non tam inventa, quam aliis verbis expreſſa ſunt, & quorum Auctor in hoc libello mentionem facit, nobis non firmiſſima videntur. Nam ex eo argumento, quod a Dei iuſtitia petunt, præter immortalitatem corporis, illud quoque ſequitur, ut & eorum tantum animi immortales ſint, qui nullis vel ob ſcelera poenis, vel ob virtutes præmiis affecti fuerint; & animi poſt mortem aliquamdiu, non ſemper, permaneant. Firmiſſimum videtur argumentum, quod ex animi natura, quæ non dividi poteſt, depromitur. Sed fac animum non dividi, fac animum in partes interire non poſſe. Quid ſi in totum intereat? Contra illud denique argumentum, quod a cupiditate perpetua hominis deſumunt, multa poſſunt dici, quæ *Canzius* commemorat in Iurisprudent. Theolog. (p. 110.). Quare nos exiſtimamus, illam doctrinam de animi immortalitate, non inventam ab Ethnicis, ſed a Iudæis illis traditam eſſe. Nunc de reliquis, quæ Auctor in veterum Ethica reprehendit. Fuiſſe, ait, Philoſophos, qui animum, tanquam capite damnatum, morte multarint; defuiſſe illis auctoritatem & vires, amorem virtutis præcipiendi; neminem de Deo ita ſenſiſſe, ut omnia poſſis probare: fuiſſe quidem, qui, quam ridiculus eſſet deorum cultus, perſpexiſſent; eosdem tamen, non ſecus ac plebem, eum cultum diis exhibuiſſe; plurimos, non privatos magis, quam magiſtratus, omnibus vitiis deditos fuiſſe. Sed hoc omne nobis valde infirmum videtur, ad veterum Philoſophorum imbecillitatem demonſtrandam. Dabimus libenter, tum, cum maxime floreret Philoſophia, ſceleratiſſimos homines vixiſſe. Nam & Socrates, in ea urbe, quæ omnibus virtutum præceptis perſonabat, a ſceleratis iudicibus damnatus eſt; & Plato cum eo vixit, qui totam provinciam iniuſte oppreſſerat. Quodſi vero culpam in doctrinam Philoſophorum, nec in hominum potius pravitatem conferamus, quid de noſtris temporibus dicemus? Nonne omnia, quæ vel a

vitiis

vitiis deterrere, vel ad virtutes admonere & poſſint, & debeant, in medio poſita ſunt? Accuſabiſne vero de impiorum hominum, quorum certe non minor, quam olim, nunc copia eſt, vita, Chriſtianam religionem? His expoſitis, ſummam facit auctor cogitationum ſuarum, atque de tota re breviter ita iudicat. Cum ſummum hominis bonum, in nunquam impedito ad maiorem naturæ noſtræ progreſſum recte ponatur; homo vero non, niſi per virtutem, perficiatur: rationem apparet tantum ad veram hominis felicitatem conferre debuiſſe, quantum ad perfectionem per perpetuos in virtute progreſſus conferri debet. Docuit vero ratio tantum non omnia officia; docuit ſummi boni naturam, perpetuo tamen Philoſophorum diſſenſu obſcuratam; docuit maximam naturæ perverſitatem, etſi veras cauſas ignoravit; docuit unde auxilium petendum ſit, etſi quoque in hoc ultra probabile vix progreſſa eſt; excitavit denique hominem ad amorem virtutis, & illius præſtantia demonſtrata, & immortalitatis ſpe iniecta. In qua, fortaſſe aliunde arrepta, veriſimilia tantum ſequebatur. Atque ita perfecit ratio hominem. Quodſi vero nunc rationes ſubducere velis, facile, quanta ſit noſtri ingenii imbecillitas, intelliges. Atque hæc nobis de altero libello dicta ſunto. Videamus de tertio: qui tamen, prioribus & orationis copia, & acumine ingenii, longe inferior, vulgaria tantum quædam tradere videtur. Eius Auctor, poſtquam de inſtituti ratione pauca præmonuit, atque e veterum ſcriptis quædam pulchre & ſapienter dicta protulit, tandem, quæ ſint Ethicæ partes, exponit. Doceat, oportet, doctrina moralis, quis ſit noſtrarum actionum finis, quomodo illum conſequamur, quæ ſint, & unde petantur, beatæ vitæ auxilia. Nunc de ſingulis breviter. Iam de primo multum diſſentiebant Philoſophi, & in altero ob ignorantiam, unde orta ſit noſtræ naturæ perverſitas, quis ſit Deus, & quomodo ille placandus ſit, non recte verſari poterant. Hæc tamen, ut alia quædam, nollemus excidiſſent Auctori huius libelli. „Philoſophi, non modo huic ſceleri nefando (παιδεραστίας) auctoritatem tribuerunt, præconiis paſſim concelebrantes puerorum amores: ſed etiam

nullus fere ex iis exſtitit, qui huius ſceleris purus fuiſſet." Itane vero? Omnes ſe Philoſophi huius vitii turpitudine inquinaverunt?

Parcius iſta viris tamen obiicienda memento.

Quis unquam Ariſtotelem, quis Pythagoram, quis Zenonem de hoc ſcelere accuſavit? Nonne Cicero Epicureos, a quibus vehementiſſime diſſentiebat, viros probos & honeſtos vocat? (Tuſcul. Diſp. L. III.) Nonne Plato in L. I. & III. de Leg. vehementiſſime in hoc vitium invehitur? Audiamus reliqua. „Socrates ipſe fuit flagitioſiſſimus παιδεραστής; & ſi Platoni fides habenda ſit, hunc turpem amorem maximis extulit laudibus. Euge! ubi hoc tandem commemorat Plato? Lauda librum, verba recita. At nos tibi indicabimus locum, unde meliora diſcere poteris. Evolve L. I. Memor. Socr. c. 2. n. 29. „Me quidem non fugit, Socratem omni tempore ſuos habuiſſe defenſores, qui omnem navarunt operam, ut criminationem hanc ab ipſo depellerent: facile autem quoque demonſtrari poteſt, operam perdidiſſe eos, qui hoc negotium ſuſceperunt." Mirum vero! Quid eſt cur non demonſtres? Quin aliquid ſaltem profer! Nonne illud recordaris *Ciceronis*, (Orat. p. Coel. init.) aliud eſt accuſare, aliud maledicere: accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet; maledictio autem nihil habet propoſiti, præter contumeliam. Utinam tandem aliquando deſinant homines, ea, quæ lividiſſime imperiti quidam & indocti criminati ſunt, repetere, &, ut ait ille, bis idem dicendo, alio atque alio verbo augere atque exaggerare. Poſtulant vero ordinis leges, ut de tertio quoque, quod Auctor in Ethicæ partibus poſuit, videamus. Doceat Ethica, quæ ſint, & unde petantur auxilia beatæ vitæ, atque nos ad virtutem incitet. Quibus vero utebantur veteres argumentis? Conſilia potius, ſi ex Auctoris opinione iudicandum eſt, fuerunt, quam præcepta. Hoc ex iis, quæ Stoici de dolore ferendo præceperant, Auctor probare conatur. Tandem varia, de diſſenſu Philoſophorum, & de præſtantia Chriſtianæ religionis, addit. Nos autem miramur, quid ſit, quod hi viri, quorum libel-

Digitized by Google

libellos commemoravimus, nihil de Ariſtotele dixerint. De hoc multa diſputari potuiſſent; immo debuiſſent etiam. Nota ſunt enim illa Ciceronis (L. V. de Fin.): Omnium fere civitatum, non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ, ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas, a Theophraſto etiam leges, habemus. Ablegabimus igitur, ſi quis ea cognoſcere velit, ad Budeum & Thomaſium, qui de nævis Ethicæ Ariſtotelicæ ſcripſerunt. Duo tantum monebimus. Primum hunc Thomaſii libellum caute eſſe legendum. De eo nemo, qui iudicia viri, alias non indocti, de Longino, Virgilio, aliis, recordatur, dubitabit. Deinde in Ariſtotelis opinionibus diiudicandis, paullo maiorem cautionem adhibendam eſſe cenſemus, quam vulgo fit. Nam & quoniam Laertius, diligentiſſimus ſcriptor, quosdam Ariſtotelis non commemorat (L. V. ſ. 22.) libros, qui Ariſtoteli tamen tribuuntur; & ob multa alia, quæ Gaſſendus, (in exercit. paradox. adv. Ariſt. l. 1. exerc. 4.) copioſe enarrat, facile adducimur, ut Ariſtotelis libros tantum non omnes ſuppoſitos eſſe arbitremur. De quo fortaſſe alio loco & tempore diſputabimus.

INSTITUTIONES PATHOLOGIAE MEDICINAlis, Auctore H. D. GAUBIO.

Lugd. Batavorum 1758. apud Samuelem & Iohannem Luchtmanns Alph. 1. pl. 9. in 4.

Ars medica, noſtro ſeculo, & caſtius, & impenſius culta, Celeberrimo etiam GAVBIO non pauca accepta refert. Niſi enim iam aliis ſcriptis, ſumma iudicii acrimonia, diligentia maxima, & elegantiſſima dictionis puritate exaratis, locupletata ab eruditiſſimo AVCTORE eſſet, vel hoc uno opere contenta, haberet ſatis, de quo ſibi gratuletur. Quicquid enim recentiorum induſtria, de morboſa humani corporis conditione detexit, liber hic, mole parvus, at ingens materia, continet; nec in ſolis generalioribus, quæ plerumque exſuccum verborum ſceleton referunt, ſubſiſtit, ſed ad ſpecialiora quoque deſcendit. Præmittit igitur DOCTISS. AVCTOR pathologiam

giam generalem, cum introductione ad eam ipſam, in qua de diſciplina medica univerſim agit. Triplex eſt virium genus, mentis ſcilicet humanæ, corporis humani, & rerum ambientium, quo efficitur hominis ſanitas, aut morbus morsque infertur, prout lege naturæ humanæ conſentanea, conſpiraverint, vel minus conſpiraverint illæ vires. Et medicina quidem eſt ſcientia, & prudens directio virium earum, ad vitæ & ſanitatis a morbis & morte tutelam. Totum inſtitutionum medicarum ſyſtema dividitur in ὑγιεινὴν & ἰατρικὴν. Illa res naturales complectitur, hæc de rebus præternaturalibus tractat. Illa rurſus diſtribuitur in Phyſiologiam, Semioticam phyſiologicam, & Diæteticam; hæc in Pathologiam, Semioticam pathologicam, & Therapeuticam. Docet porro, artem medicam, qua theoriam, æque ac cæteras ſcientias phyſicas, certam eſſe, ſi quidem experimentis & obſervationibus, debita diligentia & fide collectis, ſuperſtructa ſit: in praxi tamen ſæpe mere coniecturalem evadere, & ob hominum diverſitatem nulla obſervationum vi exhauriendam, & propterea, quod medentes non modo communia, ſed cuivis etiam homini propria intueri oporteat, & quod in praxi non ſemper liceat in obſcuris rebus iudicium ſuſpendere, ſed ſæpe coniectura aſſequendum ſit, quod per ſcientiam ſat cito nequeat. At hoc fere omnibus ſcientiis ad praxin deductis commune eſt. Poſt hæc præmiſſa, ipſam pathologiam explicare inſtituit, ita quidem, ut de morbi natura, differentiis, cauſis & effectibus, agat. Morbum dicit ſtatum corporis humani viventis, quo fit, ut actiones homini propriæ non poſſint appoſite ad leges ſanitatis exerceri. Ut actionum integritas a ſanitate dependeat, nec tamen ipſæ actiones integræ dicendæ ſint hominis ſanitas: ita & actiones læſas morbum ſui cauſam agnoſcere, neque tamen decere medicum, læſas actiones dicere morbum, ſed ipſum illud, quod in ipſo corpore a naturali ſtatu aberret, inveſtigandum eſſe. Id quod cum ſæpe a ſenſu remotum lateat, magnam lucem affundere plenam notitiam actionum integrarum, & conditionum, quæ ad earum integritatem requirantur. Nam ſic comparando actionem integram

Digitized by Google

tegram cum ſuis conditionibus ad eandem læſam, innoteſcere morbum latentem. Hinc ſine cognitione phyſiologiæ cæcutire medicum; & quæ in illa admittentur dubia, erronea, ficta, ea redundare quoque in pathologiam. Lucem vero quoniam pathologiæ quoque affundat cognitio virium, quibus res, quæ geruntur ab homine, aut ei quovis modo applicantur, corpus mutent, & veritates mechanicus, phyſicas, & chemicas, hic apprime utiles eſſe, maxime tamen hiſtorias morborum, a doctis, ſedulis, & fidelibus obſervatoribus memoriæ proditas & collectas. De generali morbi notione monet, præſente morbo adeſſe quidem naturæ cum morbo certamen, artisque univerſæ ſummam ad naturæ obſervationem, imitationem, & directionem redire: attamen eam non eſſe generalem morbi definitionem, nec in omnes ac ſingulos quadrare. Quando morborum cauſæ inveſtigandæ ſint, hortatur medicos, ut in cauſis ſecundis non unice ſubſiſtant, neglectis metaphyſicis primisque phyſicis cauſis; ſed ut ne in iis quidem ulteriorem progreſſum conentur, quam qui felicius perficiendæ ſanationi conducat. Hinc neque in minutis cauſarum differentiis, a Schola introductis, inhærendum eſſe. Quapropter cauſarum diviſiones laudat ſolas haſce: 1) cauſam internam & externam; 2) *προηγουμένην* & *προκαταρκτικὴν*; 3) remotam & proximam. Quam cum alii ita explicent, ut hæc cum illa altera confundatur; taxat hanc confuſionem, & remotas vocat eas, quæ ſingulæ quidem aliquid conferunt ad morbum producendum, non tamen niſi coniunctæ totum producunt: proximam vero, quæ ex coniunctione omnium remotarum nata, ſola, integrum morbum ita conſtituit, ut indiſſolubili nexu cum eo cohæreat. Hæc igitur ut innoteſcat, reſolvi debet in ſimplices, e quibus compoſita eſt. Reſolutio ea fit curioſo ſcrutinio eorum, quæ morbum anteceſſerunt, ſive ante in homine exſtiterint, ſive ab extra nuper aut pridem acceſſerint. Has autem cauſas iure quodam vocari morborum principia poſſe, & ad duo ſumma capita referri, ſeminia ſcilicet morborum, & potentias nocentes. Seminia vocat diſpoſitiones quascunque homini inſitas, quæ fa-

 vent

vent morborum generationi, ſicubi acceſſerit potentia nocens analoga. Et hæc quidem ſunt aliorum prædiſponentia ſeu προηγȣμενα. Potentias nocentes vocat res quasvis, quæ morbos producere poſſint in corpore prædiſpoſito. Sunt aliorum προκαταρκτικα. In Symptomatum doctrina, præter illa ſymptomatum genera ab H. BOERHAAVIO in Inſtitut. Med. commemorata, illas naturæ cum morbo luctantis molitiones attentione dignas eſſe cenſet, easque vocat ſymptomata activa ſeu auxiliaria; qualia ſunt v. g. rerum ingerendarum appetitus aut averſationes, motus ſpaſmodici, convulſiones, circuitus humorum perturbationes, febres, exanthemata, abſceſſus, hæmorrhagias, vomitus, alvi profluvia, ſudores &c. His ſæpe ſanationes morborum fieri, arte inimitabiles. Ideo Medico practico valde neceſſaria eorum obſervatio ac diſtinctio, ne turbentur quæ turbanda non ſunt. Symptomata præterea in neceſſaria & non neceſſaria partitur. Illa vel perpetua & ſimultanea, vel temporaria eſſe, prout vel omni tempore morbi, vel certis tantum temporibus adſint. Neceſſaria utriusque generis ſuppeditare ſigna pathognomonica; a non neceſſariis igitur ſedulo diſtinguenda. Poſthæc indolem ſingulorum morborum explicat, & differentias quidem morborum eſſentiales, quæ ipſæ exhibent diverſas poſſibilium morborum naturas, diſtinguit ab accidentalibus, quæ adeſſe aut abeſſe poſſunt, natura morbi adeoque nomine non mutato. Ut vero morborum ſingulorum naturæ ſine erroris metu erui queant, ſimpliciores a compoſitis diſcernendos eſſe docet. Qui cum clare & perſpicue doceri non poſſint, niſi ex ſcientia Chemica, quædam de chemicis humani corporis principiis, cognitu neceſſaria, antea explicat. Conſtare ſcilicet corpus humanum ex humido & ſicco, exquiſite mixtis; humidum eſſe meram aquam, ſiccum vero triplex, vel inflammabile, vel ſalinum, vel terreum. Ab aqua dependere corporis mobilitatem, mollitiem, & flexilitatem: inflammabili deberi eius tenacitatem; ſalino aquam conciliari inflammabili; terreum vero toti machinæ baſin & firmamentum dare. Et hæc quidem in ſingulis partibus humanæ machinæ ineſſe, proportione tamen varia.

Poſt

Poſt hæc docte & latius expoſita, diviſionem morborum in morbos partium ſolidarum, & fluidarum, perſequitur. Et cum ſolidum a fluido diſtinguatur gradu cohæſionis, inde petendam eſſe primam morborum ſimplicium differentiam. Solidas igitur partes peccare vel rigiditate, vel debilitate. Debile autem, vel ſalva cohæſione nimis diſtrahi, recurſui impar; vel ruptum plane diſſolvi. Hinc duo morborum genera. Priori complectitur cel. Auctor laxum, iners, flexile; poſteriori tenerum aut gracile, fiſſile, fragile. Cauſa horum vitiorum ponitur in terrearum particularum contactibus iuſto parcioribus, nec ſat arctis. Rigidum ponit excedentem in ſolidis cohærentiam, eſtque vel tenax, vel durum, vel fragile vitreum, ab illo priori fragili ſpongioſo diverſum. Ab iſtis vitiis dependent innumeri morbi. Morbos autem illos ſpectari in ſolido tantum, qua ſolidum ſit, non qua ſimul ſolidum vivum. In hoc cum adſit humor tenuiſſimus, a contrectabili quovis diverſus, a quo pendeat vis vitalis, (quam definit per vim, qua ſolidum ad contactum irritamenti ſe contrahit, & cui duplicem facultatem aſſignat, alteram quaſi ſentientem, alteram movendi:) hanc vim duplici modo peccare poſſe, ait, aut torpore, aut irritabilitate. Irritabilitatem dicit ſolidi vivi tantam ſenſilitatem, ut levibus ſtimulis erumpat in motus enormes, quibus æquabilis functionum tenor perturbetur. Fontes huius vitii eſſe, delicatam ſolidæ compagis teneritatem: ſtrictam fibrarum tenſionem, mobiliore elatere comitatam: magnam ſenſuum agilitatem: acrem humorum tenuitatem: ſyſtema circulationis agitatius. Torpor dicitur imminuta vario gradu ſenſilitas, & ad irritamenta niſus in contractiones tam parvus, ut non ſufficiant iis producendis motibus, quos oeconomia ſalutis poſtulat. Fontes eius ſunt, rudior fibroſi craſſities, rigiditas tenax, laxitas & inertia, humorum craſis frigida, aquoſa, viſcida, terreſtris denſior, lentior per vaſa motus, ſenſuum & animi motuum tarditas. Hi ſunt morbi ſolidorum ſimpliciſſimorum. Sequuntur morbi ſolidorum continentium, ſecundum doctrinam receptam quidem, ſed docta & utili ratione expoſiti: quos excipiunt morbi ſolidorum inſtrumentarii, in quibus de-

demum continui ſolutionem tanquam morbum adducit, cum in fibra ſimplici ſolutio continui ipſam ſolidi ideam tollat. Neque in his aliquid occurrere deprehendimus, quod Cel. AVCTORI proprium, niſi hoc, putemus, quod omnes morbos huc pertinentes, ſpecialisſimos etiam, attigerit. Fluidorum morbi ſunt vel abſoluti, vel relativi; prout fluida vel in ſeipſis ſeorſim, vel comparate ad partes ſolidas, ſpectantur. Et primo quidem, qua Cohæſionis gradum, fluida aut tenuitate, aut tenacitate peccant. Prius vitium debetur redundantiæ partis aquoſæ; alterum exiſtit, ſi terra & phlogiſton abundant. De ſphærica molecularum figura A. dubitat, an ad leviorem cohæſionem diſponat. Tenuitatis vitium ponitur duplex, alterum, ſi mera pars aquoſa redundat; alterum, ſi ſimul acre adiunctum ſit. Acrimoniæ varia explicantur genera, doctrinæ Boerhaavianæ concordante ratione, ſic tamen, ut ubique cauſæ & effectus ſimul exponantur. Putrefactum, ait, ab acri alcalino diſtinctum eſſe admixtione oleoſi corrupti. Præter iſta vitia etiam commemorantur morbi humorum ex ſeceſſione particularum, ubi nempe pars aquoſa, cum craſſiore ſanguinis parte non ſat arcte cohærens, inde facile ſecedit, e corpore elabitur, & craſſam in eo relinquit. Et hæc quidem ad omnes humores pertinent. Præterea vero dantur quoque vitia humorum ſingularium, v. c. chyli, cuius vitia fere eadem recenſentur cum iis, quæ in humoribus univerſis reperiri modo diximus. Sanguinis vitia expoſiturus, eius ex vena miſſi ſibique relicti phænomena contemplatur, & ſpiritum, ſerum, partem rubram, ex oleo & terra ferruginoſa conſtantem, denique materiem fibroſam reperit, maximamque ſanguinis ſimilitudinem cum lacte eſſe, adeo, ut ſanguinem lac rubrum, lac vero ſanguinem dicere posſis, aſſerit. Vitia cuiusque partis ſanguineæ, utili modo ex præmisſis deducta, in compendium cogi vix patiuntur. Inter ſuccorum ſecretorum vitia præcipuum eſt, cum pars terreſtris ab aquoſa nimis facile ſecedens concrementa calculoſa gignit, quod in urina & bile frequentius contingit. Relativi humorum morbi ſpectantur in peccante vel quantitate, vel loco, vel motu. Quantitatis peccantis

cantis vitium illud, ubi univerſa humorum maſſa, vitio abſoluto carens, ultra modum exſuperat, ita ut turgens oneri ſit turbetque functiones, A. vocat πολυχυμίαν, vitium vero contrarium ὀλιγοχυμίαν. Utriusque idea, in ſtatu infantiæ & ſenii, naturalis reperitur. Plethoræ ſpecies plures adducit, ſcilicet ad vaſa, ad ſpatium, ad volumen, ad vires. Huc etiam obeſitatem refert, etſi diverſam a plethora fatetur. Fluida loco aberrantia ſingulari attentione digna eſſe cenſet: & errorem quidem fluentium vocat, quando ſuccus corporis inquilinus, e ſuis in aliena vaſa delatus, hæc præter naturæ ordinem permeat, tanquam ſi propria ſibi forent, nullo tamen ceterum obſtructionis, effuſionis, excretionisve vitio accedente. Exempla exhibet ſanguis motu accelerato in vaſcula minora pulſus; pingue in ſanguinem raptum; bilis in ſanguinem effuſa, &c. Errorem impactorum vocat, ubi liquor in canalem alienum delatus, nec permeare potens, impactus, cavitatem illius natura anguſtiorem obturat, ſibique & aliis deinceps appulſis tranſitum negat. Naſcitur ex modo dicto vitio. Alius error eſt excretorum, v. g. in diabete, mictu cruento, &c. alius iterum error effuſorum, qui valde multiplex, v. g. in echymoſi, hydrope, emphyſemate, &c. errorem autem nutrimenti dari negat. Motus vitia in humoribus, ſpectantur vel in motu inteſtino, ubi quidem ſæpius ea exiſtere, ſed vix verbis declaranda; vel in motu progreſſivo, ubi vitia magis manifeſta ſunt, & referuntur aut ad nimiam velocitatem, aut ad tarditatem, aut ad directionem abnormem. Et his quidem morbis ſimplicibus pertractatis, tranſitus fit ad compoſitos; ubi quidem triplex compoſitio locum invenit. Aut enim morbi ſolidorum ſimplices inter ſe, aut humorum morbi inter ſe, aut utrique varie componuntur. Cum vero & numerum poſſibilium combinationum inire arduum ſit; nec præterea naturæ morborum ſat liquido oſtenſæ ſint, ut methodo ſynthetica expediri ea res poſſit: ſequendos eſſe iudicat eos, qui morbos compoſitos, tanquam totidem diverſas ſymptomatum concurſiones, ad locum de ſymptomatibus relegant. Neque accidentales morborum differentias A. hic loci commode exponi

poſſe putat. Itaque explicationem potentiarum nocentium nunc ſubiungit, quæ ſunt notiſſimæ illæ res non naturales aliorum. Illarum autem triplicem eſſe fontem, ſupra diximus: mentem, corpus, res externas. Omnia, quæ huc pertinent, qua titulos, nemini ignota, tanta ſolertia A. pertractat, ut ea legiſſe neminem poenitere queat. Compendium natura rei non admittit; hinc lectores ad ipſum Auctorem ablegamus. Notamus ſolummodo, peculiari ſectione expoſitum incongruum remediorum uſum; alia vero de venenis, miasmatis noxiis aerem inficientibus, contagionibus, ſed tantum generaliter, actum eſſe; & rurſus aliam complecti damna ex poſituris & motibus ſingularibus, v. c. ſtatu, ſesſione, decubitu, ſubita & violenta muſculorum contractione, diu continuata &c. His denique cauſis procatarcticis ſubiungit cauſas prædiſponentes, quas vocat ſeminia morborum, & in tria genera digerit, ut ſint alia ſeminia morborum naturalia communia, v. c. ſolidorum cohæſio & nexus non inſuperabilis, ſuperficies meatibus undique patens &c. alia naturalia propria, v. c. ætates, ſexus, temperamentum, idiſyncraſia &c. alia, quæ ſunt præter naturam, v. c. diatheſes hereditariæ, ſolidorum debilitas, rigiditas, irritabilitas &c. Peculiari ſectione de iſtarum cauſarum differenti conſtitutione diſſeritur, & qui earum concurſiones variæ morbos pariant, oſtenditur. Tandem hanc de cauſis doctrinam claudit elegans diſputatio de viribus naturæ medicatricibus, quarum effectus fere hi ſunt: nutritio deperditi, alienorum asſimilatio, coctio materiæ morboſæ, ſuppuratio, conſolidatio vulnerati, fracti &c. excretiones illæ per hæmorrhagias &c. febris, partium conſenſus, aliique plures. Quæſtionem, an illi effectus machinæ, an menti, an utrique tribui debeant? a Pathologo in medio relinqui poſſe recte iudicat. Doctrinam de ſymptomatibus ita ordinavit, ut primo de qualitatibus ſenſibilibus alienatis; dein de excretorum & retentorum vitiis; tandem de actionibus læſis, plene & accurate exponeret. Sermone denique de accidentalibus morborum differentiis, perutili & perſpicuo, librum hunc, vix ſatis laudandum atque commendandum iis omnibus, qui artem medicam exercent, finiit.

CA-

Digitized by Google

CASTI INNOCENTIS ANSALDI, ORDINIS PRÆdicatorum, de futuro ſeculo, ab Ebraeis ante captivitatem cognito, adverſus IOANNIS CLERICI cogitata, Commentarius.

Mediolani, in regia curia, proſtat apud bibliopolam Ioſephum Bonacinam, plag. 17. in 8.

In hac commentatione Cl. Auctoris propoſitum eſt, Clericum impugnare, qui in *biblioth. antiqua* & *moderna* T. V. itemque aliis ſcriptis ſuis, adſeverare nullus veretur, quia in V. T. oraculis non expreſſa fiat mentio vitæ æternæ, ideo Ebræis omnibus, ad Haſſamonæorum tempora usque, futurum ſæculum ignoratum fuiſſe: de quo tamen cum Græcorum ſapientes aperte loquerentur, ad Homerum atque Platonem Eſſenos atque Phariſæos ſe recepiſſe, indeque hoc conſecutos eſſe, ut de animorum immortalitate, extremis temporibus reipubl. quædam, licet obſcurius, proferrent. Argumentum dignum omnino, quod enucleatius excutiatur, ut ita oraculis veteris foederis ſua perfectio, quod ad gravisſimum hunc articulum, fidei atque ſpei credentium veteris oeconomiæ ſua conſtet dignitas; quod ipſum ex Germanis noſtris iamdum occupavit, & ſolide pertractavit defunctus hoc anno Helmſtad. Theologus, *Chriſtophorus Timotheus Seidel.* Antequam arcem cauſſæ tangat, recte præmonet, inter fundamenta religionis antelegalis, moſaicæ, & chriſtianæ, hoc merito referendum eſſe: animas hominum poſt fata ſupereſſe, & hac ſpe inniti foedus, cum Adamo, Noacho, & Abrahamo, divinum; adductis eum in finem verbis cl. *Mayeri*, de *recordatione animae humanae.* His præmisſis, (1) argumentum ducit ab idea iuſtitiæ, Ebræorum mentibus altius infixa, ſecundum quam certo ſibi perſuadebant, Deum unicuique olim ſecundum opera ſua redditurum eſſe. (2) Ab ipſorum republica, qua perfectior vix aliqua cogitari queat, quæ ſine religione, quæ futuræ vitæ cognitionem ſecum ferat, conſiſtere non potuerit. Qua occaſione *Calmetum* refutat, ſtatuentem, *in religione Iudaica, poſt captivitatem, dogmata, de immortalitate animae, & exiſtentia*

ſpi-

Digitized by Google

ſpirituum, minoris momenti, nec, ut vocant, fundamentalia habita fuiſſe, & rectam ordinatamque rempublicam ex atheis conſiſtere poſſe. Idem demonſtratur (3) ex indole religionis Ebræorum, quæ in amore Dei tota vertitur: ſed vero abs ſe impetrare non potuiſſent, amare illum, quem ſuum vix fieri poſſe putaviſſent. qua ſine ſpe miſeri fuiſſent dicendi; quo modo argumentatur Paullus 1 Cor. XV. & quanta fiducia futura mentibus ſuis præceperint, adparet ex Ebr. XI. (4) Ex ſepultura demortuorum, quæ teſtetur, Iſraelitas opinatos fuiſſe aliquid noſtri poſt mortem remanere, cuius intuitu vita functorum corpora honore aliquo dignari conveniat. Producit A. eum in finem quædam ex *Cicerone.* Addit interdictum de *inciſura ſuper mortuum*, Lev. XIX. & Deut. XIV. oppoſitum luctui gentilium, ad effuſionem usque ſanguinis, ſpem futuræ vitæ non habentium. (5) Clericum propriis laceſſit armis, Iſraelitas, ſubinde ad idololatriam propendentes, animorum immortalitatem teſtatos fuiſſe, cum, ex ipſius ſententia, idololatria initium duxerit ab Angelorum cultu atque ἀποθεώσει; de animabus autem regum atque heroum cenſebant gentilium Philoſophi, ipſas in corpora cælo demitti, horumque compage ſoluta, ad proprias remeare ſedes. (6) A divinatione, ſpeciatim νεκρομαντεία, quam inter Iudæos viguiſſe, indicio eſt res, quæ vetulæ Endorenſi cum Saulo interceſſerit; itemque leges huic oppoſitæ Deut. XVIII. Sed animæ evocari minus potuiſſent, niſi corpori demortuo ſuperfuiſſent. (7) A continua propagatione huius doctrinæ, ductæ inde ab antiquiſſimis temporibus. Quæ Zoroaſtres apud *Hydium & Prideauxium* de futuro ſæculo habet, illa ex Iudæorum ſcriptis maxima ex parte hauſit. His argumentis prolatis & probatis, accedit A. ad id, quod *Clericus* poſuerat, Iudæos, Haſſamonæorum ætate, apertiſſimam ſæculi futuri cognitionem atque fidem habuiſſe. Oſtendit hoc ex ſermone ſeptem fratrum, matrisque, ſupplicia forti animo perferentium 2 Maccab. II. coll. I. Macc. I. 1. Quæ ipſorum ſpes orta videtur omnino ab exemplo, ſive exſpectatione eadem veterum Ebræorum, quod liqueat ex oratione, qua Mathathias compellavit filios 1 Maccab.

Digitized by Google

cab. I. 2. Quam doctrinam atque ſpem a maioribus ſuis, non a gentilium philoſophis accipere potuerunt, quorum ſententia de futuro animorum ſtatu aut incerta, aut alia diverſaque prorſus erat. Prius A. ex eo probat, quoniam primores Graeci philoſophi fere omnes in Academia fuere verſati, hi autem ἀκαταληψίαν rerum pæne omnium inculcabant, & cum res, quæ ſenſibus obiiciuntur, a ſe percipi minus poſſe adfirmarent, multo magis de futuro ſæculo, de animæ ſtatu, in incerto fluctuarunt. Ab his igitur Ebræorum ſapientes, certam futuri ſæculi opinionem, nullo modo mutuare potuerunt. Fuerunt quidem philoſophorum aliqui, qui ſententiam ſuam de futura animæ ſorte declararunt; ſed talis illa eſt, ut cum Haſſamonæorum dogmate nulla ratione conveniat. Provocat quidem Clericus ad *Pauſaniam*, Meſſeniacorum L. IV. *Chaldaeos & Indorum Magos primos dixiſſe, immortalem eſſe hominum mentem.* Verum ex *Stanleii* hiſt. philoſ. P. XII. Sect. I. c. 10. adſtruit A. illorum mentem a ſententia Maccabæorum multum abfuiſſe, adiunxiſſe ſc. animæ vehiculum aliquod, ὄχημα, in quo corpuſculo cum tempore purificetur. *Stoici*, *Platonici*, itemque Pythagoræi, de animi natura, ac poſt mortem conditione, ita diſſeruerunt, ut aliam prorſus a noſtra immortalitatem eiusdem inferrent. Speciatim Stoici ſtatuerunt, animos prorſus perire, & ſi quidem bonorum ac egregiorum virorum animos ſupereſſe adfirmarent, *perſonalitatem* tamen ſuam amittere putaverunt, cum in animam mundi refunderentur. quod pariter de *reſurrectione* eſt dicendum, ubi ordo rediret, quem ſtatuerunt; quod teſtimoniis *Senecae* probatur. Concludit hinc A. Iudæos Haſſamonæorum tempore ſciviſſe futurum ſæculum, iudicium ac boni retributionem, ex veteri doctrina & traditione, inde a patribus ad ipſos propagata fuiſſe: quod vero ſubinde *Plato*, & alii philoſophi, de his ipſis ſint locuti, id ex hoc fonte profluxiſſe. Inde quædam A. interſerit, quibus obviam procedit iudiciis illorum, qui de ipſius libro de *naturalis legis principiorum traditione* quædam monuerunt: de iis, quæ nobis obvertit, deinceps dicemus. Patres, de futuro ſæculo, de præmiis ac poenis futuræ vitæ, paſſim multa e

Digitized by Google

gentilium ſententia, quæ per traditionem ad ipſos tranſierit, habere, contra *Eduardum Cherburium* diſputat. Qui ratiociniis nituntur, illi ſæpe falſa ponunt principia, vel ex illis conſecutiones efficiunt, quæ a veritate diſcedunt: tutius igitur eſſe, confugere ad univerſalem humani generis conſenſionem. Probat hoc doctrina de animorum immortalitate, quam ultra humanæ mentis vires poſitam eſſe non negent præſtantiſſima noſtri temporis ingenia: exemplis gentilium philoſophorum, peregrinas terras adeuntium, quo, quæ ibi tradebantur, animo complecterentur, & poſtea cum aliis communicarent: teſtimoniis denique philoſophorum antiquorum, ad doctrinam atque traditionem maiorum provocantium. Denique, veræ hiſtoriæ indicium eſt, ſi iisdem de rebus eadem omnes dicant, atque conſentiant: unde infert A. *veritatis*, futuræ puta vitæ, illam ipſam omnium conſenſionem certiſſimum indicium eſſe poſſe. Sed hæc vel maxime ſpectant ad defenſionem doctrinæ, in libro modo memorato propoſitæ. Regreditur hinc ad argumentum, quod tractandum ſumſit, docens, populum Iudaicum, dogma illud a gentibus, ab ipſorum ſocietate alienis, poſt captivitatem mutuare non potuiſſe, ſiquidem illo tempore Iudæi apud omnes nationes in magno eſſent odio, & ipſi profana haberent, quæ paganis ſacra iudicabantur. Adhæc opinio de immortalitate animorum apud philoſophos gentiles nutare incipiebat: ab his igitur doctrinam hanc, itemque de futuro ſæculo, habere non poterant. Hæc autem doctrina labefactari coepit, a quo *immaterialitatem animae* docere inſtituerunt; qua obtinente conſequi videbatur, inferos eſſe nullos, nec ſedes beatorum concipi poſſe, cum, quod carerent materia, nihil perſentiſcere putarentur. Secuto tempore quidem Iudæi ad philoſophiam animum appulerunt, ſed illam Alexandrinorum, quæ ex diverſis philoſophorum ſyſtematibus erat conflata: ubi igitur animæ poſt interitum corporis ſortem definire ſunt adgreſſi, ipſorum opinio a Spinoſiſmo vix fuit diverſa. Hinc dilabitur A. ad Iudæorum Sectas, quarum placita ex *Ioſepho* refert. Phariſæi, ſiquidem deinceps μετεμψύχωσιν Pytha-

thagoræam admiſerunt, ei tamen dogmati, ubi Chriſtus vitam inter Iudæos egit, fidem non habuerunt, potius ſperaverunt ſe reſurrecturos eſſe, ad Sabbata, & ad feſta, iterum in pace, gaudio, & gloria, Hieroſolymis cum Meſſia celebranda. quæ ſententia cum illis, quæ Chriſtus adverſus Sadducæos diſputat Matth. XXII. commode componi queat, qui idem error ſit Chiliaſtarum. Sed requirit Clericus loca diſerta V. T. quorum nullum proſtare audacter negat. Miratur eruditiſſimus Auctor, qui fiat, ut locos V. T. deſideret, cum in Novi Foederis libris diſerta de ſpe patrum habeamus teſtimonia, ipſos meliorem vitam exſpectaviſſe, ut Ebr. XI. 13 - 16. Non quidem illos adeo perfectam elaboratamque vitæ & futuri ſæculi ideam habuiſſe largitur, quin multa ipſis per umbras bonorum corporalium repræſentata fuiſſe, quæ longe aliter ſe habeant in N. T. ſciviſſe tamen eos, quæ ad eſſentiam atque ſubſtantiam dogmatis, de permanentia animæ poſt mortem, de iudicio, atque de retributione ſpectant; licet non omnes illas doctrinas, quæ his coniunctæ ſint, cognoverint. Num priſci Iudæi immaterialitatem animæ crediderint, A. dubius hæret, cum voces נפש, נשמה, רוח, non tam rem corporis expertem, quam eſſentiam corpoream exprimant; quæ cauſſa fuerit, cur patrum aliqui, potiſſimum *Tertullianus*, animæ materiam adſcripſerint, atque hodierno adhuc die vehiculum aliquod eidem tribuant recentiores philoſophi. Hæc etiam fuiſſe videtur opinio diſcipulorum Chriſti, quibus cum Chriſtus redivivus appareret, exiſtimabant *ſe ſpiritum videre*, Luc. XXIV. 37. atque anus illa exclamat, *divum vidi aſcendentem e terra*, 1 Sam. XXVIII. 13. Sed num ex opinione nonnullorum, dubia & incerta, argumentum ſumi queat, merito ambigimus. Item, potuiſſe credere dogma futuri ſæculi, ſine doctrina reſurrectionis humanorum corporum. Ut in pentateucho & ceteris V. T. libris, catecheſis, vel corpus doctrinæ integrum, ordine diſpoſitum, contineatur, neceſſe non eſt; cum hoc ne quidem de N. T. dici queat. Neque tamen dici poteſt, ullam veritatem, ad ſalutem neceſſariam, manifeſtatam non eſſe; licet illa pro temporis ratione non ita fuerit evoluta, inque

Digitized by Google

clara luce collocata. Poſtulaverat, quod modo notavimus, Clericus, loca clara & evidentia: quare A. in medium profert locutiones, in volumine librorum Moſis frequentes ſatis, *congregari ad populum ſuum, pergere ad populos ſuos, ire ad populum ſuum, iungi* & *adponi populis ſuis.* De voce שאול iudicat, enatam eſſe illam ex obſcuriſſimis gentilium imaginibus, qui, cadentibus in terram corporibus, iisque humo tectis, ſub terra cenſebant agere vitam mortuorum. Qua occaſione cum quædam notaſſet A. de ratione eruendæ poteſtatis vocum apud Ebræos, in ſubſidium vocatis profanis ſcriptoribus, multa congerit loca, in quibus de ſtatu mortuorum in locis ſubterraneis agitur. Ieſ. XIV, ad illam veterum opinionem, de mortuorum ſtatus ſtilo prophetico & emphatico deſcribitur. Refutatur *Richardus Simonius*, exiſtimans, Ebræis non fuiſſe olim nomen beatorum ſedibus denotandis aptum; vocem פרדס perſicæ eſſe originis, & terreſtrem hortum primo ſenſu deſignare. Sed notat reverendus *Anſaldus:* (1) poſſe vocem a communi uſu traduci ad ſenſum arcaniorem, atque hanc ipſam de beatorum ſedibus, in epiſtola ad Corinthios, & in Apocalypſi accipi. (2) Veteres ex regionibus, ſive nominibus locorum, amoenitate præſtantium, aut turpitudine infamium, regionibus atque ſubterraneis vita functorum locis indidiſſe nomina; quod exemplis atque teſtimoniis comprobat. Examinat ſententiam *Cherburii* c. XV. de religione gentilium, improbantis, loca ſubterranea, & concamerationes ſubterraneas, quæ a ſcriptoribus gentilibus, ſpeciatim poetis, adpellantur. Pergit hinc ad illa loca Moſis, quæ intelligi non poſſunt, niſi hanc animo noſtro concipiamus ideam, poſt hanc vitam, aliam, eandemque præſtantiorem dari. Henochus dicitur *ambulaſſe cum deo, & non amplius fuiſſe* (ſc. cum vivis,) cum Deus ipſum tranſtulerit; ut hinc iſta ſancta converſatio ſpectari debeat tanquam antecedens, vel cauſſa perpetuæ cum Deo in proximiore commercio vitæ, quæ, niſi ſeculum futurum admittatur, concipi nequeat. Num vero per *nomen* Gen. XI. ſit intelligendum nomen æternum, non quærendum in terra, ſed in cæleſtibus ſedibus, qua notione etiam

in

Digitized by Google

in ſomnio Scipionis veniat, merito ambigimus. Eiusdem commatis ſunt, quæ ex verbis Pſ. CXXXIX. 10. adduntur, *& tenebit me dextra tua.* Aliquanto melius huc referuntur verba Dei ad Moſen Exod. XXXIII. 20. *nam non videbit me homo, quamdiu vivit:* ut ſic negetur quidem, fieri poſſe, ut homo, dum in hac vita verſatur, Deum videre queat, ſimul vero adfirmetur, in altera vita id eventurum, ubi ad glorioſi vultus Dei adſpectum admittemur. Idem probatur ex Pſ. XVII. 15. XXVI. 13. CXVI. 9. nomine vitæ enim, ſtatus ille felix poſt hanc vitam venit 1 Sam. XXV. 29. De Pſ. LXXIII. Clericus pronuntiaverat, continere tantum querelas de calamitatibus huius vitæ; videri autem de futura animorum immortalitate addubitare. Contrarium evincere ſatagit Noſter ex v. 20. בעיר צלמם תבזה, quæ ita παραφράζει: *verum & in caeleſti tua, in qua regnas, civitate, ipſam eorum efficies exſecrabilem praeſentiam*, adeo ut, quod poetis familiare eſt, *umbra* ponatur pro parte hominis in altera vita ſuperſtite. Ultimum, quod Clericus ſuæ obvertit opinioni, eſt, Deut. XXVIII. contemtoribus legis intentari dira quævis, obſervatoribus eius fauſta & fortunata omnia, futuræ vitæ bonis atque malis ſilentio prorſus prætermiſſis: aliter feciſſe ſapientes rerum publicarum legumlatores, qui docuerint, præmium, quod illos maneat, qui legibus obſecundent, cum vita hominis non terminari; cuius ratio non alia dari queat, quam quod tum temporis vita æterna Ebræis ignota fuerit. Sed vero obiectionem hanc ex proceſſu orationis c. XXX. 20. dilui poſſe A. contendit, in quo vita, ſpem immortalis vitæ deſignet. Sub finem huius ſuæ commentationis quæſtionem diſcutit: *num lex vetus induxerit homines ad obedientiam praeceptorum per temporales promiſſiones & comminationes tantum, an vero per futuras etiam & aeternas?*

Liceret iam pedem figere; quoniam autem rev. Auct. quædam regerit ad ea, quæ in recenſione librorum ipſius *de principiorum legis naturalis traditione*, in his noſtris Actis a. 1745. m. Oct. p. 586. & 591. in medium attulimus, non poſſumus, quin aliqua adiiciamus. Spectabant monita noſtra tum *ſtilum*, tum *argumen-*

 tum.

Digitized by Google

tum. Ad Stilum quod attinet, notabamus, illum non ubique ſibi eſſe ſimilem, aliquando ſoloeciſmorum & barbariſmorum ſordibus eſſe foedatum. Excuſationem Auctoris accipimus, eloquentiam a philoſopho, *Cicerone* iudice, non admodum flagitari. Novimus, quæ hac in re philoſophis venia ſit danda, nec facile id monuiſſemus, niſi ſcriptionem ſuam ad priſcorum morem accommodaſſe voluiſſet videri, qui, dum argumentum aliquod ordine, perſpicue, ac ſolide explanarent, etiam aliquas partes dictioni dabant, ut cogitata ſua caſte ac emendate proferrent. Adhæc poteſt aliquis pure loqui atque ſcribere, ut in linguæ indolem non incurrat, qui tamen propterea nondum eloquens dici debet. Principium iuris naturalis A. poſuerat in *traditione:* obſervaveramus, potiores eſſe rationes eorum, qui illud ex principiis nobiſcum natis arceſſunt. Concedit id quidem Noſter, ſi relatio habeatur *praeceptorum legis naturae*, ſive *legis ipſius naturalis, quae ipſa in ratione & natura poſita ſint*, adeoque principia appellari queant, *ſed ſecunda, & ex aliis orta.* Ab his autem diſtinguit *altiſſima & primaria, ex quibus cetera conſtare poſſint, & quorum comprehenſione mens noſtra partes omnes devinciat, momenta cuiusque veritatis ponderibus ſuis examinet, adverſaria evertat, conſectaria quaelibet eliciat:* hæcque *praeconcepta magis eſſe, & traditione perpetua haberi.* Fatemur, nos tanta ingenii & iudicii acie non eſſe, ut, quid A. verbis his velit, ſatis intelligamus. Præcepta legis naturæ ex ratione haberi poſſe adfirmat: ſed vero ut illa mente complectamur, veritatis momenta ponderemus, quod veritati oppoſitum eſt reiiciamus, conſectaria efficiamus, id traditioni in acceptis ferri debere. Si menti proprium eſt, ut, quod verum eſt, percipiamus, ſingula momenta expendamus, & ex veritatibus cognitis conſectaria eliciamus, traditionem dicis tantum cauſa ſcenæ infert, & ſic, quæ natura ſua coniuncta ſunt, *inordinate*, quod nobis vitio dedit, ſeiungit. Quodſi per traditionem intelligit *conſenſum* populorum omnium, moratiorum ſaltim, circa illa, quæ iuſta ſunt, æqua, honeſta, multis ambagibus eſt opus, immo hypothetice impoſſibile, ut, quid populi *omnes* de veritatibus mora-

moralibus ſentiant, pernoſcamus. Sed largiamur tantiſper, fieri hoc poſſe: profecto, quæ apud populos, diuturna conſuetudine, recta habentur, talia in ſe non ſemper ſunt. Neceſſum igitur eſt, ut principium aliquod ſit, ad quod, tanquam ad lapidem lydium, omnia exigamus: niſi dicere quis velit, de præceptis moralibus nos certitudinem habere non poſſe, nosque adeo in perpetua incertitudine fluctuare. quod eſt a ſapientia & bonitate divina quam maxime alienum. Igitur non aliam hic cynoſuram ſtatuere poſſumus, quam quidem rationem, quæ docet, virtutem ipſa ſua natura rectitudine morali præcellere, & quæ ex relatione hominis ad Deum, eiusque dependentia, ex σχέσει, quam homo ad ſe & alios, in quorum ſocietate vivit, habet, omnia officia deducat. Iſtius generis demonſtrationes longe maius pondus ad perſuadendum habent, quam ſi quis ad traditionem confugiat. Etſi vero eam non omnino negligendam iudicamus, tamen nihil ulterius probat, quam hoc: in eo, quod natura ſua eſt iuſtum & rectum, populos cultiores conſentire, adeoque dari commune aliquod principium, quod omnibus hominibus ex æquo inſit, rationem nimirum. Quare, ſi traditionem principium iuris naturalis agnoſci A. vult, non *primarium*, ſed *ſecundarium* dicat. Atque in hunc ſenſum accipienda ſunt illa, quæ p. 84-87. prolixe diſſerit, multos, Proteſtantium etiam doctores, traditionem non prorſus repudiaſſe. Viderit cl. Auctor, num ſatisfeciſſe ei poſſimus videri.

SEXTI AURELII VICTORIS HISTORIA ROMANA, ex recenſione & cum Animadverſionibus Criticis atque Hiſtoricis IOANNIS FRIDERICI GRUNERI.

Coburgi 1758. apud Georg. Otto, Aul. Ducal. Typogr. Alph. 2. octonis.

Magnum, atque moleſtiæ plenum laborem ſuſtinere, quorum in emendando explicandoque Aurelio Victore verſetur diligentia, nemo facile, qui hunc ſcriptorem cognitum ac perſpectum habeat, dubitaverit. Nam ſicuti,

ſicuti, quem in aliis libris conſumimus, maxima voluptate labor compenſatur, vel ex novitate rerum, vel ex elegantia ſcriptionis capienda: ita in hoc ſcriptore, & eiusmodi ſcribendi genus eſt, quod defatiget magis, quam oblectet lectores; & res ab aliis peti poſſunt, qui maiore cum elegantia, tum diligentia in narrando, utantur. Laudamus igitur diligentiam *Gruneri*, viri docti, qui, quid in nova hac Victoris editione præſtiterit, nunc videbimus. In contextu, ut aiunt, edendo, ſecutus eſt Vir Cl. editionem Ioannis Arntzenii, A. 1733. impreſſam. Ac in libello quidem de origine gentis Romanæ, item in altero de Cæſaribus, emendando, ſæpiſſime ſibi coniecturas adhibendas fuiſſe fatetur. Codices enim, manu exarati, ſi illum excipias, quo Andreas Schottus uſus eſt, nulli inventi ſunt. In libello autem de viris illuſtribus emendando, uſus eſt variis lectionibus, ex notis Schotti, Gruteri, qui Palatinos codices inſpexit, & Arntzenii, collectis. Evolvit etiam codices, typis exſcriptos, duo, eosque antiquiſſimos, quorum prior A. 1510. Argentinæ per Iohannem Knoblauch impreſſus eſt, alter ibidem, ſed ex ædibus Matthiæ Schurerii, A. 1513. prodiit. Epitomen denique e duobus Cod. MSC. reſtituit. Quorum illum, quem Guelf. pr. nominat, Marquardus Gudius annorum ſeptingentorum, & magni pretii eſſe iudicavit. In notis & hiſtoriam exponit, & loca difficiliora explicat, & textum emendare Grunerus conatur. De quo ut iudicari poſſit, exempla quædam adſcribemus; iisque, quæ nobis inter legendum in mentem venerunt, coniecturas addemus. En vero illas. In libro de origine gentis Romanæ (c. 1. n. 6.) hæc ſunt. „Quare autem addiderit *tutus*, ſuo loco pleniſſime annotavimus, in commentatione, quam hoc ſcribere coepimus.“ Hunc locum variis modis reſtituere conati ſunt viri docti, imo & femina. Legunt alii, quum hoc ſcribere coepimus; alii, cum ſcribere occoepimus; Iunckerus, (qui tamen omitti potuerat) ponit, antequam hoc ſcribere coepimus; Grunerus denique, — in commentatione, quam in hoc ſcribere coepimus. Quid vero? ſi ſic emendemus: *quam nos ſcribere coepimus*. Sic omnia expeditiora erunt.

C. III.

C. III. 2. „Isque primus agriculturam edocuit, feroſque homines, & rapto vivere adſuetos, ad compoſitam vitam eduxit." Quod verbum Schottus in *traduxit*, Grunerus in *adduxit*, mutant. Nos melius *deduxit* eſſe putamus. C. III. 7. — cognomento quoque addito Pater, ſecundum quod noſter cognomento ſic intulit." Locus corruptus eſt. Eum Sylburgius ſic reſtituit, *noſter Maro ſic intulit:* Grunerus vero ita corrigit, *ſecundum quod cognomentum noſter ſic intulit* Nos, etſi non ignoramus, idem verbum ſæpius repeti a Cicerone, atque aliis: totum tamen verbum *cognomentum*, ſine dubio e Gloſſa ortum, quæ exempla in Victore frequenter occurrunt, delendum eſſe cenſemus. C. XVII. 4. „inter Iulum filium eius, & Silvium Poſtumum, de obtinendo imperio orta contentio eſt, cum dubitaretur, an Aeneæ filius, an nepos potior eſſet. Permiſſa diſceptatione eius rei, ab univerſis Rex Silvius declaratus eſt." Arntzenius ſic corrigit, *permiſſa diſceptatione eius plebi:* Grunerus ſic, *permiſſa diſceptatione ea plebi* &c. Nos ita poneremus, ſi noſtra quid valeat auctoritas: *ſed miſſa diſceptatione eius rei ab univerſis* &c. C. XIX. 4. periculoſum ducens, ne quis ex ea naſceretur." Grunerus ſcribit pro ne *ſi*. Falſo. Periculoſum ducens interpretamur per verendum eſſe exiſtimans. Ita Nepos, *Themiſt.* 3. quod erat periculum, ne — ancipiti premerentur periculo. *Alcibiad.* 3. periculum eſt, ne immodeſtia militum noſtrorum detur occaſio.

Ex libro *de viris Illuſtr.* hæc notamus: C. LVI. 6. „Ob huius, (L. Aemilii Paulli Macedonici) licentiam & paupertatem, poſt mortem eius dos uxori, niſi venditis poſſeſſionibus, non potuit exſolvi." Schottus legit, *continentiam*, & Grunerus *abſtinentiam*. Nos ex antecedentibus ita omnia reſtitui poſſe arbitramur: — Ob hæc omnia ei a populo & a Senatu conceſſum eſt, ut ludis Circenſibus triumphali veſte uteretur. Ob cuius *negligentiam* &c. Nempe, quia Senatus uxorem Aemilii non curabat. Sic *Terentius* Andr. I. I. 44. Inopia & cognatorum negligentia coacta.

E libro *de Caeſar.* hæc ſunto: „Denique nactus (Caligula) poteſtatem, uti talia ingenia veteris ſolent anni menſibus, egre-

Digitized by Google

gia ad populum inter patres, cum militibus geſſit. Hunc locum corruptiſſimum ac prope deſperatum iudicat Grunerus. Tamen ita emendat: *uti talia ingenia verſare ſolent animi ſenſus.* Verſare vero animi ſenſus, per aliam atque aliam iis ſpeciem inducere interpretatur. Sed hoc omne nobis longius petitum videtur. Igitur, cum medicis, qui in deſperatis morbis urendum ſecandumque eſſe putant, ita legimus: *uti tam ingenia veterum*, (i. e. honeſtiſſimorum hominum,) *ſolent animos mentiri,* (i. e. aſſimulare: ut, ni fallimur, Martialis, mentiris iuvenem tinctis Lentine capillis; ut Virgilius, nec varios diſcet mentiri lana colores.) — Sed de his ſatis. Additus quoque eſt Index in Aurelium Victorem, in quo tamen iure lector maiorem diligentiam deſideret.

TRAITE DES PARTIES, QUI SERVENT DE PASſage à l' Urine: rel.

i. e.

TRACTATUS DE PARTIBUS, PER QUAS urina fluit, cum earum deſcriptione, actione, & uſibus, in quo praecipua morborum genera exponuntur, quibus hae partes affliguntur, ac ſigillatim de calculo renum & veſicae agitur, Auctore RUTTY, D. M.

Pariſiis, apud Durandum, plag. 10. c. f. æn. in 12. mai.

Comprehendit hic libellus prælectiones, quas Cl. Auctor, ſecundum voluntatem Inſtitutoris, Doctoris Gulſtoni, publice habuit. Voluit is, ut in illis de parte aliqua corporis humani, atque in his incidentibus nonnullis morbis, ageretur. Cum igitur Auctor deprehenderet, qui olim has prælectiones habuerunt, ita de præcipuis corporis humani partibus expoſuiſſe, ut nihil magnopere addi poſſet; coactus fere, hoc de urinæ viis argumentum ſibi pertractandum ſumſit. In quo ita verſatus eſt, ut, partibus huc pertinentibus, & natura fluidi ab ipſis ſecreti, expoſitis, uſus actionesque

earum

Digitized by Google

earum partium, indeque modum declararet, quo ita interdum læderentur, ut neceſſario morbos, de quibus in hoc libello agitur, producant. Renes, de quibus protinus dicendum fuit, in duplicatura peritonæi poſiti ſunt, dexter minus altus ac ſiniſter, ob hepatis magnitudinem; quod cum in brutis antrorſum deorſumque nitatur, ventriculus vero ob voracitatem vehementer extendatur, ren dexter in his ſæpius altior ſiniſtro reperitur. Quo minus renes a vicinis partibus premantur, adipe referta membrana efficit, eaque a peritonæo provenit, aliter ac interior vel propria renum tunica, quæ ab exteriore vaſorum ſanguiferorum velamento procedit. Inhærent renes lumbis, & dexter interdum hepati ac coeco, ſiniſter colo ac ſpleni, ne, ſi deſcendere poſſet, vaſa renalia comprimerentur. De interna renum ſtructura omni tempore diverſiſſimæ Auctorum opiniones fuerunt, prout eo tempore, quo ſinguli ſcripſere, hæc vel illa Philoſophia principatum tenebat. Quod vero Hippocrates glanduloſam renum ſubſtantiam dixit, non ea de cauſſa fecit, quaſi vere talem invenerit; ſed quia multum in renibus humidi reperit, quale fere in iis partibus deprehenderat, quæ nemini non glandulæ nominantur. Hæc tamen ſententia effecit, ut accuratius deinde per diſſectiones in fabricam renum inquireretur. Quod primus olim Euſtachius fecit, qui tamen in eo erravit, quod papillas pro glandulis habuit, & quod urinam dixit non per tubulos, a Bellino dictos, quos non tanquam vaſcula cognovit, verum per ſulcos, qui inter hos tubulos ſint, tanquam canales ſubſtantiæ renum inſculptos, promanare. Ex Bellini & recentiorum inveſtigationibus apparet, renes nonniſi vaſorum faſciculum eſſe, communi aliquo velamento comprehenſum. Faciuntque arteriarum extremi rami rete, glomeri ſericeo non abſimile; & ante, quam in uriniferos ductus abeunt, primo circulum deſcribunt, deinde vero ſerpentem æmulantur. Vena, in animalibus quibusdam ex felium genere, non intus cum arteria, ſed in ſuperficie renum decurrit, quod a Rambio obſervatum fuit, & ab A. addita figura illuſtratur. Ex lateribus arteriarum capillarium viden-

 tur

Digitized by Google

tur tenuia filamenta procedere, quæ tubulorum uriniferorum nomine veniunt, & in duodecim ordines collecta, quibus tot pelvis ureteris rami reſpondent, pinguedine interpoſita diſtincti. Apparent in renum ſubſtantia ſphærica quædam corpuſcula. Ea Malpighius intus cava, aut veſicularia eſſe, glandulasque nominari debere, dixit. Sed quæ tales apparebant vaſis vacuis, glomeres vaſorum arterioſorum eſſe videbantur, poſtquam arteria renalis idonea materia repleta erat. Neque per hanc comprimi, & quaſi deleri illas veſiculas probabile eſt, cum in aliis præparationibus naturalem partium fabricam exhibeat. Quodſi tales veſiculæ vere in renibus adeſſent, non ſecernendo, ſed continendo ſecreto humori inſervirent. Et hoc unum glandularum in corpore humano genus eſt: quæ vero ſecernendo humori deſtinatæ ſunt, earum longe alia interna ſtructura eſſe debet. Ureteres calami ſcriptorii magnitudinem non excedunt. Poſſunt tamen in calculoſis permultum dilatari: & in duobus exemplis vidi, aquam, quæ in veſicam propter calculi ſectionem immiſſa fuerat, in pelvim renum penetraſſe. Adhæc ureteres non in loco tantum iliacarum arteriarum magis, quam in reliquis, contracti ſunt; craſſæ enim eorum tunicæ ſunt, ne facile ab inteſtinis, & in feminis a matrice, prorſus comprimi poſſint. Eſt autem unica nervoſa tunica, cui glandulæ inhærent mucum ſecernentes. Vidit Auctor in aliquo mortuo corpore, ex ſingulis renibus duos ureteres diſtinctos prodiiſſe, proxime ante locum, ubi veſicam ſubeunt, unitos. Idque in eo corpore neceſſarium fuiſſe monet, quia duæ in ſingulis renibus diſtinctæ pelves fuerant. Interna veſicæ tunica, quæ nervea, glandulisque mucum ſecernentibus ornata eſt, quia ſæpe permultum dilatari debet, neque tamen ſe contrahendi facultatem habet, admodum rugoſa eſt. Duglaſſius Medicus invenit fibras, quæ, in veſica in longitudinem ductæ, nomen detruſoris urinæ habent; anterius in oſſe pubis & proſtata, poſterius in eadem glandula, ac in feminis in vagina, fixas eſſe, eoque ad deprimendam veſicam aptas. Duæ veſicæ partes ſunt. Quæ in viris recto, in mulieribus vaginæ inſidet, collum dicitur; eſtque

que minima pars, & multo anguſtior longiorque in viris quam in feminis. Primus Bohnius, Lipſienſis Profeſſor, obſervavit, propterea quod maxima fundi veſicæ pars muſculis abdominis adhæreat, ipſaque etiam muſculoſa ſit, vulnera, huic parti inflicta, modo non per turundas dilatentur, ſanari poſſe. Urethra, in viris, ſub oſſibus pubis, per quatuor circiter pollicum longitudinem curvata eſt. Ductus, qui in ſuperiore parte internæ urethræ tunicæ patent, probabiliter ex glandulis procedunt, in ſubſtantia corporis urethræ poſitis. Eæque, quia & in feminarum urethra ſunt, humorem ſecernunt, qui non ſemini lubricam viam parat, ſed urethram contra urinæ acrimoniam tutam præſtat. Muſculus, qui vulgo accelerator urinæ dicitur, utrinque ex ſuperiore urethræ parte, qua ſub oſſibus pubis procedit, oritur, & bulbum amplexus, ſub inferiore parte aliquantum in peritonæo progreditur, & in duos demum tendines ſecedens, lateribus corporum cavernoſorum penis inhæret. Quæ, ut nova deſcriptio ſit, metuimus tamen, ut ſatis vera. De uſu glandularum, quæ ſupra renes poſitæ ſunt, æque omnia incerta ſunt, atque olim. Etſi enim, ſecundum Raubii obſervationem, arteriam cum teſticulo communem habent: nihil tamen ab una parte ad alteram tranſire poteſt. Probabilis autem eſt Morgagni opinio, qui inter lymphaticas glandulas eam refert, quales prope chyli receptaculum poſitæ ſunt. Renum officium eſſe urinam a ſanguine ſeparare, apud omnes recepta opinio eſt: ſed de modo, quo iſtud fiat, plene inter Auctores non convenit. Etſi de digeſtione, fermentatione, attractione, nihil dicit Auctor, memorat tamen falſas, quas hac de re habuerint Bellinus & Boerhaavius, opiniones. Sanguinem enim, ut Bellinus voluit, ex arteriis extremis effuſum, in ſpatium aliquod inter orificia arteriarum, principiaque tubulorum renalium, venarumque, ita ſeparari, ut per diverſam orificiorum figuram urina in tubulos, ſanguis in venas recipiatur, experimentis in repletione vaſorum factis, & preſſioni liquidorum, vaſorum lateribus perpendiculari, repugnat. Illa vero, quæ de glandulosa renum fabrica dicta ſunt, ea Boerhavii errorem

 mani-

manifeſtant, qui urinam, partim per ductus Bellini, partim per glandulas, ſecerni contendit. Quales enim Boerhavius glandulas voluit, tales in rene non inveniuntur. Urina in renibus ſecernitur, quia talis eſt tubulorum renalium anguſtia, ut non omnem ſanguinem, ſed aquoſam tantum, tanquam tenuiſſimam eius partem, cum ſalibus in ea ſolutis, admittant. Ureter, qui ductus excretorius eſt, non, ut in aliis glandulis, ſtatim anguſtus, ſine interpoſita pelvi ex rene prodit, propter hanc cauſſam, quia tubuli renales, ex circulari renum ambitu verſus ureterem concurrentes, ſibi invicem ita oppoſiti deberent eſſe, ut emittere commode urinam non poſſent. Ex renibus urina, in hominibus ſaltem, ſuo pondere in veſicam devolvitur; quare, ne nimia vi irruens veſicam offendat, hinc inde quædam ureteris anguſtiæ ſunt, maxime eo loco, quo veſicam ſubit. Ex hac expellitur lotium, dum carneæ fibræ, propter irritationem in interna tunica factam, ſe contrahunt, ac veſicam anguſtant. Eoque tempore corpora carnoſa Morgagni, contractione ſua, orificia ureterum occludunt, quo regreſſus urinæ impeditur. Inter eos, qui accurate determinare vim veſicæ voluerunt, etiam Keilius eſt. Eſt tamen eius calculus, præter ea, quæ a Michelotto monita fuerunt, etiam in hoc deficiens, quod nullam longitudinis urethræ, &, quæ inde provenit, frictionis rationem habuit. Celeritas, qua liquor pulſus ex canale aliquo effluit, debet, ceteris paribus, longitudini canalis reſpondere. Etiam Michelottus a vero aberravit, dum vim, qua fluidi curſus ex canalis orificio acceleratur, æqualem ponderi cylindri eiusdem fluidi ponit, cuius baſis reſpondet orificio per quod exit, & cuius altitudo æqualis eſt altitudini extremitatis ſuperficiei fluidi quod ſupereſt. Reſpondet hæc vis, ſecundum Newtonum, cylindro quidem, cuius eadem baſis eſt; ſed altitudine, ex qua corpus grave deſcendere debet, ut eiusmodi celeritatem acquirat, bis ſumta. Urina excrementum eſt, non peculiaris cuiusdam, ſed omnium coctionum. Quia Morgagnus nuper operam dedit, ut ſententiam de viis urinæ ex ventriculo ad veſicam novis argumentis confirmaret: Au-

Digitized by Google

ctor variis rationibus oſtendit, quantacunque etiam urinæ vis effundatur; tamen eam omnem per renes ſecerni poſſe. Subtilitas particularum aquearum, aptitudo ad motum, quantitas, celeritas, qua moveri per venas lacteas humores videmus, expulſio 900. unciarum ſanguinis ſpatio quartæ horæ partis ex corde in aortam, hæc ſatis confirmant. Quod non omnis aquoſa pars, quæ ſingulis vicibus ad renes defertur, per tubulos renales ſecedat, hæc cauſſa eſt: aliqua ſanguinis pars nutritioni renum impenditur; eaque cum ad orificia tubulorum uriniferorum non perveniat, quæ cum ea coniunctæ ſunt aquoſæ particulæ ſeparari non poſſunt. Ubi omnis fere aquoſa urinæ pars exhalavit, ſupereſt ſubſtantia atra, viſcida, quæ in aere ſolvitur, & perquam acris eſt. Hoc ſal eſſentiale, partim acidi, partim alkali naturam habet. Dum enim acidum urinæ additur, color tantillum obſcurior fit: ubi vero nitroſum ſal, aut ſal tartari, ſpiritui urinæ accedit, lacteum colorem accipit. Sulphur urinæ ineſſe, cum odor probat, dum mittitur, tum etiam ubi putreſit. Ab hoc ſulphure naturalis urinæ color ex parte pendet; etſi certum eſt, ſal & terram plurimum ad colorem formandum conferre. Nubeculæ & ſedimenta ſolidis particulis conſtant, quæ, pro varietate ponderis, quod ipſæ & aquoſæ habent, in varias figuras coeunt. In ſanorum ac robuſtorum corporum urina, non tam nubecula, quam ſedimentum eſt. Cum enim illa particulis ſubtilioribus conſtet, magna earum vis, aliter ac ponderoſarum, quæ ſedimentum conſtituunt, cum ſudore expellitur. Qui cum aliquantum ſupplere poſſit defectum ſecretionis urinæ, apparet, cur interdum ægri tamdiu ſuppreſſione urinæ laborare queant ante, quam moriantur. Cumque urina tenuis ſit, ſi aqua nimis abundat; rubra & turbida, ſi ſolidæ particulæ; ubi inter has & aquam iuſta proportio eſt, colorem inter album rubrumque oriri debere medium, adeoque citrinum, probabile eſt. Inter mala, quæ renibus, cæterisque urinæ viis accidunt, frequentisſima ſunt quæ a calculo proveniunt. Qui cum totus fere volatili fixoque ſale conſtet, quale in urina abundat, naſcitur ex lotio calculus, modo ſalinæ,

linæ, cum aliquot terreſtribus partibus, a fluidis ſeparatæ, inter ſe concreverint. Concreſcunt autem, ſive maior ſalinarum particularum modus ſit, quam ut per tubulos renales manare queant; ſive hi a viſcida materia ſimul obſtructi ſint, quæ ſalia iungat, aut quacunque alia ratione presſi & anguſtati. His ſingulis de cauſis calculi naſcuntur. Nuclei vero, quales ſæpe in calculis inveniuntur, per tertiam cauſſam fiunt, adeoque per vitium quod in renibus eſt, non vero in urina. Nam ſi in urina cauſſa lateret, quæ ratio eſt, cur nuclei tales fere ſemper in altero tantum rene formentur, altero integro? Contra, ſi ſabuloſum in urina ſedimentum eſt, Galli *gravelle* vocant, vitium ex una priorum cauſſarum proveniſſe putandum eſt. Ex cauſis vero calculi, quæ procatarcticæ nominantur, præcipue hæ ſunt: continuus & copioſus potus ſpirituoſorum liquorum, ventriculus debilis, cibi quibus multum viſcidi ineſt, & vita ſedentaria. Spirituoſi enim liquores magnam ſalium vim continent; indeque fit, ut, cum feminæ, quæ, ut plurimum, parum vini bibunt; tum qui in univerſum cereviſiam potius quam vinum bibunt, raro calculo laborent. Viſcida vero materia in urina naſci debet, partim ex talis naturæ, partim ex omnis generis alimentis, ſi a debili ventriculo parum elaborentur. Hinc pueris, præcipue pauperibus, frequens morbus calculus eſt; quo tamen, ubi ſemel ſectione exemtus fuit, raro iterum laborant, quia, adultiores facti, aliis cibis nutriuntur. Et cum a decimo quarto circiter anno, usque ad ſexageſimum tertium, cibum digerentia viſcera fortisſima ſint, denegari Aphoriſmo Hippocratis omnis vis veri non debet. Denique & ſedentaria vita tubulos renales anguſtos reddit. Quod præcipue in iis hominibus verum eſt, qui inclinato corpore ſedent, quo vaſa maiora, & renes ipſi, multum comprimuntur. Si nucleus, qui in papilla hæret, parvus & lævis eſt, urinæ impulſu ſine incommodo in veſicam devolvitur; contra, ſi aſper, aliquo loco in pelvi hæret, nephritis oritur. In hoc malo urina ab initio tenuis, aquoſa, pallida eſt, aut prorſus intercipitur: ubi vero calculus in veſicam deſcendit, magna copia profluit, craſſa & tur-

turbida. Et nulla de calculo dubitatio remanet, ſi cum tali urina ſabulum excernitur. Multa exempla docent, poſſe calculum ſine ullo fere incommodo in renibus hærere; contra, in ureterem provolutus, ſemper, ob membranarum ſenſibilium irritationem, acutiſſimum dolorem movet. In nephritide, quæ a calculo eſt, urinam ab initio tenuem, ultimo craſſam fluere, etiam hæc cauſſa eſt: rene a calculo irritato, tubuli urinarii ſe contrahunt, ut non, niſi parum aquoſæ, & pallidæ urinæ fluere queant; quæ contra maxima copia turbidæ profluunt, cum primum illa ſe contractio remittit. Renem non a malo hyſterico, verum a calculo affectum eſſe, partim ex prævia ægræ diſpoſitione, partim ex cruditate urinæ cognoſcitur, quæ in calculi affectu mutatur. Si rheumatiſmus in lumbis eſt, æger, cum antea incurvatus eſſet, difficillime ſe erigere poteſt, & ſenſum ſectionis habet, qua corpus medium dividi videtur. Tandem in vera inflammatoria nephritide, tum febris acuta coniuncta eſt, tum urinæ fluxus, in acceſſione mali flammeæ, in ſtatu aquoſæ. Curationis calculi, qui in renibus eſt, quatuor momenta ſunt: propellere in veſicam; viam per ureteres ipſi parare; hos contra calculi aſperitates munire; & ſymptomata diriſſima tollere aut lenire. Ad primum diureticis auxiliis quidem utendum eſt, ſed quæ, copiam urinæ augendo, balſamica virtute vias lubricent. Ex ſymptomatibus primum dolor eſt, qui deſcenſum calculi in veſicam impedit, & quem præcipue venæſectio tollit, & circumſpectus opiatorum uſus. Si calculi nimis magni indicia habentur, & ad extrema ventum eſt, oportet ad vomitoria, purgantia validiora, & diuretica confugere. Ut novæ nephritidis acceſſioni occurramus, opera danda eſt, ut ſalium viſcidarumque particularum concurſus impediatur, tubulique renales aperti ſerventur; quæ omnia mercurialibus præparationibus commodiſſime obtinentur. Hactenus de renum calculo. Iſque fere nucleus eorum eſt, qui in veſica inveniuntur. Poſſunt tamen & in hac, etſi rarius, calculi ex urina, quæ vehementer viſcida & ſalina eſt, naſci. Calculus vero, qui aliquamdiu in veſica hæſit, cum ex materia coaluit, cuius magna attrahendi vis eſt, neceſſario

Digitized by Google

augeri debet. Eaque vi etiam fit, ut laminæ calculi inter ſe parallelæ ſint. Calculum in veſica eſſe, catheteriſmo, aut digito in anum demiſſo, certo cognoſcimus. Vidit tamen Auctor Lithotomum deceptum aliquando ſcirrho, cuius plane eadem ac calculi ſigna erant. Affert etiam exemplum a D. Bamber obſervatum, in quo plures tophaceæ concretiones, in coli principio hærentes, ita, poſt veſicam poſitæ, anum urgebant, ut, etiam cathetere immiſſo, Chirurgus falleretur. Si urina non retinetur, etſi alia calculi veſicæ indicia habentur, probabile eſt, ipſum veſicæ adhæreſcere. Velamento autem calculus non videtur includi poſſe, niſi magnus, nam aliter increſcere non poteſt. Ultimo loco Auctor obſervationem ſubiecit, quæ a D. Gliſſonio, & Hugone Chamberlano ſeniore, facta eſt. Filia Equitis Middbetoni, olim nephritide affecta, cum aliquando equum conſcenderet, ita ſitum calculi mutavit, ut ex urinæ retentione moreretur. Corpore poſt mortem ſecto, in utroque rene abſceſſus vel ulcus inventum fuit, cum uno utrinque calculo, qui in uretere hærebant, quo loco veſicam ſubit: qui in ſiniſtro uretere inveniebatur, duarum circiter drachmarum pondus habebat, perforatus, ut permanare urina poſſet, longus & fuſci coloris; qui in dextro uretere hærebat, albicans fuit, & pondus habuit trium drachmarum cum duobus ſcrupulis & ſemiſſe. Prioris perforati calculi figura ab A. addita eſt. In reliquis iconibus, præter ea, quæ iam ſuis in locis notata fuerunt, memorabilis eſt figura arteriæ renalis, repletæ materia, & ſeparatæ, quantum ad minima vaſcula, a ſubſtantia renis reliqua (Tab. I. fig. 1.). Circumvolutiones capillarium arteriolarum in externa renum ſuperficie (Fig. 2.). Inæqualis amplitudo ureterum (Fig. 6.). Fibræ longitudinales veſicæ, quæ detruſorem urinæ conſtituunt (Tab. III. fig. 1. 2.). Penis, cum muſculis, veſiculis ſeminalibus, & urethra aperta, ut lacunæ vel orificia ductuum appareant (Tab. IV. fig. 1.) Neque vero videntur hæ icones eæ eſſe, quæ tirones multum iuvare poſſint.

EN-

Digitized by Google

ENTIUS, SIVE HENRICUS, FRIDERICI II. Imperatoris Nothus, Rex Sardiniae, S. R. I. per Italiam Vicarius & Admiralius. Commentatio hiſtorica M. IOANN. TOB. KOELERI.

Goettingæ 1757. ſtanno Pockwitzii & Barmeieri, 17. pl. in 4.

Antequam de vita Entii ea dicamus, quæ Koelerus, Vir Cl. docte & diligenter expoſuit, breviter χαρακτῆρα magni herois exprimemus. Fuit vero Entius & ſplendido genere natus, & maioribus ſuis digniſſimus: forma excelluit, ardorem animi oculis & vultu prætulit, corpus laborum armorumque patientiſſimum nactus, adeo, ut & animus digniſſimo domicilio incluſus, & natura prævidiſſe videretur, quantum in hoc viro compago corporis vigori animi ſufficere deberet; cibo denique & ſomno, non ad voluptatem, ſed ad vitam uſus. Ingenio fuit armatus maximo, ſed bellicis magis operibus, quam civilibus artibus ſufficienti; manu promtus, impetu ſtrenuus, interdum magis audax quam fortis, magis fortis miles quam prudens imperator, uſu ſagittarum celeberrimus; mature conſultis celeriter facta coniunxit, ſemper ſibi ſimilis, neque in adverſis deiectus nimium, neque ſecundis elatus, terror hoſtium, amor & ſpes ſuorum; ſæpe hoſtes virtute vicit, nunquam ſua culpa victus eſt, maiori in omnibus animo quam fortuna uſus; hanc variam & atrocem ſæpe expertus eſt, ſed conſtanti & benigna dignus fuit, pius erga patrem, illiusque ſtrenuus imitator, cum in bellica virtute, tum in feminarum amore, liberalis, amicitiarum tenax, acerbiſſimus iniuriarum ultor, beneficiorum memor, ut tum erant tempora, etiam doctus; quam denique apud ſuperos habuit, magni & invicti animi gloriam, illibatam ad inferos detulit. Hæc ſunt, quæ de Entii moribus, cum ex hoc, tum ex aliis libris cognovimus. Age nunc, de Koeleri commentario videamus.

Iam primum Entius varie a variis nominatus fuit: alii illum Enzum, Henzum, Henricum, Encium, Hencium, alii Rentium, Enitium, Egentium, Entium appellaverunt. Cur vero Entius appellatus ſit, duæ a ſcriptoribus cauſæ commemoran-

morantur. Sigonius quidem nomen Entii ſcribit a Teutonico Heinrich, ſive *Heinz*, ab Italis derivatum eſſe. Iacobus vero Maria Campanacius Fridericum, ait, cum duo eiusdem nominis filios ſuſcepiſſet, alterum ex regis Arragonum filia, Maria, ſive Conſtantia potius, alterum ex nobili quadam femina, hunc ideo Entium appellaſſe, ut ab illo, Henrico, diſtingueretur. Auctori vero ea de cauſa Entius audit, quod a plurimis ſcriptoribus ſic appellatur. Hunc igitur Entium, Fridericum II. imperatorem, quem illicitis amoribus multum tribuiſſe aiunt, e pellice procreaſſe, omnes uno ore ſcriptores conſentiunt. Quæ vero pellex illa fuerit, variæ ſunt atque diverſæ hominum opiniones. Aliqui Blancam fuiſſe dicunt, cuius de vita Rocchus Pirrus expoſuit. quæ cum apud *Graevium* in Theſ. Ant. Sic. T. V. p. 48. legantur, nihil hic repetere attinet. Idem vero Pirrus hanc Blancam uxorem Friderici fuiſſe ſcribit; qua in ſententia quoque Matthæus Paris fuit. Falſo. Primum circiter a. c. 1236. hanc Blancam, antea pellicem, Fridericum in matrimonium duxiſſe, ſcribit. Iam eo tempore tertia coniux, Iſabella, aderat, quæ demum a. 1241. obiit. Fridericum vero eodem tempore duas uxores habuiſſe, ideo non probabile videtur, quod, cum inimici illius, quibuscunque poterant criminibus huius imperatoris vitæ infamiæ notam inurere conarentur, nullum de hoc verbum umquam dixerunt. Deinde Manfredum, filium Blancæ, nunquam non ſcriptores, qui eo tempore vixerunt, pro ſpurio habent. Denique ipſe Fridericus, in teſtamento, fratrem natu minorem Manfredo prætulit. Manfredus enim a. 1232. Henricus poſt a. 1235, quo Iſabellam Fridericus duxit, natus eſt. Ipſe Koelerus, ſe de hac re, ob vetuſtatem a noſtra ætate remotiſſimam, multisque controverſiis implicatam, nihil certum habere profitetur.

Hic vero non magis difficilis quæſtio oritur, quo anno Entius natus ſit. Auctor quidem ex eo, quod Entii virtus a. 1238. celebrari, atque in hominum ore verſari coepit, illum primis ſec. XIII. annis natum eſſe coniicit. Nam & hoc Entio iuveni, & viginti circiter annos nato accidiſſe putat; & a. 1238. Entius uxorem duxit. At-

Atque hic Koelerus paullo a rerum ordine declinat, &, quis fuerit Sardiniæ, medio, ut aiunt, ævo, ſtatus, quæ Imp. Rom. in hanc provinciam iura, exponendo, & ſibi requiem, & lectoribus amoenum diverticulum quærit. Docet vero, Sardiniæ regnum in Longobardorum poteſtate primum fuiſſe; non eſſe probabile, Carolum M. Longobardis deletis Sardiniam Pontifici Romano donaſſe; errare Muratorium, qui Sardiniæ regulos ſui iuris principes fuiſſe, & a nullius Imperatoris aut principis auctoritate pependiſſe ſcribat; non ſemper regium titulum ſummam poteſtatem indicare; Sardiniæ duces titulo regio ſæpe non uſos fuiſſe, multos ſe iudices appellaſſe; Bernhardum, Italiæ regem, Caroli M. nepotem, Sardiniæ per Ermengardum præfuiſſe; Mathildem partem Sardiniæ tenuiſſe; Fridericum I. Baraſonem regem Sardiniæ creaſſe; eundem Piſanis Sardiniam in feudum, quod aiunt, conceſſiſſe, & controverſiam inter Piſanos & Genuenſes de Sardinia ortam compoſuiſſe; Innocentium III. & Honorium III. primos ſibi Sardiniæ imperium arrogaſſe; Ubaldum & Lambertum, fratres, Piſanorum iura armis defendiſſe; Gregorium IX. Ubaldum devoviſſe, hunc temporibus inſerviiſſe, Sardiniam pontifici donaſſe, atque ab eo in feudum accepiſſe. Sed ad Entium redeamus. Duxit hic Adelaſiam, uxorem Ubaldi, in matrimonium, atque Sardiniæ imperio tali modo potitus eſt. Iam conſtat, quantum eo tempore pontifex in Imperatorem exarſerit, quantaque ope niſus fuerit, ut Fridericum omni dignitate, honore, & imperio privaret. Imperator, cum pontifex devoti Friderici regnum ſibi arrogaret, novisque civibus novos magiſtratus præficeret: Entium, filium, furori pontificis oppoſuit, eamque Legatum ſive Vicarium ſuum generalem in Italia appellat. Hoc ille munere egregie functus eſt. Nam in bellis, quæ Fridericus cum pontifice geſſit, fortis & ſtrenuus eius animus mirifice eluxit. Præfuit expugnationi caſtri Plumatii, & in Marchiam Anconitanam impetum fecit, multasque urbes cepit. Paullo poſt, Entio, Admiralii imperii titulo inſignito, rei maritimæ cura ab Imperatore commiſſa eſt. Et hic egregiam operam Imperatori præſtitit. Vicit Genuenſes,

Digitized by Google

multas naves demerſit, plures cepit. Fudit deinde Tartaros Ungariam vaſtantes, & gravem in Placentinos vindictam exercuit. Sed non perpetim benignam fortunam expertus eſt. Fruſtra Roncaiellum obſedit; & a Mediolanenſibus prope Melignanum pulſus fuit. Verum non multo poſt, obſeſſis Savonenſibus opem tulit, & Bernardos, Rubeum & de Regio, pepulit. E pugna vero, inter Imperatorem & Mediolanenſes a. 1245. commiſſa, quis ſuperior diſceſſerit, ob diſſenſum ſcriptorum vix liquet. Eos tamen aliquo modo inter ſe conciliari poſſe Auctor arbitratur, ſi de duobus præliis loqui dicamus, quorum primo Entius victus captusque fuit, altero liber & victor diſceſſit. Hoc autem bello confecto, Placentinorum ferociam tertium coercuit; & paullo poſt ampliſſimum theatrum, in quo latisſime excurreret, bellicamque virtutem oſtenderet, atrocisſimo inter Imperatorem & pontificem bello orto, nactus eſt. Quo in bello Entium quidam aiunt Vaſtaldaldum, Mantuanorum oppidum, & Quincianum, Brixiæ caſtrum, cepiſſe. Oppugnavit quoque Colurnum, ſed fruſtra: patri feliciter ſuccurrit: Parmam obſidione clauſit: multas Mantuanorum naves cepit: Eſtenſem arcem delevit, & arcem Arolli ab hoſtibus occupatam recuperavit. Exarſit vero a. 1249. bellum Mutinenſe, in quo Entius a Bononienſibus victus, captus, Bononiam ductus, & in carcerem coniectus eſt. In eo ſqualore, etſi & pater minis, precibus, pecunia, ut filium liberaret, enitebatur; & ipſe fuga ſe in libertatem vindicare tentabat, a. 1272. annos XLVI. natus diem obiit. Elatus eſt maxima & funeris pompa, & omnium frequentia. Hæc de vita Entii, quibus Koelerus & varia addidit, ut de Lancearum origine, de impetu Gregorii in Fridericum, de Vicariatu Italico, de re maritima a Friderico aucta; & teſtamentum, carmina, atque Epitaphia Entii, litterasque Adelaſiæ, adiunxit.

NOVA LITTERARIA.

Qui variis modis, variisque, potisſimum ex peregrino idiomate

Digitized by Google

mate factis translationibus, huc usque inclaruit, artisque ſalutaris incremento ſtuduit, Cl. *Georgius Leonhardus Huth*, Med. D. Norimbergæ medicinam cum laude faciens, is denuo perutilem ſuſcepit laborem, dum celeberrimi illius Angli, GVILIELMI SMELLIE, Med. D. præſtantisſimum opus, tabulas puta anatomicas, praxin artis obſtetriciæ & illuſtrantes & explicantes, maioris, prorſusque fere communis uſus facit. Eſt illud ſatis omnino inter viros doctos artisque peritos cognitum, & a nobis etiam ſuo tempore, ante hos nimirum duos annos, tum *in Novis Literariis* pag. 705. tum in *Actis* noſtris p. 540. uti meretur, commendatum. Facere itaque non poſſumus, quin id, quod de nova eius editione meretur Cl. *Huth*, commemoremus. Non is enim ſolum ipſas illas tabulas, per diligentem manum dexterrimi Viri, *Ioannis Michaelis Seeligmanni*, arte ſua, ſingularique ſtudio, de nonnullis operibus ad hiſtoriam naturalem ſpectantibus, huc usque cum omnium applauſu promerentis, aeri denuo inſculpendas & excudendas curat; ſed epitomen quoque praxeos artis obſtetriciæ, in earum iconum illuſtrationem a Cl. Auctore illis ipſis additam, ex anglico tranſtulit, & latine atque germanice reddidit, ita ut quævis textum exhibens pagina bipartita ſit, eumque in utraque iſta lingua ſiſtat. Per partes tamen opus iſtud, & tempus & induſtriam ad ſui perfectionem poſtulans, prodibit, intra ſex vel novem certe menſium ſpatium, forte & citius, abſolvendum. Sua tamen nomina, qui illud cupient, profitebuntur, vel apud ipſum artificem iam dictum, Norimbergæ degentem, vel hic Lipſiæ, apud bibliopolam præclarum, *Ioannem Wendlerum*, vel in aliis quoque in Germania obviis librariis officinis, fide atque celebritate conſpicuis. Octo tabulæ, maxima forma excuſæ, tradentur quavis vice amatoribus huius operis atque fautoribus, earumque pretium unius imperialis atque ſemis conſtitutum eſt. Priores ſedecim iam ad manus noſtras pervenerunt; easque cum exemplo Londinenſi

nenſi conferentes, ſimilem diligentiam atque elegantiam deprehendimus. Eſt etiam, cur Cl. Editoris collaudemus ſtudium, qui Auctoris celeberrimi mentem exacte atque perſpicue, utraque lingua, expresſit, eaque re non Germanos ſolum, ſed longe quoque plures, latinam certe linguam callentes, eximie adiuvit, iisque ad cognoſcendam facilius artem, tutiusque faciendam, quæ ſatis commendari nequit umquam, paravit expeditiorem libro utendi viam, quo carere facile poterit nullus; cum omnibus de hoc argumento adhuc editis, palmam eum præripere, cuilibet inſpicienti pateat.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Septembris Anno MDCCLVIII.

Pars II.

FRANCISCI A MESGNIEN MENINSKI, INSTItutiones Linguae Turcicae, cum rudimentis parallelis Linguarum Arabicae & Perſicae. EDITIO ALTERA, methodo, Linguam Turcicam ſuo marte diſcendi, aucta. Curante ADAMO FRANCISCO KOLLAR, Hungaro Neoſolienſi, Auguſtae Bibliothecae Vindobonenſis Cuſtode.

Vindobonæ 1756. ex Typographeo Orientali Schilgiano. Tomus I. pag. 256. Tomus II. pag. 252. in 4. mai.

Non eſt inter eos, qui linguas Orientis diligentius curant, obſcurum Meninskii nomen. Nam & ubertatem ſcientiæ ſuæ, & utilitatem, publice, ore ſcriptoque, Vir iſte adprobavit. Viginti, & quod excurrit, annorum, conſuetudine cum Turcis uſus, adiutusque inſigni copia Codicum, ſermone Arabico, Perſico, Turcico exaratorum, in cognoſcendis his dialectis perquam feliciter verſatus eſt. Floruit autem, exeunte Seculo ſuperiore in Aula divi Cæſaris Leopoldi, illuſtribus S. Sepulchri Equitis Hieroſolymitani, S. C. M. Conſiliarii, ac Linguarum Orientalium Interpretis primarii, honoribus conſpicuus. Quos ille honores, victuro ad poſteritatem monumento, æquavit. Opus enim ardui laboris, adcurationis egregiæ, uſus multiplicis, *Theſaurum Linguarum Orientalium,*

Turcicae, Arabicae, Perſicae, Vindobonæ, A. 1680. typis & ſumtibus ſuis, ingenti volumine exire in publicum iuſſit. Breviter illum adumbrarunt primi horum *Actorum* parentes, A. 1683. pag. 362. Duplex vero rari in doctorum hominum muſeis libri dos eſt: altera, quæ Orientalium linguarum, quas diximus, voces omnes, & phraſes pleraſque, adiuncta explicatione latina, hetruſca, germanica, gallica, polonica, complectitur; altera, quæ Turcicæ Grammaticæ præcepta docet, ſubiectis perpetuo parallelis Arabici Perſicique ſermonis regulis. Vere quidem Theſaurum ſe in commune proferre ſcripſit Auctor; agnoſcentibus id quicunque illo frui potuerunt, inprimisque qui interpretandi Orientis linguas officium in Europæorum regnis geſſerunt.

Has tamen tam luculentas opes quo minus litteratæ manus frequentius tractarent, coniuncta cum mole libri caritas, ut fit, prohibuit. Statuerat huic difficultati mederi ipſe Meninskius. Certe in extrema Lexici ora Epitomen Lectoribus pollicetur; ſed illa, iuxta cum Indice ſeu Onomaſtico Latino-Turcico-Arabico-Perſico, cuius eodem loco ſpem excitat, perfecta, quod nos quidem ſciamus, numquam eſt. Quare Compendium quoddam Grammaticæ Meninskianæ, *Schieferdekerus,* & iisdem ex fontibus hauriendo *Clodius* noſter, præceptorum & vocum Linguæ Turcicæ adparatum præſtantem, parabiliore forma, prodiderunt. In quorum diligentia adquieſcendum fere fuit adhuc illis, qui Turcici ſermonis notitiam adpetierunt: quale nuper ſtudium in V. Cl. *Chriſtoph. Aug. Bodio*, Academiæ Iuliæ Carolinæ Profeſſore, ſpectavimus.

Nunc, benigniore fato, ſuborta eſt occaſio, revocandis quaſi in lucem Meninskiani ingenii laboribus, inciditque in eum Virum, qui, ſi qua adeo felix opportunitas ſe offerret, eam ultro & lætus amplecteretur. Reperit Vir doctiſſimus, cuius nomen in indice legitur, formas litterarum Arabicas, quas olim Meninskius Vindobonæ multo aere parari curaverat, nitidas profecto, & eleganter expreſſas. Ut eſt litterarum Orientis non amans ſolum & apprime peritus, ſed earum etiam iuvan-

vandarum perquam ſtudioſus: non dubitavit, huic animo ſuo, transferendo, quæ ſibi fortuna patefecit, in publicam utilitatem, obtemperare. Quod conſilium eo rectius laudaveris, quo magis & eius ingenium commendat qui cepit; & Orientalium Linguarum exiſtimationi favet; & Meninskiano nomini aliquam veluti παλιγγενεσίαν, reſtaurando hoc ipſo monumento, conciliat, quod præclarus Viri ardor exegit, iniuria temporis ſepelivit; denique & Urbem clariſſimam illuſtrat, ex qua pauca huius generis dona accipimus.

Alteram igitur Theſauri illius ampliſſimi partem, Inſtitutiones nimirum Grammaticas Linguæ Turcicæ, cum paralleliſmo rudimentorum Arabici Perſicique ſermonis, Cl. Kollar eleganter & utiliter in vitam reducit; formis quidem litterarum antiquis, feliciter ſibi detectis, ſed habitu quodammodo novo, certe ad Lectorum commoda magis conformato. Abſolvitur Grammatica Meninskiana Partibus octo. Harum quinque priores, quæ ſunt de Orthographia, de Nomine eiusque accidentibus, de Pronomine, de Verbo, & de reliquis Partibus Orationis, Tomo primo continentur. Tomus ſecundus Parte ſexta de Syntaxi, ſeptima de Proſodia & Arte metrica, præcipit, octava denique Exercitationes ſiſtit analyticas. Quæ ſint ipſius Auctoris in his Inſtitutionibus virtutes, quæ perſpicuitas, quæ explicandi ſolertia, non videtur a nobis repetendum eſſe, cum de iis iudicio intelligentium ſatis conſtet. Dicamus potius de iis curis, quibus adhibendis Editor noſter alter operis huius parens dici meruit.

Primum in ipſo ingreſſu, Methodum, Linguam Turcicam ſuo marte diſcendi, collocavit. Ea viginti quinque regulis abſolvitur, quæ docent, quo ordine, quibusque cautionibus inſtructum deceat eſſe linguæ illius percipiendæ cupidum. Confirmat adeo hæc methodus, quod vulgo & ſapienter monetur, hunc demum in doctrinæ quadam parte firmiter habitare, qui aliis viam ad eandem peragrandam tuto præire poſſit. Iam per univerſum opus, ſingulis vocibus phraſibusque, imo & longis ſcriptorum locis, Orientali lingua deſcriptis, pronuntiationem ſoni latinis litteris, ad Meninskii leges exactam, ſa-

 tis

tis moleſta cura, ſed eadem tironibus perutili, adiecit. Appendiculam, priori editioni præfixam, ſuis locis inſeruit. Analyticas exercitationes, quæ potiorem Tomi Secundi partem, inde a pag. 95. implent, ita ordinavit, ut ab iis quæ ex uſu ſunt, & a facilioribus ad difficiliora duceret diſcentem. Hoc conſilio familiares dialogos primo loco poſuit: his ſuccedunt ſelectæ Lockmanni fabulæ: fabulis familiares aliquot epiſtolæ, cum iuſſis ad ſuos Turcarum Sultani: tum publica teſtimonia, Turcico Legato, cum ſanctionibus pacis ad Chriſtianos Principes miſſo, a ſuis dari ſolita, leguntur: mox duplex ſanctio pacis ſequitur, de qua pluribus infra dicemus: agmen claudit apoſpaſmation libri, *Hümaiun name* dicti, (latine *Enchiridion Regum* aut *Speculum Principum* dicere poſſis,) quem ob miram Turcici ſermonis elegantiam laudant barbari. In hac quaſi palæſtra diverſorum Turcicæ Orationis generum, cum fructu experimenta comparatæ ſcientiæ fient. Subiunxit enim ubique Clar. Editor & formam pronuntiationis, & interpretationem, quæ verba potius quam res ſectatur, atque adeo genium Linguæ Turcicæ aperit, & analyſin grammaticam. Quibus ſubſidiis effecit, ut ſalebras nullas inventurus ſit, qui ſolo hoc libro præceptore uſus, Turcica pernoſcere cupierit. Laudat etiam merito Ioh. Iac. Iahni, typothetæ librarii, ſingularem diligentiam, qua peregrinos litterarum typos in formas collegit, &, raro noſtra ætate exemplo, in ipſa lingua eos progreſſus fecit, ut librarii ſcriptoris manum legendo aſſequi & typis imitari poſſet.

Sunt autem in hoc libro nonnulla & iis placitura, qui nullo Turcicæ linguæ cognoſcendæ deſiderio tanguntur. Ut enim prætermittamus ea, quæ huius gentis mores illuſtrant: egregie meritus eſt doct. Kollar de hiſtoria ſeculi ſuperioris, publicando duas pacis ſanctiones, ex tabulario Turcico, capta Buda, theſauris Vindobonenſibus illatas. Altera pacem, qua Leopoldus Imp. A. 1664. bellum Turcicum compoſuit; altera eas conditiones tradit, quibus A. 1669. Creta inſula, poſt cruentam obſidionem Venetis erepta, in Turcarum poteſtatem venit. Prior quidem hoc maxime nomine memoranda

eſt,

eſt, quod ea, quæ poſt Ricautium *Dumontius*, in Corpore Diplomatico, ſcripſit, (pacem illam pecuniæ potius quam armis ſuis debuiſſe Cæſarem, poſtquam, ad tegendum dedecus, Apafii Transſylvaniæ Principis nomine, impendia eius belli ſexcentis Imperialium numum millibus penſaſſet,) quod hæc, aimus, falſitatis coarguit, & *Wagneri* veriorem, in hiſtoria Leopoldi, narrationem confirmat.

Quid poſſit Editor doctiſſ. & qua ſit in litteras voluntate, ſatis exiſtimamus eum hoc documento oſtendiſſe. Sed ampliores doctrinæ & diligentiæ eius fructus hiſtoriarum ſtudioſi obtinebunt, ubi, quam molitur, Editionem Scriptorum Turcicorum Rer. Turcic. ad modum Collectionis Byzantinæ inſtituendam, perfecerit. Abundat V. Cl. præſidiis, quæ fulcire talia conantem optime poſſint; in his Auguſtæ Bibliothecæ copiis, & favore eorum, qui auctoritate ſua, & liberalitate, grave pondus maioribus coeptis addunt; quorum etiam in hoc ipſo opere edendo, ut ſæpe alias, expertus eſt benevolentiam. Quare læti amplectemur Epiſtolam illam, qua Syntagmatis ſui Scriptt. Rer. Turc. rationes diſtinctius explicaturus eſt iis, quorum intereſt non vanam eſſe illam exſpectationem.

NOVA ACTA PHYSICO-MEDICA ACADEMIAE Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum, exhibentia Ephemerides, ſive Obſervationes, hiſtorias, & experimenta, a celeberrimis Germaniae & exterarum regionum viris habita & communicata, ſingulari ſtudio collecta. TOM. I. Accedunt appendix & Tab. aen. XIII.

Norimbergæ 1757. impenſ. Wolfg. Schwarzkopfii, typis Fleiſchmannianis, 4. Alph. in 4.

Cum nihil nobis maiorem & utilitatem afferat, & iucunditatem, quam abditos naturæ receſſus explorare, rerum principia & cauſas cognoſcere, omniumque, quæ gignantur e terra, naturas perſequi, noſtri denique corporis fabricam ita perſpectam habere, ut & de ſapientia Dei ex ea

iudicare, &, quomodo infirmitates, quibus corpus corripiatur, tollamus, emendemus, certe cauſas illarum perſpiciamus, inde diſcere poſſimus: ſingulari quadam & præcipua laude dignum videtur ampliſſimum hoc collegium virorum, non magis elegantia ingenii, quam nobilitate generis, qua complures florent, illuſtrium. Quantam enim in aſſequenda naturalium rerum ſcientia, quantam in cognoſcenda tollendaque corporis humani imbecillitate, operam & induſtriam doctiſſimi viri collocent, nihil attinet pluribus commemorare. Nam & laudes huius collegii longe lateque in reipublicæ eruditæ memoriam ſempiternam diſſeminatæ ſunt, & ex iis, quæ hoc libro continentur, obſervationibus, de ingenio, eruditione, & diligentia virorum facile iudicari poteſt. Inſcriptus eſt vero hic liber ideo Acta nova, ut ab Actis priori ſæculo editis diſtingueretur, & Voluminum, titulo reiecto, Tomi nomen ſortitus eſt.

Iam traduntur in his Actis, non quæ ad Medicinam, Chirurgiam, & Anatomiam ſpectant tantum, ſed de animalibus quoque, ut doctiſſ. *Morgenſtern*, de *cancro marino, vulgo Eremita: Trew*, de *Pelecano: Klein, de cervi atque ferini capri cornubus;* de arboribus & plantis, ut *Trew*, de *cedris montis Libani*, ut *Buxbaumius*, de *variis herbis*. De aliis viri docti exponunt, quæ ad Chymiam, ad Opticam, ad hiſtoriam pertinent, ut *Burggravius*, de *transmutato hydrargyro in aurum: de Bergen*, de *maculis & faculis a Solis aſpectu in oculo reſiduis: Stieff*, de *globo ignito Wratislaviae obſervato: Thebeſius*, de *fonte medicato Polzinenſi: Kuhn*, de *puella mirandae corpulentiae.* Accedunt deinde ſex libelli copioſius ſcripti, doct. *de Bergen*, de *Thermometris menſurae conſtantis: Rau*, de *ſcarificatione gingivarum: Iacobi*, de *viribus hypnoticis a minerali regno haud alienis: Schuſteri*, de *differenda hydropicorum morte per efficaciſſimam Scillae virtutem: & Crantzii*, de *inſtrumentorum in arte obſtetricia hiſtoria, utilitate, & recta ac praepoſtera applicatione.* Docet in hoc libello Auctor, inſtrumenta a veteribus ideo fuiſſe excogitata, ut foetum in pravo ſitu conſtitutum, & ex utero, manibus non extrahendum, educerent; deinde

vero

vero ad omnes difficiliores partus ſublevandos fuiſſe adhibita. Antiquiſſima fuerunt perforatoria, quibus corpuſculum foetus conſcindebant extrahebantque, ſcalpelli, ungues, unci, alia. Primus in Gallia *Paraeus* uncos protulit; quem deinde plures ſecuti ſunt. Alii vero cultrum, forficem; alii terebram occultam Ouldi, & ferrum Simpſoni, adhibuerunt. Tandem inventa eſt forceps, primumque a *Rueſſo*, Tigurino, vulgata, variisque deinde nominibus inſignita. His expoſitis redit Auctor ad uncos, uncinos, embryulcos; & hæc inſtrumenta in iis caſibus, in quibus ſemper fuiſſent applicata, minime fuiſſe indicata, neque in his, neque in aliis, tuto adhibita, & noſtra ætate his æque efficacia, magis ſecura, minus periculoſa inſtrumenta inventa eſſe, docet. Tranſit deinde ad cultros ſcindentes, inſtrumenta perforatoria, ſeu excerebratoria. Ea vero tum demum adhibenda eſſe cenſet, ſi grandius caput per pelvis aperturam educi non poſſit. Forcipes autem ad extractionem foetus utiliſſimas tutiſſimasque arbitratur, & inprimis uſum forcipis Leuretianæ illuſtrat. Examinat ſimul, & copioſe refutat, quæ Roedererus in *obſtetriciis elementis practicis*, ut putat, crudeliſſimis, tradit; variaque de operatione cæſarea addit. Hic liber ut ab iis diligenter legatur, qui illud, *melius eſſe unum ſervari, quam nullum*, in ore habentes, ad partus ſublevandos, nihil vel citius, vel libentius, quam uncos & perforatoria inſtrumenta adhibent, iis cranium perrumpunt, cerebrum extrahunt, & foetum miſere trucidant, vehementer optamus. Sextus libellus inſcriptus eſt ab Auctore Cohauſenio: *Mercurii delarvati ſophici ex Philalethae introitu aperto, ad occluſum regis palatium in conſpectum Chymicorum prodeuntis, ſive commentarii decem, prima obſcuriſſima illius auctoris capita, de Mercurii ſophici praeparatione, perſpicue per ignem dilucidantis Lib. IV. & ultimus.* Nos quidem libenter fatemur, eam ſapientiam neque aſſecutos eſſe, neque ut aſſequeremur unquam nos laboraviſſe, ut de hoc libello, in quo Auctor nimium ſuo ingenio indulſit, iudicare poſſemus. Additæ ſunt laudes & vitæ clarisſimorum & doctisſimorum virorum, *Abrah. Vateri, Chr. Gottl. Schwarzii, Koeleri, Leſſeri,*

Digitized by Google

ſeri, *Hambergeri*. Nos ex obſervationibus pauca, eaque, quæ maxime memoratu digna videntur, delibabimus.

Iam in obſervatione VII. *Springsfeldius* ſe inſueta via calculum quatuor fere unciarum e veſica extraxiſſe commemorat. Res vero ita ſe habet. Nobilis quædam femina, in optimo ætatis flore conſtituta, poſt puerperium ſe crebro quidem, ſed non magna copia, nec exiguo cum dolore, urinam reddere; menſtrua, quæ primis morbi temporibus parce fluxiſſent, non amplius fluere; humorem quendam album eumque glutinoſum interdum effluere; vaſa hæmorrhoidalia, & mucoſum ſæpe ſanguinem emittere, & extra anum prominere; corpus denique vaga febri confici, querebatur. Varia a medico adhibebantur. Omnia fruſtra. Denique calculus magnus & durus, ope fiſtulæ æneæ, *catheterem* dicunt, invenitur. Ille igitur extrahendus erat. Utitur Springsfeldius per tres menſes Lithontriptico illo, a Iohanna Stephens invento, omniumque ore certatim laudato; ſed nihil proficit. Calculus dein ad cervicem veſicæ deſcendit, & manibus tractari poteſt. Ultima experiri certum erat. Chirurgus ſpecillo argenteo, flexili, ſulcato, & oleo uncto, armatus, in urinæ iter deſcendit, illudque inter calculum & veſicam magna cum arte compellit. Deinde ſcalpello parvo falcato, Galli *Biſtouri* dicunt, interiacentem veſicam, & vaginæ membranam cum inferiorem, tum ſuperiorem, valde extenuatam, recta plaga incidit. Forcipe calculum, ut mos eſt, prehendit; ſed frangitur calculus nimium mollis, digitis igitur extrahendus erat. Extrahitur, vulneri linamenta obducuntur, varia adhibentur, & vulnus bene conglutinatur. Femina ad priſtinam ſanitatem, ſi illud unum excipias, quod urinam, ubi uncia gravior eſt, vix retinere potuit, ita rediit, ut duos filios deinceps pareret.

Quæ in obſervatione XII. *Thebeſius* affert, ea de cauſa repetimus, ut & Medici ac Iureconſulti de partubus ſeptimeſtribus cautius circumſpectiusque iudicent; & nonum demum menſem certum & naturalem humani partus terminum eſſe, certo conſtet. Peperit quædam, ſeptimo poſt nuptias menſe, filiolum, ſed valde exili corpuſculo, & tenero, manibusque ad ora applicatis, & pedibus

bus retractis, eundem, quem in utero habuerat, ſitum referentem. Oculi erant clauſi, nulli in capitis cute capilli, nulla emittebatur vox, nulla egerebantur ſtercora. Papillas, quoniam neque ore capere, neque ideo ſugere poterat infantulus, mater lac vaccinum, idque tepidum, parvi cochlearis ope ori ingerebat. Noctu infantulum pannis laneis involutum, calidis fornacis lateribus imponebat, interdiu intra mammas mater geſtabat. Nono menſe geſtationis exacto, gracilem edebat ſonum, membraque paullatim movebat, alvus quoque & veſica excrementa emittebant. Sex annos natus, & animi & corporis viribus tantum non omnibus deſtitutus, neque pedibus inſiſtere, neque ambulare poterat. Urina, & alvi feces, invito homine effluebant. Poſt duodecimum annum ægre grallis ſuffultus incedebat; paulo poſt unius baculi ope; tandem viginti quinque annos natus ſolus ambulabat, ſed curvis genubus, imberbis, & exilitate corporis puerulum referens. Idem *Thebeſius*, quæ de cura recens natorum corporis & animi formatrice ſcripſit, eo magis optamus ut ab omnibus obſerventur, quo plura triſtioraque ſunt exempla, miſere parvulorum corpora, negligentia matrum, corrumpi. Quid quod Thebeſius, & infantes, cum ipſo lacte nutricum diſſolutarum & pravarum corruptos mores & vitia imbibere, & nimia eorum in cunis agitatione ingenia valde hebeſcere, arbitratur.

In Obſervat. XXI. *Kleinius* ſcrotum pueri ſeptennis tanta correptum fuiſſe hydrope commemorat, ut infantile caput mole & amplexu æquaret. Medicamina ægrotus reſpuebat. Cutem igitur ſcroti, ſemilunata plaga, ancipiti ſcalpello tam feliciter incidit Medicus, ut mox ad ſanitatem rediret puer.

In Obſervat. LXI. *Mullerus* virum ſcribit per decem annos magnis doloribus excruciatum, tandem in ſummo inteſtini recti durum quoddam corpus manu exploraſſe. Suaſit Mullerus oleoſa, iuſculaque pinguia; utque per cataplaſmata emollientia, per enemata, per inſeſſus calidos, ſuppoſitoriaque pinguia & acria, inteſtino ſuccurreret, monuit. Excluſit deinde ægrotus concretum oſſeum, ſextuncem gravitate æquans, peſſimumque odorem reddens, deinde aquæ iniectum, aërique

 expo-

expoſitum, drachm. IX. gravitati reſpondens. Quo facto homo convaluit. Agmen claudant Obſerv. XXXIII. & LXXXVIII. In illa *Furſtenavius* puerum crus dextrum contuſione læſiſſe docet. Eum ab imperitis medicis per aliquot annos miſere eſſe excruciatum: ſe in interiore & poſteriore oſſis tibiæ parte fragmentum vacillans animadvertiſſe, ut orificium ſuperioris cum inferiori ſectione longitudinali uniretur ſuaſiſſe, tibia vero, ut perioſtio nudata, trepano perforaretur, curaſſe; altera trepanatione facta, fruſtum oſſis forcipe extrahi potuiſſe. Proſpere omnia, maximaque cum admiratione omnium, proceſſiſſe. In hac *Schlingtingus* memorat, viro diu delirio afflicto, raſo capite, univerſæ capillatæ regioni unguentum mercuriale bis de die affricari iuſſiſſe medicum: tertio die ſalivationem fuiſſe ſecutam, & paullo poſt hominem reſipuiſſe.

G. F. BERMANNI DEFENSIO SOLUTIONIS SUAE Problematis algebraici in his Actis An. 1749. propoſiti, adverſus monita Ill. Comitis de FAGNANO.

Cum nuperrime in manus meas incideret Volumen II. Collectionis variorum opuſculorum, quæ Venetiis ſub titulo *Nuova Raccolta d' Opuſcoli ſcientifici è filologici* editur, deprehendebam in eo Volumine Diſſertationem Illuſtriſſimi Comitis *Iulii Caroli de Fagnano*, cui mea Analyſis problematis algebraici in his Actis A. 1749. propoſiti occaſionem præbuit. Complectitur autem ea Diſſertatio non ſolum problemata quædam illi problemati ſimilia, cum variis ſat elegantibus theorematis algebraicis; ſed etiam Ill. Viri iudicium de mea ſolutione prædicti problematis, ab ipſo, celato tamen ſuo nomine, propoſiti. Quanto mihi honori duxiſſem Illuſtriſſimi Comitis, qui inter doctiſſimos Italiæ Geometras eminet, approbationem, tantum mihi dolebat, iudicium eius de meis Solutionibus, quas Annis 1750. & 1752. horum Actorum exhibui, tale non eſſe, quale optaveram. Duo enim præcipue in meis Solutionibus reprehendit, alterum, quod

Pro-

Problema a ſe propoſitum haud exacte ſolverim, alterum, quod demonſtrare impoſſibilitatem ſolutionis *non indeterminatae* illius problematis fruſtra annifus ſim, cum ipſe iamiam huiusmodi Solutionem in Operibus ſuis mathematicis dederit. Ego vero, quanquam nullius vitii in meis ratiociniis admiſſi mihi conſcius eram, neque tale quidquam, repetito meæ Analyſeos examine, deprehendebam, tamen vix me mihimet ipſe purgare audebam, ſed iudicium meum ſtatuebam ſuſpendere, donec ipſam Ill. Viri ſolutionem vidiſſem. Tandem mihi paullo poſt contigit, ut ipſius Opera Mathematica, quæ dudum fruſtra quæſiveram, in ſcriniis amici reperirem. Perlegebam ergo avide Schediaſma Tomo II. horum Operum p. 450. ſqq. inſertum, in quo nova & ingenioſa methodus æquationes ſecundi, tertii, & quarti gradus reſolvendi traditur, & ſub cuius finem ſæpius memorati Problematis ſolutio exhibetur. Sed vix eam perlegeram, cum intelligere mihi viderer, quæ res illuſtrisſimum eius Auctorem ad illud ſuum de mea Solutione iudicium induxiſſet. Et ſane, re omni paullo curatius conſiderata, videbam, me non commeruiſſe illud Viri Ill. iudicium, ſpemque concipiebam, fore, ut ipſe aliter de mea Solutione ſtatuat, ſi propriam Solutionem exactius expendere, & cum mea Analyſi comparare, non fuerit dedignatus. Rationes, quibus id mihi perſuaſum eſt, exponere iam mihi liceat, exhibita tamen ante omnia Solutione Problematis ad mentem Ill. Auctoris concinnata, quam etiam propterea his Actis inſerere æquum videtur, ut ne careant problematis, in ipſis propoſiti, ſolutione ab ipſo problematis Auctore profecta.

Problema hoc erat: *Data aequatione (A) invenire*

$$(A) \cdots x^4 = px^2 + qx + r$$
$$(B) \cdots x^4 = fx^3 + gx^2 + hx + r$$

aequationem (B) in qua incognita x eundem habeat valorem, & coefficientes f, g, h, per coefficientes p, q, r determinare.

Ad cuius problematis ſolutionem Ill. eius Auctor hoc utitur lemmate

LEMMA

$$[a+b+c]^4 = 4c[a+b+c]^3 + (4ab - 6cc)[a+b+c]^2 + 4c(cc - 2ab)[a+b+c] + (aa - bb)^2 + (4ab - cc)cc$$
$$= (4ab + 2cc)[a+b+c]^2 + 4c(aa+bb)[a+b+c] + (aa-bb)^2 + (4ab - cc)cc.$$

Iam ponatur $a+b+c = x$: & æquatio (A) exponetur per ſecundam æquationem lemmatis; ideoque (B) exponetur per primam. Quare facto

$$4ab + 2cc = p$$
$$4c(aa+bb) = q$$
$$(aa-bb)^2 + (4ab - cc)cc = r$$

ope harum æquationum determinentur quantitates a, b, c per p, q, & r; & invenientur coefficientes $f = 4c$, $g = 4ab - 6cc$, $h = 4c(cc - 2ab)$ expreſſi ac determinati per p, q & r. Q. E. I.

De hac Solutione tria obſervo, 1) eam pertinere ad eum problematis caſum, in quo æquationes (A) & (B) duas radices communes habere ponuntur, 2) eam non niſi particularem eſſe, 3) & ex mea ſolutione ad inſtar corollarii poſſe derivari.

Ad 1) quod attinet, manifeſtum illud erit cuique, qui animadverterit, æquationibus lemmatis ita ordinatis, ut alterum cuiusque membrum fiat cifra, prima ipſarum membra communem habere factorem hunc $[a+b+c]^2 - 2c[a+b+c] - (a+b)^2 + cc$. Quæ cum ita ſint, neſcio, quomodo Ill. Comes *de Fagnano* ſibi perſuaſerit, ſe in ſuis Operibus ſolviſſe problematis huius eum caſum, in quo æquatio (B) unam duntaxat radicem habet cum æquatione (A) communem. Fuiſſe autem eum in hac opinione, liquet tum ex eius diſſertatione in Tomo II. novæ Collectionis Opuſculorum ſcientificorum & philologicorum edita, tum ex *Additamentis* ad meam ſolutionem in his Actis A. 1752. menſe Maio p. 278. publicatis, quippe quæ ab eodem Viro Ill. veniſſe nuper demum ex ipſius modo laudata Diſſertatione certior factus ſum. Nimirum in illis *Additamentis* negavit ſe deſideraſſe talem æquationem (B), quæ cum data æquatione (A) duas radices

ces x haberet communes. Neceſſe ergo eſt, ut crediderit, ſe problema ſolviſſe in caſu unius tantum radicis communis. Atqui id ſecus accidiſſe vidimus.

Quod ad 2), ſolutio hæc non eſt niſi particularis, propterea quod æquationes permultæ, ab æquationibus Lemmatis diverſæ, licet illis ſimiles, inveniri poſſunt, unumquodque autem par novarum æquationum pro litteris f, g, h alias ſuppeditat quantitatum p, q, r functiones. Quæ res ut extra dubitationem collocetur, abſolvenda nobis eſt ſolutio III. Comitis *de Fagnano*, exhibendo valores ipſorum f, g, h, ad quos ea ſolutio ducit. Habemus tres æquationes

$$(1) \cdot \cdot 4ab + 2cc = p$$
$$(2) \cdot \cdot 4c(aa + bb) = q$$
$$(3) \cdot \cdot (aa - bb)^2 + (4ab - cc)\,cc = r.$$

Per æquationem (1) eſt $2ab = \frac{1}{2}p - cc$

$$\text{per (2) } aa + bb = \frac{q}{4c}$$

$$\text{ergo } (a+b)^2 = \frac{q}{4c} + \frac{1}{2}p - cc$$

$$\& \ (a-b)^2 = \frac{q}{4c} - \frac{1}{2}p + cc.$$

$$\text{Hinc } (aa - bb)^2 = \frac{qq}{16cc} - \frac{1}{4}pp + pcc - c^4.$$

Subſtitutis his valoribus quantitatum $2ab$ & $(aa - bb)^2$ in æquatione (3), abit ea in hanc $\frac{qq}{16cc} - \frac{1}{4}pp + 2pcc - 4c^4 = r$, quæ ordinata fit $64c^6 - 32pc^4 + (4pp + 16r)\,c^2 - qq = 0$, ſeu $e^3 - 2pe^2 + (pp + 4r)\,e - qq = 0$, poſito $4cc = e$. Cuius æquationis inventa radice affirmativa e, habebitur c expreſſum per quantitates p, q, r, & deinde invenietur $f = 4c = 2\sqrt{e}$

$$g = p - 8cc = p - \frac{1}{2}ff$$
$$h = 4c(2cc - \frac{1}{2}p) = \frac{1}{2}f\,(\frac{1}{4}ff - p)$$

Adhibeamus nunc pro lemmate Ill. Auctoris aliud ei ſimile, veluti hoc

LEMMA

$[a+b+c]^4 = 2c\,[a+b+c]^3 + 4ab\,[a+b+c]^2 + 2c(aa - 2ab + bb - cc)\,[a+b+c] - 2\,(bb + cc)\,a^2 - 2b^2c^2 + b^4 + c^4 + a^4$

$= 4(ab+cc)\,[a+b+c]^2 + 4c\,(aa + bb - cc)\,[a+b+c] + a^4 - 2\,(bb+cc)\,a^2 - 2b^2\,c^2 + b^4 + c^4.$

(quod verum eſſe, comprobari facile poteſt, multiplicationes & involutiones, in ſingulis terminis harum æquationum indicatas, inſtituendo): perveniemus ope huius lemmatis ad ſolutionem aliam eiusdem caſus Problematis, ubi nempe duæ radices utrique æquationi *(A)* & *(B)* ſunt communes. Nam factis $a+b+c = x$, & poſitis $4ab + 4cc = p$

$$4c\,(aa + bb - cc) = q$$
$$a^4 - 2\,(bb + cc)\,a^2 - 2b^2c^2 + b^4 + c^4 = r$$

invenietur eadem, quæ antea, ratione $(a - b)^2 = \frac{q}{4c} - \frac{1}{2}p + 3cc$, & $64c^6 - 32pc^4 + 4\,(pp + 4r)\,c^2 - qq = o$, ſeu $e^3 - 2pe^2 + (pp + 4r)\,e - qq = o$, exiſtente $e = 4cc$; & extracta ex hac æquatione radice poſitiva e, ſumenda eſt

$$f = 2c = \sqrt{e}$$
$$g = 4ab = p - 4c^2 = p - ff$$
$$h = 2c\,(a - b)^2 - cc)$$
$$= 2c\left(\frac{q}{4c} - \frac{1}{2}p + 2cc\right)$$
$$= \frac{1}{2}q - \frac{1}{2}f\,(p - ff)$$

Qui valores litterarum f, g, h ab illis, quos antea Ill. Comitis *de Fagnano* ſolutio præbuit, manifeſto diſcrepant, ſi litteris p, q, r iidem utrobique valores attribuuntur.

Poſſunt autem multa alia hoc genus lemmata inveniri, ex quibus ſingulis eadem via pervenire licebit ad totidem diverſas ſolutiones Problematis, tam in caſu duarum radicum æquationibus *(A)* & *(B)* communium, quam in caſu unius tantum radi-

Digitized by Google

radicis communis; niſi quod ſæpe valores litterarum f, g, h pendebunt a reſolutione æquationum, quarum reſolutio nondum eſt in poteſtate. Ergo ſolutio, quam Vir Ill. in ſuis Operibus Mathematicis dedit, non niſi particularis eſt, & permultæ aliæ Problematis ſolutiones *non indeterminatae*, ut hac appellatione cum Viro Ill. utar, eadem, quam ipſe adhibuit, methodo reperiri poſſunt.

Venio ad 3) & oſtendam, ſolutionem ab Ill. Comite datam ex mea tanquam corollarium derivari poſſe. Quod quidem brevisſime ſic fiet. In his Actis An. 1750. & 1752. problematis, de quo agitur, cum caſum, qui duas radices utriusque æquationum *(A) (B)* communes ſupponit, ſic ſolvi, ut dicerem, f pro arbitrio accipi poſſe, & deinde g ſumendum $= p \mp f\sqrt{e}$, & $h = q - \frac{1}{2}f\left(p \pm \frac{q}{\sqrt{e}} - e\right)$, denotante e radicem poſitivam huius æquationis $e^3 - 2pe^2 + (pp+4r)e - qq = o$. Iam aſſumamus $f = 2\sqrt{e}$: & patet, e nunc eandem eſſe quantitatem, atque in ſolutione *Fagnaniana*, ideoque etiam f utrinque eundem habere valorem. Dein adhibito ſuperiori ſignorum ante $\sqrt{e}$, erit ex mea ſolatione $g = p - \frac{1}{2}ff$, & $h = q - \frac{1}{2}f\left(p + \frac{2q}{f} - \frac{1}{4}ff\right) = \frac{1}{2}f\left(\frac{1}{4}ff - p\right)$. Qui valores antea etiam ex ſolutione Ill. Comitis ducti ſunt.

His præmiſſis, non erit difficile ad ſingula reſpondere, quæ Ill. Comes *de Fagnano* adverſus meam ſui problematis ſolutionem monuit. Primo enim quod negat, meam ſolutionem exactam eſſe, cum ea coefficientem f indeterminatam relinquat, licet problema conceptis verbis requirat, ut coefficientes f, g, h per datos p, q, r determinentur: non putaſſem, id mihi vitio verſum iri, cum palam ſit, mea ſolutione neutiquam excludi aſſumtionem eiusmodi valoris litteræ f, qui ſit determinata aliqua functio litteræ p, vel q, vel r, vel harum omnium ſimul. Quod autem nullum exemplum ſolutionis *non indeterminatae* dederim, id brevitatis ſtudio factum eſt,

Digitized by Google

eſt, & quia ab unoquoque harum rerum gnaro eiusmodi ſolutiones oppido multas ex mea generali ſolutione tanquam corollaria deduci poſſe intelligebam.

Cum Vir Ill. urget, ſe non poſſe pro exacta problematis ſui ſolutione agnoſcere eam, quæ coefficientem f æqualem ponat functioni cuidam ipſorum p, q, r pro libitu aſſumtæ: reſpondeo, non permittere naturam problematis, ut omne arbitrarium in determinatione coefficientium f, g, h evitetur; & in ipſa Viri Ill. ſolutione valorem litteræ f re vera arbitrarium eſſe, tametſi res ſecus ſe habere videatur, ſi quis non advertat animum ad hoc, quod aſſumtio Lemmatis, ex quo ea ſolutio derivata eſt, arbitraria fuerit. Nam ſi doctiſſimus Auctor in aliud Lemma illi ſimile incidiſſet, alios valores litterarum f, g, h, ut ſupra vidimus, inveniſſet.

Quod autem miratur, cur ipſe non ſenſerim, ſolutionem meam minus exactam eſſe, qui tamen aliam eiusdem problematis ſolutionem, a me allatam, propterea reiecerim, quod in ea coefficientes f, g, h per datos p, q, r haud determinantur: in eo ſane mentem meam non recte percepit. Ego cum primum problematis ſui ſolutionem aggrederer, quæſtionem mihi in omni ſua latitudine proponebam, quaſi ſic fuiſſet enuntiata: Invenire relationem, quam coefficientes f, g, h terminorum æquationis *(B)* habent ad datos coefficientes p, q, r æquationis *(A)*. Intelligebam, hanc quæſtionem duos habere caſus, & in utroque quidem eſſe indeterminatam, ſed in altero caſu accidere, ut coefficiente f pro libitu determinato, ceteri g, h per eum & per p, q, r ſimul determinentur, in altero autem caſu ne quidem coefficientis unius arbitrariam determinationem ſufficere ad reliquos omnimode determinandos, ſed in his iterum arbitrariæ determinationi locum relinqui. Quare cum quæſtio ab Auctore ſic fere enuntiata mihi videretur, tanquam determinata eſſet, putabam Auctorem ad unum, nempe priorem, tantum caſum reſpexiſſe. Hinc in Actis his A. 1750. priorem duntaxat caſum ſolutum dedi, & cur id fecerim, in Actis A. 1752. rationem reddidi. Sed idcirco dici nequaquam poteſt, me reieciſſe vel

non

non adprobaſſe alteram ſolutionem; cum ego hoc tantum indicaverim, me illam alteram, ſeu rectius, alterius caſus ſolutionem, prima vice ſtudio prætermiſiſſe, tanquam ab Auctore Problematis non deſideratam.

Tandem, quod Ill. Comes *de Fagnano* ſuſpicatur vitium quoddam in meis ratiociniis latens, quippe quibus cogi videatur, problematis ſolutionem niſi indeterminatam dari nullam, cum tamen ipſe dederit *non indeterminatam:* id ex ſupra dictis iam ſatis dilutum eſſe autumo. Solutionem *non indeterminatam* Problematis haberi poſſe, neque ego expreſſis verbis negavi, neque in mea Analyſi quidquam occurrit, quod impoſſibilitatem talis ſolutionis arguat. Hoc ſolum oſtendi, problema eſſe indeterminatum, & nullam eius ſolutionem dari, in qua non arbitrariæ determinationi quæſitorum aliqua ſaltim ex parte locus ſit. Id quod etiam de ea ſolutione, quam Vir Ill. in ſuis Operibus exhibuit, negari non poſſe vidimus.

Hæc ſunt, quæ admonitionibus Ill. Comitis *de Fagnano* reponenda duxi, non tam ut me defenderem, quam ut oſtenderem, vulgatam methodum, æquationes algebraicas tractandi, quam ego illi, de quo agitur, problemati adhibui, eidem perfecte ſolvendo ſufficere. Ceterum, num idem etiam de nova methodo, ab Ill. Auctore problematis uſurpata, prædicari queat, id aliis iudicandum relinquo.

TRAITE D' INSECTOLOGIE OU OBSERVATIONS ſur les puçerons.

i. e.

TRACTATUS INSECTOLOGIAE, SEU OBSERVAtiones de pediculis plantarum deſtructoribus.

PARS I.

Pariſiis, pl. 14. in 8. Tab. æneæ 4.

TRAITE D' INSECTOLOGIE OU OBSERVATIONS ſur quelques eſpeces de vers d'eau douce &c.

i. e.

TRACTATUS INSECTOLOGIAE, SEU OBSERVAtiones de quibusdam vermium aquae dulcis ſpeciebus, qui in partes diſſecti, perfecta ex ſegmentis animalia fiunt. PARS II.

Pariſiis, pl. 15. in 4. Tab. æn.

Prima pars tentaminis huius, quo induſtrius obſervator ſubtiliorem Inſectorum hiſtoriam aggreſſus eſt, circa minuta quædam animalcula verſatur, quæ, a qualicunque ſimilitudine, Hartſoeckero & Friſchio pediculi plantarum dicta fuerunt. Iam dudum illa noxis ſuis, quas vegetabilibus inferunt, ſuæ tamen, quam degunt, vitæ conditionibus, mutationibusque quas experiuntur, parum omnino fuerunt cognita. Celeberrimus nuper Pariſienſis Academiæ obſervator, *Reaumurius*, cui etiam multa ſe debere fatetur præſentis opuſculi Auctor, primus* fuit, qui animalcula iſta, Obſervationum ſuarum Tomo VI. obſervatione *des Pucerons*, attento oculo luſtravit, & mores eorum vivendique rationes deſcripſit. Excitatus tanto exemplo, & ab Academia Pariſienſi invitatus Auctor, plura adiecit, & de tantillo animali ampliſſimam ſcripſit hiſtoriam. Pauci erunt eorum, qui rei hortenſis ſtudio tenentur, qui ipſius animalculi exiſtentiam formamque ignorent. Degit vitam in plantarum foliis, caulibus, floribus; una ſtatione tenentur plurima; non autem ſparſim ambulant, ſed gregatim, maxime circa caules ſedent, & ex eorum tubulis corticalibus defixa proboſcide ſuccos ſugunt; pediculo humano haud maiora ſunt. Non tamen una omnium eſt forma. Colore diſcrepant, veluti eadem ſuper hanc illamve plantam inveneris: niſi enim omnes, plurimæ certæ plantæ, ſive arbores ſive herbæ fuerint, pediculis hiſce infeſtantur. Inveniuntur autem frequentius ad ſambuci, liguſtri, roſæ, cardui, plantaginis, caules. Quercus pediculorum peculiarem quandam familiam, moribus & vitæ genere diſcrepantem, alit, de quibus etiam ſeorſim Auctor agit. Mox vireſcunt, mox obſolete fuſco colore proſtant; elegantioris formæ ſunt cocci-

Digitized by Google

coccineo colore tincti, uti in Tanaceto vulgari, qui linteum Kermeſino inficiunt, ex quibus tinctores ſimilem illi, qui ex Opuntiæ ſcarabæolo, Cochinilla dicto, vel Cocco tinctorio Ilicis cocciglandiferæ, Kermes appellato, colorem ſperare poſſent; huius enim vel non multum diverſæ Progallinſectorum familiæ inſectum eſſe illud, ex quo Perſæ ſuum *Basgendes* aut *Boſtonges*, animadvertente *Savary* in *Dictionnaire du Commerce*, habent, noſter affirmat. Ex his quidam ſunt, qui foliis compunctis rubros uti in ulmo tumores excitant, quos cum vermibus foliorum deſtructoribus, ex Muſcula Ichniomone natis, & intra foliorum gallas metamorphoſin ſuam paſſis, confundi haud par eſt. Notat etiam Auctor, pediculos hoſce cum pſeudo-pediculis arboreis, quos Reaumurius *faux pucerons* appellat, perinde habendos haud eſſe, licet multas vitæ conditiones communes inter ſe habeant; forma enim lata ſphærica hi diſcrepant. Si greges horum animalculorum circa caulem ſambuci aliusve plantæ intueris, diverſi generis animalcula una eſſe putares: alii enim pediculi cornibus gemellis inſtruuntur ipſo corpore longioribus, alii iisdem deſtituuntur. Pedatis intercedunt alati, ex quibus quidam quatuor, quidam binis alis inſtruuntur: vermes etiam interrepere videmus. De formicis dicere nihil attinet, utpote quæ dulcedine ſucci melliti, qui ex iſtorum animalculorum cornibus veluti totidem ſpiraculis exſudat, illecti, turmas iſtas inſectantur, nihil tamen hoſtilitatis in iſta animalcula committentes, niſi quod aliquando viderit Auctor, formicam pediculum talem mordicus arreptum ſecum abſtuliſſe. Quid ergo iſtud ſit, quod tot diverſa animalia eodem grege detineantur, Auctor eleganter explicat. Animalcula ex adductis alia ſunt domeſtica, & pars familiæ. Adhuc nemo fuit, quin alata inſectula, quæ gregibus his interſunt, pro maribus pediculorum haberet, uti ſimile quid inter inſecta evenire videmus, quo papiliones femellæ plurimæ, ex formicis etiam ac cincindellis feminæ, alis deſtituantur. Sed obeſt diverſitas numeri alarum: quare verendum omnino eſt, ne muſculæ illæ magis ſint deſtructores pediculorum, quam coniuges. Videmus enim, intereſſe his gregibus

gibus pediculorum, vermes pedatos & apodas. Hinc facilis coniectura, duabus alis præditas muſcas, ex lege ſtabilita, *apodarum*, libellas iſtas quatuor alis inſtructas *pedatorum* vermium eſſe progeniem, metamorphoſeos legibus eductam. Nam ex ipſis pediculis iſtis haud pauci, vermem, pro modulo animalculi magnum, in viſcere enutriunt, qui ex ovulis muſculæ quadripennis, aculeo ovifero in viſcera pediculi adactis, progenitus fuit; uti analogia, qua ſimile quid in maioris exempli Inſectis fieri obſervamus, clare docet. Providentia factum eſt, ut iſta animalcula ſuis hoſtibus gaudeant, iisdemque quamplurimis. Mira enim eſt animalculorum fertilitas; ex una matre Auctor, intra ſeptimanam, 95. pullos genitos fuiſſe animadvertit, qui itidem, præcoci pubertate, parvo dierum ſpatio uberrimam prolem genuerunt. Illuvies iſta inſectulorum nulli ſtirpium parceret, niſi magna eorum copia in pabulum aliorum inſectorum, quorum inſtinctus fert pediculos iſtos inſectari, cederet. Vermis potiſſimum, vel eruca potius, Pediculorum Leo dictus Reaumurio, deglutitor horum animalium, mira voracitate integra deglutit, deque eorum exuviis ſibi chryſalidem ſtruit. Miraretur quilibet, ſi eſſet ferox beſtia, oves aut alia minora animalia integra deglutiens; aſt in minimis iſtæ rapinæ ſunt frequentiſſimæ. Comparat Auctor erucam hanc Herculi, exuviis Leonum ſibi veſtem paranti. Recte ſane Plinius de minimorum quorumvis animalculorum inſtinctibus enunciat: nullibi quam in his naturam magis totam eſſe. Rariſſima ſunt Inſectorum viviparorum exempla: omnia, his & quadam muſcarum gente exceptis, ex ovo germinant. Pediculi ſane plantarum vivos foetus pariunt, uti, ſi aliquamdiu prope ramum iſtis inſectulis obſitum ſtare & oculos intendere quis voluerit, teſtis autoptis eſſe poteſt, qua ratione ſimillima matribus animalcula earum uteris exeant, ubi partus ipſius negotium, & conatus, quo mater foetum edit, dignum viſu ſpectaculum exhibet. In eo ſaltim ambigunt naturæ myſtæ, an mares femellis interſint, an vero, veluti in lumbricis & limacibus, unumquodque individuum ſibi ſufficiat, ſitque androgynum, quod aliquibus, etiam

Bour-

Bourgueto placuit. Auctor, reſciſcendæ veritatis ſtudioſus, ſemellam ex multis ſelectam, ſolitariam, in ſambuci ramo enutrivit, & ſingulari patientia uſus, animalculi iſtius vitam luſtravit, viditque, procul a marium conſortio, eam vivos peperiſſe; cuius phænomeni rationes ſingularibus Tabulis expoſitæ ſunt. Ter exuvias depoſuit animalculum, tandemque peperit: quo ipſo tamen androgynum eſſe illud nondum liquere potuit, nam ante captivitatem cum maribus rem habuiſſe potuit, potuitque genuiſſe utriusque ſexus prolem. Obſervavit ſcilicet Auctor, animalculorum iſtorum diverſæ formæ corpora habentium concubitum, & clare deſcripſit. *Trembleius*, unicum maris concubitum, ad plures ſubſequentes generationes ſufficere putat. Marem inter pediculos hoſce illum putat eſſe *Geoffroi*, qui antennis prælongis dorſo incumbentibus inſtructus eſt; feminam, quæ proboſcidem ſub alvum flectit. Noſter pediculos alatos mares eſſe putat, vidit enim illos concubitum exercuiſſe. Singulare quid habent quercuum pediculi: illi enim, licet vivipari, ad normam aliorum, tamen verſus hyemem ova pariunt, eademque cortici ſurculorum adglutinant, cum inſtans hyems talem naturæ providentiam poſtulet, faciliusque ſub cruſta ovi abſcondita, quam nuda, frigus ferre inſectula poſſint. Videri autem poterant iſti partus globoſi non tam ova eſſe, quam foetus ſub chryſalide latentes; quo ſenſu etiam formicarum aureliæ, & pediculorum humanorum lendes, ovorum nomine inſigniuntur.

Altera Inſectologiæ huius pars continet vermium quorundam, in aquis dulcibus degentium, & ex ſegmentis ſuis reviviſcentium, hiſtoriam. Vermis quidam, exile, fidium facie, corpus habens, ex anulis concatenatis fabrefactum, duos tresve pollices longum, eandem, quæ polypis aquatilibus data eſt, ſeſe ex ſegmentis multiplicandi facilitatem, a natura indeptus eſt. Iam dudum, & anno quidem 1741. evenerat, ut induſtrius obſervator *Trembleyus*, primus animalcula iſta detegeret, quibus a celeberrimo *Reaumurio* Polyporum nomen inditum fuit, & quorum vitam laudatus *Reaumurius*, *Obſervationum ſuarum, quae ad hiſtoriam inſectorum faciunt*, *Tomo VI.* recenſuit.

Auctor polyporum iſtorum acquirendorum ſtudio illectus, aquas dulces magna induſtria perquiſivit, & polyporum quidem detegendorum voluptate fruitus haud eſt; aſt vermes quosdam invenit, quos ex minimis ſegmentis redintegrari poſſe ſtatim ſuſpicatus eſt: nec eventus fiduciam fefellit. Pellucida cum eſſent iſtorum vermium corpora, viſa fuit arteria magna in varios nodos iuxta ſingulum anulum contexta, & totius animalis a capite, cauda tenus longitudinem emetiens. Motus ſucci, ſanguinem præ ſe ferentis, ab imo ad ſummum tendere deprehendebatur, quod iam ante in Bombyce ſuo *Malpighius* obſervaverat. Diviſus primo experimento in duas partes vermis fuit, & ſingula dimidia eadem, quam quæ integri vermis erat, agilitate, in aquis commota fuit; ſexto a quo ſectio facta fuerat die, tuberculum prope vulnus naſci coepit, quod in parte capitata caudam, in caudata caput, ſenſim produxit; & illa quidem pars ſecta, cui cauda ſuperfuit, caput citius acquiſivit, capitata portio caudam lentiore incremento accepit, id quod humoribus vitalibus ab imo ad ſummum provectis, uti in iſtis animalculis, quibus concatenata corda ſunt, evenire ſolet, tributum eſt. Viſcera ipſa diſſecta, ſimul elongata, inque iuſtam, quæ toti animali debetur, formam, reſtituta fuerunt, eventu prorſus mirabili, cui ſimile quid natura non fert, præter æſtaci chelam, quæ præſecta ſimiliter renaſcitur, experimento in vulgus cognito. Audaciore experimento, in XXVI. partes animalculum, ſectione ad horizontem ducta, dilaniatum, ſicque ex pluribus fruſtis multiplicatum fuit. Media quædam ex illis pars, quæ cauda & capite caruit, excitatis ante tuberculis, caput ante, hinc caudam, generabat, experimentis felicius æſtatis, quam hyemis tempore, ſuccedentibus. Similes multiplicationis ex nodo ſecto modos, vegetabile regnum, ſalicis & populi exemplo affert; quæ ſimilitudo *Trembleyum*, ut Polypos ſuos plantanimalia eſſe crederet, induxit: a qua tamen ſententia ſponte ſua poſt deſtitit. Caput ſine anulo relicto truncatum, & cauda imo loco præciſa, novum animal non producunt; ſed ablatas de medio, & viſceris partem habentes ſectiones eſſe decet, quæ novum integrumque vermem daturæ

ſunt.

ſunt. Quæſtio proinde orta eſt, an ſimile quid animalculis iſtis ſibi relictis accidat, & utrum diviſionis lege tantum, an & generationis via, multiplicentur. Vidit Auctor in vitri parietibus, animalculum ſponte fractura diviſum, & reſtitutum de fragmento fuiſſe: hinc probabile viſum eſt, his animalibus ſortem illam datam natura eſſe, ut nodulis divortium facientibus ex uno plura fiant corpora. Verum eventus docuit, viviparos quoque eſſe vermes: nam fruſtum quoddam ex multis, diſſecto verme, emiſit vermiculum aliquot lineas longum, anguillulis illis ſimilem, quæ in aceto proſtant; mira agilitate illud cæſareo partu eductum animal in aquis luſit, incrementum cepit, & eadem paſſum eſt, quæ vermibus polyporum æmulis accidunt, & ex ſegmentis reſuſcitatum fuit. An igitur ſimplex ſit machina, an aggregatus ex multis vermiculus, an animarum pluralitate gaudens, quæſtionem proponit Auctor. Raro ex ſegmentis mediis duo enaſcuntur capita: viſum tamen illud & Trembleyo in polypis, & noſtro in ſuis vermibus fuit. Præter hos vermes millepeda quoque, ac ſcolopendra quædam aquatica, vitalem diviſionem habent: nec abludunt vermes tubulorum conditores, quos oculis ſiſtere Auctor docet, ſi limo aqua ſuperfundatur, tunc enim intra breve tempus animalcula vidit ex tubulis intra limum conditis, caudulis exertis, & ad compulſum vitri ſubito retractis, iterumque emiſſis, iucundo ſibi ſpectaculo luſiſſe. Felicia hæc noſtra tempora, quibus, quod plurimis retro ſeculis in abſtruſo latuit, lucem adſpicere licet: felicia ingenia, quæ naturam in minimis ſuis operibus aſſequi didicerunt.

LIBER LXX. HEBDOMADUM RESERATUS, SEU in Cap. IX. Danielis diſſertatio, in qua per genuinam editionis vulgatae interpretationem, hebraico textu illuſtratam, prophetiae celeberrimae nodus diſſolvitur. Accedunt confirmationes ab anno ſabbathico & iubileo. Auctore IACOBO MARIA AYROLO, Societatis Ieſu.

Romæ

Digitized by Google

Romæ, ex typographia Bernabò, & Lazzarini. Superiorum permiſſu, plag. 15. 8. mai.

Vaticinium Danielis de LXX. ſeptimanis tanta ſe claritate commendat, tantamque ad chriſtianæ religionis veritatem comprobandam vim habet, ut, qui illud abſque præiudiciis meditatur, ſenſum eius non adeo difficulter adſequi poſſit. Quæ ratio eſt, quare optimus magiſter noſter Chriſtus ad illud provocarit, atque rei chriſtianæ doctores a primis fere illius temporibus, de fatis gentis iudaicæ, ex Babylonia reducis, Chriſti adventu, eius officiis & beneficiis, excidio denique urbis ac templi Hieroſolymitani, fuerint interpretati. Id tamen etiam eſt dicendum, ipſam illius evidentiam in cauſſa fuiſſe, quare tot infenſiſſimi hoſtes, & antiquiori & recentiori ævo, in illud inſurrexerint, ipſamque Danielis auctoritatem ſollicitare non ſint veriti. Quare opera illorum, qui in hoc oraculo illuſtrando & vindicando occupantur, eſt omnino laudanda. In horum numero etiam eſſe voluit doctiſſimus *Ayrolus*, cuius commentatio, quæ eruditis iamdum nota, vel novo titulo eſt ornata, vel ſecunda vice operarum formis eſt exſcripta. Recentiores quidem controverſias non attingit, ſed illius tantum ſenſum explanare contendit: quod, quo ſucceſſu ab ipſo fuerit præſtitum, ex illius ſuccincta enarratione adparebit.

Conſecrat opuſculum *Mariae*, virgini deiparæ, ipſamque tantis extollit elogiis, ut reparationem generis humani, per ipſam futuram, oraculis divinis ab incunabulis mundi promiſſam, cuius tempora 70. Danielis ſeptimanis fuerint definita, quæque, ipſa deprecante, fuerint *abbreviatae*, credat. Ad ipſam *ſedium ſupernarum adſiſtricem ſapientiam* preces ablegat, ut *ſibi neceſſariam ad grande hoc vaticinium explicandum lucem infundat*. Alium igitur ſpiritum eiusque auxilium ſibi exoptat noſter, quam quo Daniel eſt agitatus, cuiusque lumen ſibi expetunt genuini oraculorum divinorum interpretes. Novum ſpecimen inſanæ Μαριολατρείας, qua vel ipſi cordatiores ſocietatis Romanenſis offenduntur. Perſona Mariæ non

Digitized by Google

non indignum iudicavit, iungere *Clementem* XI. P. R. cuius beneficio linguam ebræam docendi provincia ipſi erat demandata, quique, cum ei auditores ſuos, qui libros aliquot apocryphos in ebræum idioma converterant, ſtitiſſet, & doctori, & ſingulis diſcipulorum, numum cum effigie ſua, & epigraphe verborum Zeph. III. 9. אז אהפך אל עמים שפה ברורה donaſſet, (cuius etiam ectypon exhibet, & verba hæc de inſtituto Clementis explicat,) hanc ipſam diſſertationem in gymnaſio Romano poſt hæc publice recitavit. Totam tractationem abſolvit capitibus XXXIV. Cap. I. diſſerit de præſtantia atque difficultate vaticinii huius, quod licet non adeo facile ſit intellectu, ſufficere tamen iudicat ad Iudæos confutandos, Meſſiam iamdum adveniſſe, ipſumque ante mille & ſexcentos annos neci datum eſſe. Cap. II. proponit duas ſententias, quarum altera initium hebdomadum ab a. 7. *Artaxerxis Longimani*, altera ab a. eiusdem 20. ducit. Contra poſteriorem dubium movetur, quia annus 20. Artaxerxis incidit in annum a. C. N. 444. cui ſi addantur a. 33. vitæ Chriſti, efficienter tantum a. 477. Nec illi robur inde accedit, quia vel anni lunares fuerint putati, vel quia non a morte *Xerxis*, ſed ab anno illius 12, quo Artaxerxes in imperii ſocietatem fuerit cooptatus, numerati, c. II. III. Quas difficultates autem alii interpretum, ſpeciatim cel. *Vitringa*, ſingulari cura & doctrina expediverunt. Cap. IV. docet, Iudæos annos lunares per menſem intercalarem ſubinde adiectum ſolaribus æquaviſſe, alias evenire potuiſſe, ut menſis Niſan, quo paſcha celebrandum, per omnes anni ſolaris menſes oberraverit. Cap. V. demonſtratur, duplicem illam epocham Artaxerxis, quam ex fuga Themiſtoclis ad Perſas, allegatis *Diodori* & *Thucydidis* teſtimoniis, elicere conantur, conſiſtere minus poſſe, quare hæc cum aliis Plutarchi & Thucydidis comparantur. Cap. VI. exhibentur rationes *Pererii*, itemque *Huetii*, quibus duplex illa epocha prorſus conficitur. Annos Artaxerxis in libro Eſra, non, niſi a morte Xerxis, quo ille regnum adiit, numerandos eſſe, ex illius decreto, quod cap. VII. 11. ſeqq. perſcriptum habemus, efficit: quoniam, ſi cum patre regnaviſſet, decretum, nulla patris mentione facta,

 con-

condere, aut ſe regem regum adpellare, non potuiſſet, c. VII. Cap. VIII. argumenta diluuntur illorum, qui duplicem propugnant epocham, oſtendendo, illius in hiſtoria ſacra neque volam neque veſtigium ullum deprehendi. Cap. IX. ex rationibus chronologicis oſtenditur, initium hebdomadum ab a. 7. Artaxerxis Longimani eſſe repetendum. Calculum, poſito hoc, æram vulgarem 4. vel 5. annis deficere, ita ſubducit: mortem Chriſti contigiſſe a. æræ vulgaris 29. annum autem 7. Artaxerxis concurrere cum a. 3. Olympiadis 80. ſed huic reſpondet annus ante vulgarem ſupputationem 457. quibus ubi adduntur a. 29. efficiuntur a. 486. qui efficiunt hebdomadas 69. cum dimidia, ſed mors Chriſti in dimidiam ſeptimanam incidere debebat Dan. IX. 27. Confirmatur hoc verbis v. 25. ubi dicitur: *verbum exiviſſe, ut urbs reſtauretur,* domus ſtruantur, moenibus cingatur, cives legibus conſtringantur, c. X. quod ipſum c. XI. ab oppoſito, *urbem deſtruere*, illuſtratur c. XI. Idem ſtabilitur ex v. 16 - 18. ubi per *deſolationem* intelligenda deſtructio non ſolum urbis & templi, verum etiam quod incolis ſuis fuerit exhauſta: petit igitur, ut in ſanctuarium ſacerdotes & Levitæ, in civitatem cives & populus revocentur, c. XII. XIII. Idem hoc liquet ex verbis angeli v. 25. qui ponit להשיב ולבנות, quo utroque & reditus populi, & urbis reſtitutio, ſignificetur, c. XIV. Decreta regum Perſarum *Cyri, Darii, & Artaxerxis,* ex libro Eſræ expromuntur; c. XV. Nehemias c. II. 1. 19. ab rege Artaxerxe a. 20. non tam facultatem reſtaurandi urbem, quæ iam data erat, petit, quam miſſionem in Iudæam, c. XVII. Initium hebdomadum neque ad Cyri, neque Darii decretum referri poſſe, ex rationibus chronologicis & verbis Danielis oſtenditur, c. XVIII. nec ad commentitium Artaxerxis, quod a. 20. regni eius editum fuiſſe dicitur, c. XIX. ſed ad illud, quod a. 7. imperii ipſius eſt promulgatum, quo Iudæis αὐτονομία fuit conceſſa Eſr. VII. 14. ſeqq. c. XX. XXI. Quo Artaxerxis decreto poſito, licuit ipſis ex iure naturæ & gentium, itemque poſtliminii, habitacula ſibi ſtruere, ad patrias ſedes redire, easdemque de novo occupare, c. XXII. Ex iure civili ipſis

αὐτο-

αὐτονομία & facultas iudicia exercendi, c. XXIII. ex iure divino autem hoc competiit, ut legem, a Moſe latam, de novo in uſum reducerent, c. XXIV. XXV. Obiici ſibi poſſe animo proſpiciebat: hæc in edicto non diſerte exprimi. Reſpondet, neque id neceſſe fuiſſe: ſatis eſſe, tacite in illo latere, c. XXVI. Ex dictis concludit A. *exitum ſermonis* ad a. 7. Artaxerxis eſſe referendum, cum Darii decretum ſolius templi reſtitutionem; Cyri, ædificium domorum ac moenium implicite; Artaxerxis, reſtaurationem ædium & moenium, iuxta ac *αὐτονομίαν*, aperte reſpiciat, c. XXVII. Cum autem obiici poſſet, per decretum Artaxerxis facultatem quidem reſtituendorum Hieroſolymorum datam eſſe, ex eodem vero minus adparere, exſecutioni illud mandatum eſſe: ex Eſra demonſtrat, ſtatum civilem pariter atque eccleſiaſticum reſtitutum eſſe; ſpeciatim Eſram libros ſacros diligentiſſime conquiſiviſſe, in unum corpus quaſi redegiſſe ac ordinaſſe, litteras Chaldaicas in locum Samaritanarum invexiſſe, quæ omnia ſine adflatu divino facta non fuerint. Sed quoniam per hoſtium vicinorum irruptionem ſæpe ſint impediti, quæ ædificata erant, devaſtata ac igne deleta, a. 20. Artaxerxis ultimam demum manum operi fuiſſe impoſitam, c. XXIX. Sed enim, quoniam inter *exitum verbi*, ſive decretum a. 7. Artaxerxis latum, & ædificationem moenium a. 20. ſpatium omnino 13. annorum intercedit: diſtinguendum eſſe iudicat inter decretum de urbe exſtruenda, & Hieroſolymorum ædificatione, c. XXX. Quæ dixerat, ex ipſo Daniele c. IX. 25. it ſtabilitum, ubi notat verba שבעים שבעה, & ſic porro, caſu ſexto reddenda eſſe; porro שוב, quod adfine ſit τῳ ישב, exponi debere per *quieſcere, ſedere*, quaſi *redire, ut ſedeas & quieſcas:* hinc interpretatur, *hebdomadis ſeptem & hebdomadis ſexaginta duabus redibit*, ſive *habitabit*, & *aedificabitur*, cetera. Hi anni decurrunt ab a. 7. Artaxerxis ad baptiſmum Chriſti usque, ac faciunt a. 483. Quam interpretationem ex hiſtoria confirmat, additis auctoritatibus *Theodoreti & Funccii*, c. XXXI. Quod ad interpretationem vocum להשיב & תשוב, conſentientes ſibi nominat interpretes, *Syrum, Arabem, Graecum,*

 Ter-

Tertullianum item, *Pagninum* ac *Vatablum*, c. XXXII. In ſubſidium ſuæ ſententiæ vocat annos *ſabbathicos*, quos ex libris Maccabæorum ac *Ioſepho* colligit, quorum ab a. 7. *Artaxerxis* ad a. C. 33. numerat 70. quos omnes in ſubiecta tabella repræſentat, c. XXXIII. Idem probare ſatagit ex annis iubilæis, quorum toto hoc tempore fluxerint 10. adeo ut 33. Chriſti fuerit iubilæus. Quæ vero ad illuſtrationem Matth. XVIII. 21. & Gen. IV. 24. hac occaſione adfert, longius ſunt petita. Subiungit pariter tabulam iubilæorum, c. XXXIV. Daniel totum illud tempus dividit in *ſeptimanas ſeptem, ſexaginta duas & unam*, cuius diviſionis rationes, ab *Euſebio* & *Hieronymo* prolatas, in medium adfert, & examinat, c. XXXV. Ipſe primæ diviſionis rationem repetit inde, quoniam angelo obverſati fuerint anni ſabbathici, quorum ſeptem conſtituant iubilæum, c. XXXVI. Septimanæ 62. reſpiciunt promulgationem iubilæi Lev. XXV. 9. baptiſmum autem Chriſti circa idem tempus iubilæi publice proclamati incidiſſe, arbitratur, quod Chriſtus in ſchola Nazarethana *annum gratiae* nominans, Luc. IV. 17. 19. ſignificarit, c. XXXVII. *Septimana una*, quæ reſtat, danda eſt confirmationi ac conſummationi eorum, quæ a Chriſto peragenda erant, quando ſc. teſtamentum novum ſanguine ipſius eſt confirmatum, & ad perfectionem adductum, c. XXXVIII. Sunt, qui hebdomadas ſeptem ſeiungunt ab a. 62. argumento ducto ab atnach, qui adhæret τῷ שבעה; quos inter etiam nomen ſuum profitetur *Marſhamus*, qui hebdomadas 7. ducit ab anno primo *Darii Medi* ad babylonicum Cyri initium, a. 62. a templi deſtructione per Chaldæos ad a. 4. *Antiochi Epiphanis*. Contrarium adſeverat noſter, quoniam accentus atnach aliquando minorem, imo nullam infert diſtinctionem, uti Gen. I. 1. VIII. 18. Num. I. 46. quod idem etiam aliquando ſit dicendum de Silluk, accentu maximo, c. XXXIX. Adſtruxerat in ſuper. paſſionem Chriſti a. æræ vulgaris 29. illigandam eſſe, incidit igitur ipſius baptiſmus in a. 26. & quidem iuxta communem opinionem d. 6. Ian. ſacramentum hoc admiſit: quare 4. paſchata celebrare potuit, c. XL. Sed dubium

dubium movetur, ſi ab exitu ſermonis ad Chriſtum usque, i. e. baptiſmum illius, numerantur ſeptimanæ 69. & tamen Chriſtus occidendus dicitur poſt hebdomadas 62. ſequi, ipſum a. 49. ante baptiſmum morti tradendum fuiſſe. Examinatis rationibus, a *Pererio* allatis, A. iudicat, ad ה articulum præmiſſum τῷ שבעה v. 26. c. IX. probe attendendum eſſe, qui indicet, hebdomadas 62. illas præciſe eſſe, quæ poſt 7. antecedentes ſint decurſuræ; quod ipſum exemplis, quibus poſt אחרי ſequitur ה demonſtrativum, it probatum c. XLI. *Pactum*, quod confirmandum dicitur v. 27. explicat de Novo Teſtamento, & lege evangelica, quod factum fuerit partim per Chriſti præconium, per dimidium primum hebdomadis ſeptuageſimæ, partim per Apoſtolos, cuius finis quærendus in memorabili viſione, quæ obtigit Petro Act. X. 11. ſeqq. a quo tempore gentibus verbum gratiæ prædicari ſit coeptum, quod, cenſentibus pluribus chronologis, a. 4. a morte Chriſti evenit, c. XLII. Cap. XLIII. declarantur verba v. 27. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium:* quæ verba, diverſis interpretum ſententiis in medium adductis, cum abominatione deſolationis coniungenda eſſe iudicat, inducta per cædes, a zelotis, uti dicebantur, intentatas, inde per Titum. Ceſſatio ſacrificii de iure quidem facta, Chriſto de vita decedente; de facto, everſo templo. Tempus autem hoc non priori innecti, ſed ſeorſim numerari debere pronuntiat, atque adeo totum tempus, quod a morte Chriſti ad urbis usque everſionem fluxit, intelligi poſſe arbitratur. Accedit appendix, in qua ſententiam *Nicolai Abrami* de hoc ipſo argumento expendit, qui paſſim idem cum erud. *Ayrolo* ſentit, in quibusdam vero ab illo diſcedit, cuius proinde expoſitiones in examen mittit, & quid in illis deſideret exponit. Index rerum & verborum notatu dignorum ſubiungitur.

DISSERTATION QUI A REMPORTE LE PRIX DE l' Académie Roiale des Sciences & Belles lettres de Pruſſe, ſur l' Optimiſme, &c.

i. e.

ADOLPHI FRIDERICI REINHARDI, SER. DUCI Megalopol. ab Epiſtolis, Diſquiſitio de Mundo optimo, quae praemium Anni 1755. ab Academia Regia Berolinenſi reportavit, iunctis tribus Anonymorum ſcriptis de eodem argumento, ex eorum numero quae de praemio certarunt.

Berolini 1755. apud Haude & Spenerum, plag. 22. in 4.

Problema ab Academia Regia Berolinenſi pro obtinendo præmio propoſitum ſequens erat: 1) Mentem Syſtematis Popiani, omnia bene eſſe, diſtincte explicare: 2) eius cum Syſtemate Leibniziano de mundo optimo convenientiam, vel ab eo diverſitatem, oſtendere: 3) hoc Syſtema validis rationibus vel corroborare, vel convellere. Auctor ſcripti, quod præmium tulit, priora 2. capita coniunctim tractat, Popiique ſyſtema, in Epiſtolis de Homine propoſitum, cum Leibniziano ex aſſe convenire oſtendit. Iam cum ipſi minime placeat ſyſtema horum duumvirorum, quorum merita ſe venerari ultro teſtatur: altera diſſertationis parte id agit, ut doctrinam de Mundo optimo erroris arguat, ſuumque ſyſtema, quod liberæ electionis vocat, in locum eius ſurroget. Nos ſcripti ſummam breviter exhibebimus. Initium facit Auctor commemorando quædam, ad hiſtoriam controverſiæ inter Crouſazium & Warburtonum, de Poemate Popiano, agitatæ, pertinentia, ſimulque ad quæſtionem, an Popius doctrinam ſuam de mundo optimo ex Leibnizii ſcriptis hauſerit? Warburtono auctore, negando reſpondet, præſertim cum dogma hoc apud Platonicos alioſque abunde iam reperiatur. Oſtendit porro, convenire Popio cum Leibnizio, non modo in dogmate generali de mundo optimo, ſed etiam in ſpecialioribus cum illo connexis, utpote de nexu rerum univerſali, de eſſentiis rerum ac mundi neceſſariis, de continua illa rerum gradatione ac ſerie, de origine mali ex colliſione regularum perfectionis, de maxima mundi perfectione per admiſſio-

Digitized by Google

miſſionem mali obtinenda, de legum generaliorum præ particularibus prærogativa, de providentia ſpeciali a generali non diverſa, & quæ ſunt eius generis alia. His expoſitis, ad ipſam de mundi perfectione theoriam accedit Auctor, rationesque eorum, qui mundum hunc optimum eſſe ex perfectionibus divinis concludunt, examini ſubiicit. Præmittit ante omnia definitionem perfectionis. Perfectio in ſenſu generali ei nil aliud eſt, niſi quantitas realitatis in entibus obviæ. Omnis perfectio ſupponit notionem communem, ſub qua realitates eam conſtituentes contineantur. Hæc notio eſt vel ipſa notio realitatis in genere, vel idea quædam ſpecialior magisque determinata. Licet enim omnem realitatem pro perfectione habeamus, ensque perfectiſſimum illud appellemus, quod omnes realitates absque limitatione habet: tamen in omnibus perfectionibus finitis, ut fixam certamque naturam ac eſſentiam habeant, fundamenti loco ponendi ſunt certi quidam ſcopi ac fines, in quibus realitates convenire debeant, & ex quibus perfectio rerum ſit æſtimanda. Proponit hoc loco Auctor theoriam finium primariorum ac ſecundariorum, colliſionisque regularum perfectionis. Dignitas vel præſtantia finis primarii præ ſecundario, neceſſario certum gradum habere debet, i. e. exprimi poteſt per rationem quandam geometricam, quantum unus finis alteri præſtet. Aiunt vulgo, in colliſione regularum perfectionis, finem primarium ſemper præferendum eſſe ſecundario: ſed dari poſſunt caſus, ubi exceptio facienda eſt a regula primaria, nempe, ſi exceptione facta a regula ſecundaria, maior in toto defectus oriretur, quam ſi a primaria fieret. Pone æſtimationem finis A eſſe ad æſtimationem finis $a = 3 : 1$. Pone porro, ſi fiat exceptio ab A, amitti tantum $\frac{1}{12}$ finis huius; ſi vero fiat ab a, amitti $\frac{2}{3}$ finis a. Iam $\frac{1}{12}$ A eſt $= \frac{1}{4}\, a$. defectus igitur qui oritur, exceptione facta ab A, eſt ad illum qui oriretur exceptione facta ab $a = \frac{1}{4} : \frac{2}{3}$; palam ergo eſt, plus hic amitti perfectionis, ſi exceptio fiat a regula ſecundaria, quam ſi fiat a regula primaria. Eadem methodo oſtendit Auctor, dari poſſe caſus, ubi perfecte æqualis ſit defectus, ſive ab una, ſive ab

ab altera regula fiat exceptio. Hiſce pertractatis, ad quæſtionem de mundo optimo adplicat ſuam de perfectione theoriam. Mundus eſt ens finitum, nec poteſt omnes habere realitates; in quovis mundo igitur ſupponendi ſunt certi fines, qui perfectionem eius conſtituant. Cum vero diverſi fines conſtituere poſſint perfectiones heterogeneas, quæ commenſurari ac inter ſe comparari nequeunt: non impoſſibile quoque eſt, ex diverſitate finium divinorum in pluribus mundis, oriri perfectiones diverſorum mundorum inter ſe heterogeneas, quarum ergo una altera maior dici nequit. Porro minime repugnat, ad conſequendum unum finem dari plura media æque idonea; quare, eodem manente fine, diverſæ perfectiones æquales locum habere poſſunt. Innumeræ modificationes unius ſyſtematis eſſe poſſunt, ex quarum multis æqualis reſultat perfectio; quidni igitur & in diverſis mundis, quorum iidem ſupponuntur fines, perfectio poſſet eſſe æqualis? Ponamus, pergit Auctor, unum mundum omnium illorum quos intellectus divinus ſibi repræſentat, eſſe perfectiſſimum; tunc notio illa, quæ perfectionem hanc conſtituit, eſt vel realitas in genere, vel finis quidam divinus magis determinatus. Priori ſenſu mundus perfectiſſimus erit, qui inter omnes poſſibiles maximum numerum realitatum continet. Talis eſt impoſſibilis. Mundus enim quicunque, eſt ens finitum, cuius realitas ſemper augeri poteſt, & quantumcunque numerum realitatum huic mundo, quem dicis perfectiſſimum, tribuas, negare nequis, poſſibiles eſſe alios mundos, eundem numerum realitatum continentes, ideoque æqualis cum illo perfectionis. Quid enim impedit, quo minus alius mundus alias realitates æque multas, vel easdem realitates alio modo inter ſe combinatas, contineat? Poſteriori ſenſu mundus perfectiſſimus erit, in quo fines omnium perfectiſſimi, optimis mediis, in ſummo gradu obtinentur. Sed, inquit Auctor, ſi de finibus determinatis ſermo eſt, cogitari nullo modo poteſt, unum finem reliquis omnibus poſſibilibus eſſe præſtantiorem. Quis demonſtrare poteſt, plures fines non poſſe æqualiter convenire perfectionibus divinis? ſi hoc velles, oſtendere

de-

deberes quid ſit illud, quod efficeret, unum finem magis, quam reliquos omnes poſſibiles, convenire perfectionibus divinis; id quod facere nullo modo potes. Quoad media, itidem non repugnat, plura ad eundem finem conſequendum æque apta eſſe atque idonea. Quod vero ad gradum attinet, ſummus gradus in rebus finitis exiſtentibus impoſſibilis eſt, quia omne finitum augmenti eſt capax. Et ſi vel maxime daretur, talem ſummum gradum nullam involvere contradictionem; non tamen inde ſequeretur, unicum mundum eſſe omnium perfectiſſimum. Quid enim ſi fines ſint diverſi, & tamen æque Deo digni? Quid ſi ad eundem finem dentur plura media eiusdem bonitatis? Nonne eodem iure aſſumere poſſum, unumquodque ex diverſis his ſyſtematibus habere ſummum perfectionis ſuæ gradum poſſibilem?

His nondum contentus Auctor, aliam ingreditur viam, qua probet, in perfectionibus divinis nullam eſſe rationem, quare unum ſyſtema, vel unus mundus omnibus reliquis ſit præferendus. Deus, inquit, ſibi ipſi perfectiſſime eſt ſufficiens; perfectio eius a nullo ente extra eum ullo modo dependere poteſt; nec ulla eſt in Deo perfectio, quæ ad complementum ſuum aliquid extra Deum exiſtens requirat. Alias Deus non haberet in ſe ipſo omnem perfectionem cuius natura eius capax eſt, ſed ad eam conſequendam indigeret rebus creatis. Nulla igitur in Deo eſſe poteſt quoque perfectio moralis, quæ exiſtentiam obiectorum ſuorum extra Deum ad ſui complementum requirat. Inde nec ſapientia, nec amor perfectionis atque ordinis, nec bonitas Dei, nec ulla voluntatis eius perfectio, rebus extra Deum, in quibus ſe exerant, indigent; ſed illis omnibus, per ipſam internam Dei perfectionem pleniſſime ſatisfieri tenendum eſt. Omnes hæ perfectiones non ad eum finem Deo inſunt, ut externe manifeſtentur; licet etiam eas extra Deum manifeſtari ac exerceri non repugnet. Sed quid de bonitate divina dicendum? nonne hæc ad minimum deſiderat obiecta exiſtentia, quibus bene faciat? Negat hoc Auctor: ſi enim hoc eſſet, Deus indigeret rebus creatis, ut inſtinctibus naturalibus voluntatis ſuæ ſatisfieret, nec ſine

illis perfectisſima felicitate frueretur. Bonitas divina, æque ac reliquæ Dei perfectiones, complementum ſuum in ſe ipſa habet, etiamſi, quomodo id fiat, non ſatis intelligimus. Ex his omnibus A concludit, exiſtentiam rerum finitarum, per omnes perfectiones divinas non eſſe niſi mere poſſibilem, Deoque perfecte indifferens eſſe, an creaturæ exiſtant nec ne. Si igitur Deus decernat creaturas producere, id facit per arbitrariam determinationem liberæ ſuæ voluntatis. Ex iisdem quoque rationibus elicit Auctor, indifferens Deo eſſe, quænam, & quot creaturæ exiſtant; nec aliam huius electionis eſſe rationem, præter ipſam libertatis divinæ determinationem. Nullius ergo ſyſtematis vel mundi exiſtentiam præ reliquis omnibus requirit perfectio divina; ſed potius reſpectu huius indifferens eſt, quodnam ſyſtema eligatur, modo nihil cum perfectionibus divinis pugnans contineat. Ad hoc explicandum, exponit Auctor differentiam, quæ eſt inter voluntatem Dei neceſſariam, ac liberam. Per illam Deus neceſſario amat perfectionem; & ſi Deus extra ſe agat, non permittit illa, ut aliquid faciat, vel perfectioni divinæ, vel perfectioni rerum quæ intenditur, finibusque divinis contrarium. Sed non determinat Deum voluntas neceſſaria ad producendum creaturas, vel ad has potius quam alias producendas; quin potius hæc omnia voluntati liberæ relinquit. Voluntas enim divina libera eſt facultas eligendi inter ea quæ ſunt Deo indifferentia, ut agere & non agere, agere hoc potius vel aliud. Obiectum voluntatis liberæ Dei eſt perfectio in genere: non poteſt determinare ſe niſi ad perfectionem vel bonum; ſed ad quodnam bonum inter infinita poſſibilia ſe determinare velit, arbitrariæ eius electioni relictum eſt. Non igitur poteſt ex perfectionibus divinis demonſtrari, quem mundum inter infinitos poſſibiles Deus eligere debuerit, vel actu elegerit. Hiſce copioſe diſputatis, argumenta pro mundo optimo proponi ſolita convellere ſatagit Auctor. Quando v. g. dicitur, Deum, quia habeat voluntatem perfectiſſimam, velle omne bonum, & per conſequens optimum; reſpondet: Deum per perfectionem ſuam plane non velle exiſtentiam boni finiti;

Digitized by Google

finiti; & ſi de voluntate libera ſermo ſit, falſum eſſe, Deum velle omnem perfectionem, cum velit tantum eam, ad quam producendam ſeſe libere determinavit. Concluſionem tractationis facit inſtituta comparatione ſyſtematis de mundo optimo cum ſyſtemate liberæ electionis, qua huius convenientiam cum perfectionibus divinis, uſumque eius ad derivanda inde motiva tranquillitatis animi, fiduciæque in Deum, oſtendere allaborat.

LUDOVICI ANT. MURATORII DISSERTATIO de naevis in religionem incurrentibus, ſive Apologia epiſtolae a Sanctiſſimo D. N. Benedicto XIV. Pontifice Maximo ad Epiſcopum Auguſtanum ſcriptae.

Lucæ, ex typographia Benediniana, plag. 12½. in 8.

Sine multo negotio augurari poterunt Lectores, quibus de epiſtola, a *Benedicto XIV.* ad Epiſcopum Auguſtanum aliquando perſcripta, vel leviſſima adeſt notitia, celeberrimum *Muratorium* in libello, publici hic iuris facto, clariſſimum *Windheimium* petere, qui cenſuram iam dictæ epiſtolæ nuper in ſe ſuſceperat, multa ſimul commemorans, quæ Pontificis Maximi laudibus minus favere videbantur. Aperto hinc marte agit Noſter, & *caput* ſtatim *primum* de novo genere laudum, quo *Windheimius* res geſtas *Benedicti XIV.* proſecutus fuerit, inſcribere aggreditur, varias eccleſiæ ſuæ, & ſummo illius antiſtiti, obiectas res novas amoliens, ſummamque in inceptis religioſis ſapientiam Pontificis prædicans, ſententiam denique eius, de præſentia Spiritus Sancti in arduo canoniſationis negotio, ingenue exponens. *Caput* deinde *ſecundum* alias exponit accuſationes, a *Windheimio* in prædictum eccleſiæ romano-catholicæ caput prolatas, inprimis circa revelationem dierum emortualium, & legem circa hæreticos in eccleſia Romana fixam atque propoſitam, ſecundum quam ludibrio omnino Auctor eſſe iudicat, quæ de odio ſanguinolento Romanæ eccleſiæ adverſarius dixerit, eumque imperitiæ

accuſat, ubi de die feſto anniverſario Sanſti Petri, ab eodem Pontifice aucto, & ſolemnius inſtituto, commemoraverat quæpiam, minus recte intellecta; quibus addit epiphonema *Muratorius* illuſtre: *Iam dudum Proteſtantibus mos eſt*, inquit, *plura mentiri, aut ſibi fingere in catholicorum dedecus, ut populos ſuos in ſchiſmate atque odio, aut contemtu Romanae eccleſiae, acrius confirment.* Inſuper pro fabuloſo putat, Pontificem plures in ſanctorum coetum intuliſſe, quam ullum anteceſſorum eius; itemque, Ieſuitas cohibere eum, quo minus plures det: ex quo apparere iudicat, in *Windheimio* modeſtiam & curam veritatis deſiderari. Feſtum diem Luſitanorum devotioni dicatum, *ad libitum* eſſe ait Noſter, non autem *de praecepto*, opera ſervilia non interdicere, nec populum obligare, ſecus plane, quam adverſarius putaverit. *Caput tertium* inanes a *Windheimio* fabricatas cenſuras adverſus epiſtolam Pontificis tractat, & notisſimam de *Creſcentiae* cuiusdam, feminæ monialis, viſionibus, fabellam repetit; qua in re tamen *Benedictum XIV.* ſapienter & graviter omnia egiſſe ſibi perſuaſum habet Italus noſter. De auctoritate perſcriptæ huius epiſtolæ nihil eſſe dicit, quod curet quiſpiam; ſcilicet controverſia nulla de fidei articulo, aut moralis Theologiæ capite, ſed de diſciplina orta, circa veram hominis diiudicandam pietatem atque ſanctitatem. Ibi, occaſione ſcilicet ferente, in *Lutherum* graviſſimæ evomuntur criminationes, ut veræ eccleſiæ vaſtatorem; quinimo contra veritatem aſſeritur rei, *Lutheri* aſſeclas nonnullos fanaticum ipſum hominem fateri, & a nonnullis eius dogmatibus ipſos recedere. Differentiam Noſter debuiſſet admittere inter hominem, qui in eccleſia eſt Lutherana, eumque inter qui de eccleſia iſta eſt. Pergit in *Capite quinto* Auctor amplius refellere accuſationes inanes, inter quas primas illa tenet partes, quod immerito *Windheimius* tantum Pontifici imponat onus, ut omnes Catholici orbis ineptas imagines noſſe debeat, & ſuis quaſi manibus evertere. Sufficere, ait, Pontificem partes ſuas hac in epiſtola ſtrenue egiſſe, dum abſonas omnes imagines improbatas dedit. Somnia eſſe, & phantaſmata crepat Noſter, quod obiicit adverſarius, Pontificem

ficem Theologiæ Scholaſticæ rudi atque incomtæ principem inter diſciplinas ſanctiores locum adhuc relinquere, cum tamen catholici ipſi habeant quod minime probent in Theologia Scholaſtica veteri, inanes ſcilicet atque inutiles quæſtiones, aliaque quamplurima. Et cum recentior Theologia Scholaſtica dogmaticam quoque complectatur, non eſſe, ſcribit Auctor, quare Pontifex moneat, ut Scholaſticæ dogmaticam adiungant; meraque eſſe ſomnia, apud catholicos negligi divinæ ſcripturæ ſtudia, nihilque huius rei in Pontificem cadere, dummodo ſuis oculis adverſarius doctisſimus melius voluiſſet uti. Nihilo minus, pergit Auctor, inconcuſſum eccleſiæ catholicæ fundamentum perſtare de invocatione Sanctorum, qui legitimo etiam ac generali titulo mediatores apud Deum appellari poſſint. Verum enim vero, ubi comparatio eorum fit cum Chriſto Domino, tunc unus iſte deprehenditur, decernente ita hoc *Muratorio*, verus Dei & hominum mediator. Iſte proprius, perfectus, & peculiaris; ſancti vero & homines imperfecti & improprii ſunt mediatores. In reliquis *capitis quinti* momentis tricæ nominantur *Windheimianae*, circa regulas canoniſationis obiectæ ipſi, ita, ut infallibilitatem eccleſiæ circa diſciplinam neutiquam a catholica congregatione ſtatui Noſter affirmet, ſed utramque ſententiam, & affirmantem, & negantem, in ſua probabilitate ab Eminentiſſimo Cardinali *Lambertino* relictam eſſe, clariſſimis declarat verbis. Tandem ſub finem pro ſe ipſe verba facit Auctor, circa doctrinam de fide humana, in factis ſanctorum exigenda, etſi nullum adſit divinum teſtimonium: uti v. g. Deus minime cuiquam revelavit, quis revera pater cuiusque ſit; attamen quando ex humana certitudine conſtat, hunc illumve eſſe patrem, certo exinde docetur, honorem ipſi paternum eſſe habendum. Sic etiam in ſanctorum exemplis rem ſe habere, Auctor fidenter aſſeverat. *Caput ſextum* inanes, quas dicit, quæſtiunculas, adverſus ſanctorum beatificationem, ab Adverſario uberius propoſitas, in medium profert, & plurima de certitudine morali tradit, ad quam inquiſitiones præviæ in mores beatificandorum hominum exiguntur, ita tamen, ut

Digitized by Google

nemo obligetur, fide ſupernaturali ſanctitatem eorum credere, atque indubitate accipere. Declarat præterea mentem Pontificis circa dilationem mirabilium in ſanctis perſonis virtutum indagandarum, quæ eo tendat, ne citius iuſto inquiſitio talis inſtituatur poſt obitum hominis ſancti. Vitio denique minus recte verti eccleſiæ ſuæ Auctor dicit, maiorem diligentiam & curam in decernendo honore ſanctitatis adhiberi, quam olim fuerit adhibita, inprimis quod ad veritatem miraculorum pertinere videtur. Invehit hinc in Cenſorem ſuum Noſter, quod ſine cauſa ubique difficultates & dubitationes nectere didicerit, a quo tamen diſputandi genere ſolidioris doctrinæ ſcriptores abhorrere ſolerent; quinimo addit, nugis indulgere *Windheimium*, quum tradat, deprehendi poſſe in moniali *Kaufbyrenſi, Creſcentia,* quæ diſputandi occaſionem dedit, ob tam leves cauſas illam ſanctimoniæ menſuram, quam Romanæ prudentiæ leges exigunt, ut de canoniſatione alicuius perſonæ quæſtio inſtituatur. Per *ſeptimum caput* Auctor oſtendit, quam inconcinne de imaginibus Chriſti & Spir. S. loquutus fuerit *Windheimius;* quamque minus commode exempla S. *Franciſci,* & *Catharinae* Senenſis, huc referenda veniant, ex breviario Romano, & viſionis ratione, docet. Errare adverſarium, ſcribit amplius, ſibi perſuaſum habentem, quaſi ſymbola & typi, ſub quibus fideles Salvatorem pingere ſolent, eandem habeant rationem, quam imagines Chriſtum hominem repræſentantes ſecum ferunt; quin etiam a vero aberrare, Pontificemque ea damnare, quæ non auctoritate divinæ ſcripturæ in hac cauſa nituntur. Diſcrimen porro eſſe ſtatuendum, ait, inter viſiones in divinis libris exaratas, & eas, quæ ſanctis recentioribus obtigerunt, ita, ut nihil, niſi Scripturæ S. conforme, admitti debeat; & hinc etiam viſionem Spiritus S. ſub forma ſpecioſi iuvenis improbandam eſſe. Denique canonem Noſter de imaginibus Dei ex concilio Tridentino explicat, & Pontificem ex hoc capite defendit. *Caput ſequens* de nævis in eccleſia obviis, intacta religionis veritate & eccleſiæ ſanctitate, agere incipit, vehementer ſimul invehente Auctore in iuvenilem *Windheimii* æſtum, & ſophiſticum, ut ait, certamen. Summa dicen-

dicendorum eo redit, infelicia eſſe ingenii humani molimina, nova ſubinde introducere, minus pie & recte conſiderata, hinc fieri non poſſe, quin vel in optimas, non tantum hominum, ſed & a Deo ipſo ordinatas religionis inſtitutiones, eiusmodi zizania irrepant, imo etiam graviori propagatione creſcant, & oſcitantia eorum, quibus vineæ dominicæ cura credita fuit, multiplicentur. Iniuſte tamen, quod omnes facile concedent cordati viri, univerſæ eccleſiæ vitio verti, quod non omnes privatarum eccleſiarum corruptelas adhuc ſuſtulerit; cum non eiusdem generis omnes ſint nævi, aliis ſcilicet gravioribus, aliis levioribus exiſtentibus, qui quidem ultimi a pietate recedunt, absque peccato tamen conſiſtere poſſunt. quod diiudicare noſtri officii non eſt. Sed neque pluribus enarrare, quæ in *Capite nono* hic occurrunt, magna verborum copia, & ad ingenuas ſanctorum origines, eorumque cultum recte inſtituendum, ex ſcitis eccleſiæ Romanæ, ſpectantia. *Decimum caput* curate docet, corruptelas nonnullas, quæ adhuc in eccleſia Dei deprehenduntur, ſive ſint in cultu ſanctorum, reliquiarum, & imaginum; ſive in ſupplicationibus, ſuffragiis pro defunctis, aliisque ad diſciplinam eccleſiaſticam referendis, ſtupidæ quidem ignorantiæ eſſe teſtes, peccati tamen omnis expertes; nec barbaræ huius conſuetudinis quidpiam inter Italos aut Gallos facile reperiri, quibus Hiſpani, Luſitani, & rudiores eccleſiæ catholicæ Germani, abundent. Optime an hic cauſam ſuam *Muratorius* defenderit, tempus docebit; quove iure ad eccleſiam Lutheranam provocare potuerit, alii non intactum relinquent. *Bina* extrema *capita* exponunt, quatenus eccleſiæ deſiderium, ut quævis corruptela de ſinu ſuo auferatur, ſit accipiendum, atque etiam implendum; & quam inique ob quaſdam corruptelas, ab eccleſia ipſa minime probatas, *Windheimius* ſuos avertat fidei ſocios ab ineunda cum catholicis concordia. Hæc ſunt primaria huius libelli polemici, an eriſtici? capita, quibus, ſub finem enarrationis noſtræ, vota *Muratorii* ferventia addere liceat: *O utinam*, ſcribentis, *aliquando inſurgant utrinque viri fortes, quibus ſit ſcientia ſacra omnibus praeiudiciis libera, & zelus ac amor praegrandis unitatis & pacis;*

pacis; atque hi tentatam non ſemel, quanquam irrito conatu, inter Catholicos & Proteſtantes concordiam, feliciori ſucceſſu pertractent. Certus ſum mihi, in iis, quae ad diſciplinam pertinent, multum indulgentiae a catholicis impetraturos eſſe proteſtantes; eosdemque, ſi ſapiunt, nunquam commiſſuros, ut ob naevos, ab eccleſia catholica non probatos, conſilia pacis retardentur. Qui hæc capere poteſt, capiat. Fiſtula dulce canit —.

IOSEPHI, AEGYPTI OLIM PROREGIS, RELIGIO A criminationibus Baſnagii vindicata. Diſſertatio CASTI INNOCENTIS ANSALDI, Ordinis Praedicatorum.

Brixiæ, ex officina Ioh. Bapt. Boſſini, pl. 11. 8. mai.

Maxime indignatus cl. Auctor ea, quæ cel. *Baſnagius* in *Cap. VII. antiq. Iudaicarum* adverſus Patriarcham *Ioſephum*, de odio Aegyptios inter & Hebræos olim intercedente, eiusque cauſis atque origine, diſſeruerat, in animum ſibi induxit, obiectam Ioſepho cultus idololatrici criminationem de induſtria vindicare. In medium ante omnia profert nomina auctorum fide digniſſimorum, antiquiſſimorum æque ac recentiorum, Ioſephi ſanctitatem, integerrimos mores, atque ſummam in Deum pietatem extollentium, quos inter omnino *Moſes* & *Flavius* principes ſunt teſtes, nihil plane de patriarcha hoc commemorantes, quod vel acutiſſimum hominem in ſuſpicionem criminis obiecti adducere poſſit. Doctiſſimus *Baſnagius* maximum reprehenſionis momentum ſibi deprehendiſſe videbatur in eo, quod Ioſephus conſortio menſæ abſtinuerit, inter Hebræos atque Aegyptios illicito, & quidem ea de cauſa, ne iis animalibus frui cogerentur Aegyptii, quæ pro numinibus colebant. Ut vero huius dubitationis omne evertatur fundamentum, nullaque adverſus Ioſephum reliqua ſit umbra ſuſpicionis, demonſtrat Noſter perquam curate, Ioſephi ævo nondum fuiſſe apud Aegyptios cultum beſtiarum introductum, licet poſteriori tempore in ea ſuperſtitione omnino fuerint Plurimi quidem

dem ſacrarum literarum interpretes, easdem mutui Hebræos inter Aegyptiosque odii cauſſas adferentes, diſſentiunt tamen inter ſe, ut *Grotius*, *Cunaeus*, & pauci alii, quibus & *Albertus Fabricius* addi meretur, recte ſentiens, veteres Aegyptios, in viris & ſpirantibus animalibus, vel plantis, vivis Dei operibus, partem divinæ potentiæ atque bonitatis contemplandam propoſuiſſe, adeoque Græcis, plerumque inanimes & ſæpe abſurdas imagines divinitatis ſibi fingentibus, prudentiores fuiſſe. Sequitur ex eo, Romanos æque ac Græcos rerum ſacrarum Aegyptiacarum Scriptores, fabulis plerumque indulſiſſe, aut certis de cauſis in errores abductos fuiſſe: quarum prior in eo poſita videtur, quod Aegyptiorum religio occulta tota & ſacerdotibus tantum nota fuerit; altera cauſa hæc eſt, quod talibus de myſteriis altum apud myſtas fuerit ſilentium, ratione cuius exteri popularesque corticem tantum religionis tenebant, nucleum plane relinquentes, cui rei indicio ſunt, quod a *Iamblicho* atque *Diodoro Siculo* memoriæ proditum fuit. Licet etiam vere dicatur, ſapientes Græcos in Aegyptum peregrinantes, cognitionem quandam rerum hauſiſſe Aegyptiacarum: nimium tamen ætas eorum a temporibus Patriarcharum abeſt, quam ut in rem præſentem aliquid inde recte colligi queat. Adparet igitur, quanta obſcuritate atque difficultate, iudice *Perizonio*, viro graviſſimo, antiquitatis Aegyptiacæ laboret veritas, in temporibus inprimis *obſcuris & fabuloſis*, quæ veteres ipſi ab *hiſtoricis* curate diſtinguebant. Sed de animalibus tantum, quod res eſt, diſceptabimus quædam. Conſtans eſt fama, Aegyptios bovem, *Apim* ſcilicet, cultu divino fuiſſe proſecutos, cuius etiam in *Baſnagii* adnotationibus plurima fit mentio. Sed dubia plane atque incerta res eſt, quæ in tempora initium huius idololatrici cultus ſit ponendum. Nullum adeſt teſtimonium fide dignum, ultra Ioſephi Patriarchæ tempora bovinam illam adorationem adſtruens; ex quo prono fluit alveo, animalia etiam reliqua viliora atque inutiliora, Deorum in cenſum, Ioſephi temporibus, relata non fuiſſe. Cum enim recte exiſtimetur, cum *Strabone* atque

 Mela,

Mela, Aegyptios ſtatuas ponere fuiſſe ſolitos iis, quos in honore habuiſſent, dum viverent: quis non videt, ſimulacrum *Apis*, ſeu *Bovis* ſtatuam, quæ nobilius erat apud Aegyptios divinitatis ſymbolum, nonniſi ad tempora Ioſepho poſteriora eſſe referendam. Conceſſo etiam, regnante *Pharaone*, adeoque Ioſephi temporibus, Argivorum regem *Apim*, navibus in Aegyptum transvectum, ibique mortuum fuiſſe; quod quidem maxime eſt incertum: minime tamen inde ſequitur, etiam ſub iisdem temporibus, eundem *Apim* regem fuiſſe Deum Aegyptiorum conſtitutum. Nulla hinc veritatis ſpecie contendi poteſt, Ioſephum, ob communionem religionis Aegyptiacæ, convictum Hebræorum reſpuiſſe. Magis probanda videtur *Voſſii* ſententia, ſuſpicantis, religioſum illum Aegyptiorum *Bovem*, ſymbolum fuiſſe Ioſephi demortui, & inter Deorum numerum relati; ſiquidem non inter Aegyptios modo, ſed alios etiam populos, bovem *Ioſephi* providentiam atque liberalitatem ſignificaſſe, ſatis certo conſtat. Ipſum *Apis* nomen hanc coniecturam adiuvat, ſiquidem facili ex forma ab Hebræorum אב deduci poteſt, quo titulo *Ioſephus*, ut pater patriæ, honorifice adpellabatur. Pari modo *Serapidis* ſimulacrum eandem rem arguit, quippe quod, cum modio ſuper capite pictum, diviſionem frumenti, per Ioſephi miniſterium factam, non occulte oſtendit. Quæ ſi ita ſeſe habent, cultum animalium ætate Ioſephi inferiorem omnino reddunt. Obiectiones a *Natali Alexandro* contra hoc argumentum prolatæ, ita comparatæ ſunt, ut facile expediantur. Interim non negatur, idololatriam aliquam ante Ioſephum etiam in Aegypto viguiſſe, quod vel ex iis patet comminationibus, quas *Ioſua*, *Ezechiel*, & *Amos*, adverſus Iſraelitas iuſſu divino protulerunt, tanquam adverſus homines, qui in idololatricas Aegyptiorum conſuetudines deſcendiſſent. Sed recte eſt tenendum, antiquiſſimam illam Aegypti idololatriam circa coeleſtia ſigna fuiſſe verſatam, quod verba innuunt auctorum ſanctiorum, ſecundum veriſimillimam nobiliſſimorum interpretum opinionem. Ea, quæ *Clericus* in contrariam adferre

ferre partem conatur, non vere pugnant cum ſententia doctorum virorum admodum vulgari, ſed facile inter ſe ita componuntur, ut, & ſiderum contemplatio, & apotheoſis illuſtrium virorum, in originibus idololatriæ locum habeat; dummodo teneatur, gentes profanas ſplendorem ſiderum pro imaginibus virorum illuſtrium habuiſſe. Præterea notandum eſt, *ἄστρον* non quidem ſidus ſignificare, quod ſtellam proprie dicimus, ſed verius ſignum ex ſtellis pluribus compoſitum. Hinc ſidus *Remphan* non aliud fuit, quam imago ſtellata, quam, ut & reliquas, Græci deinde animalium nominibus extulerunt, indeque a Romanis naturales tauri atque ſerpentes habiti ſunt in *Zodiaci* ſignis. Sed falſo. Antiqui enim Aegyptii planetarum imaginem ponebant pro Regibus, inter ſidera elatis; & cum *Remphan Saturni* ſtella dicta fuerit, ei, quod agriculturæ præeſſet, bos erat conſecratus, uti etiam alias bos ſignum erat hominum eidem arti deditorum. Hoc ſyſtema religionis Aegyptiacæ, *Euſebii*, & *Philonis Byblii* teſtimoniis abunde confirmatur; quibus & aliæ temporum rationes addi poſſunt, ex quibus ætas regum quorundam, ſub *Apidis* nomine celebratorum, colligitur, ita ut Ioſephi temporibus multo ſint illi inferiores. Si fas itaque erit, in caliginoſa illa nocte aliquid cum ratione divinare, recte exiſtimandum videtur, craſſam Aegyptiorum idololatriam, inter ingreſſum Iſraelitarum in Aegyptum, & eorum exitum, omnino terminari. Siquidem haud congruum etiam erat, Deum Iacobi filios in terram permiſiſſe ingredi, tam abominanda Idololatria contaminatam; eosque ſuas ibi figere ſedes perrexiſſe; unde deinceps, poſtquam adeo foede erravit, ereptam gentem ſuam voluit Deus, & ab tam nefando incolarum commercio diſſociatam. Utut vero hæc omnia exiſtimentur, ſine controverſia tamen veriſſimum manet, idololatriam illam, cuius legibus eſu animalium prohibiti Aegyptii dicuntur, in cauſſa non fuiſſe, quare a communione victus fratrum *Ioſephus* abſtinuerit. Alia igitur exquirenda eſt cauſa, circa quam ſubinde erravit *Baſnagius*,

Digitized by Google

temere multa *Cunaeo* affingens. In hoc autem doctiſſimus ille vir ſibi non conſtat, quod de odio Aegyptiorum adverſus Iacobi poſteros verba faciens, quatuor veluti non diſtinguat odia, ſeu diverſas potius, pro temporis diverſitate, odii perpetui cauſas: alteram nempe antequam Aegyptum ingrederentur Iſraelitæ; alteram dum eam incolerent; poſt exitum tertiam; & poſtremam denique tempore Theocratiæ, & ſeculis ſubſecutis. Inviſi Aegyptiis Iſraelitæ erant ante ingreſſum eorum, nonniſi quod deteſtarentur Aegyptii omnes paſtores ovium. Cum hoc convenit colloquium Pharaonis cum Iacobo inſtitutum, & habitatio *Goſen*, terræ ſcilicet feracis, Iſraelitis, ut paſtoribus gregis, conceſſa. Poſt *Ioſephi* mortem alia odii huius cauſa enata fuit, ex inſigni Iſraelitarum & foecunda propagatione. Hæc omnia vero mire confundit *Baſnagius*, & *Cunaeum* vitii accuſans, maximum ipſe committit errorem, cauſas odii, *Seſoſtris* tempore orti, cum Patriarchæ tempore miſcens. Licet etiam ex Græcis & Romanis ſcriptoribus quis erant, religionis tantum ergo, crudele Aegyptios inter atque Iſraelitas odium fuiſſe exercitum, veritati tamen minus hoc reſpondet, dum conſtat, auctores huius rei recentiorem quendam Aegyptium ſcriptorem ſecutos eſſe. Quodſi dicamus, Aegyptios novum contra Iſraelitas concepiſſe odium propter floreſcentem religionis apud Iudæos ſtatum, & defectionem eorum ab Aegyptiorum imperio ac ſacris: tamen inde manifeſtum erit, odium illud, quo religionis ergo Aegyptii adverſus Hebræos flagrabant, nec ad Ioſephi tempora, neque ad illius religionem poſſe referri. Qua enim ratione poſſet adfirmari, Iſraelitas ab ſacris Aegyptiorum defeciſſe, novoſque inſtituiſſe ritus, qui unius *Iacobi* domus privata conditione contenti, hominem vix octuageſimum numerabant? Confundit itaque *Baſnagius* legem naturæ cum *Moſis* lege, & Hebræorum regnantium conditionem cum paſtoribus Abrahamiticis. Aliæ igitur huius rei ſunt inveſtigandæ origines, quæ cum *Clerico* aptius a plagis, quas Abrahamo paſtore, per Aegyptum trans-

Digitized by Google

tranſeunte, paſſi erant Aegyptii, quam ab religionis ſimultate, repetendæ ſunt. Qua quidem in ſententia, codicem ſacrum conſentientem, facile quoad verba habemus iudicem. Politica, non ſuperſtitioſa, ſeu religioſa, erat ratio. Et, ſi culpa vacare credimus, quod Chriſtiani aliquando Imperatores, dignitatis ergo, ſeſe civilibus accommodaverint moribus Romanorum, quanto magis liberum fuiſſe dicendum eſt Aegyptio Patriarchæ, cibis uti vel abſtinere, ſecundum convivales aut aulicas Aegyptiorum leges. Quod vero ad animalium pertinet carnes, quibus haud fuiſſe uſos aliqui arbitrantur Aegyptios, duo inprimis hic ſunt notanda. Primum quidem, quod, ex quo animalia numinum Aegyptiorum fuerint ſymbola, recte tamen inferri haud queat, conviviorum in uſum ea minime veniſſe: nam & columba apud nos charitatis atque Spiritus S. ſymbolum audit, neque tamen animali illo abſtinemus, aut illud fortaſſe veneramur. Alterum, quod, etſi animalibus minime uſi fuerint Aegyptii, alio utique, quam religionis motivo, iis abſtinuere. *Herodotus* certe apertiſſime tradit, humanitatis cauſa ab animantium cæde Aegyptios fuiſſe alienos. Idem nonnulli etiam tradunt de Abrahamiticis ſenibus, ob vitæ ſimplicis conditionem animalibus abſtinentibus. Poſtea vero, cum Aegyptum incolerent Hebræi, animalium eſum in deliciis primum habuiſſe videntur, quod vel ex *Exod. XVI. 3. 12.* colligitur. Interim non negatur, inter plurimas gentes uſu hoc veniſſe, ut certis animantium generibus inter comedendum abſtinerent. Alii enim oeconomiæ tenebantur legibus, uti bove veſci Aratori nefas fuiſſe, ex *Aeliano*, *Varrone*, *Plinio*, *Tranquillo*, diſcimus. Alii carnes aliquas pro ſanitatis legibus comedere vetabantur; aliis aliæ cautiones erant impoſitæ. Potuit inde fieri, ut inter Aegyptios ceteroſque populos convivale veluti odium eſſet, quia nefas & ſcelus putabant, id comedere, quo reliqui liberrime utebantur. Recte itaque *Grotius* ſtatuit, abſtinentiam, ab eſu animalium ruris, veterem quidem fuiſſe, ſed idololatriæ nulla adhuc *Io-*

ſephi ætate veſtigia comparere, ne in Aegypto quidem. Poſito vero, tunc temporis falſi numinis Aegyptios celebrari cultores, nullam tamen eiusmodi abſtinentiam religioſe tenebant. Amplius etiam docet ſacer codex, *Ioſephum* ex hoc capite criminis idololatriæ non teneri, cum abunde exinde conſtet, Ioſephum ſeorſim, & fratres, & Aegyptios, comediſſe. Nec ſuſpicio leviſſima huius rei adferri poteſt, dum expreſſe ſcribitur, ſeceſſum feciſſe ab Aegyptiis convivis *Ioſephum*. Rimanti vero cauſam, quare cum fratribus *Ioſephus* in menſæ communionem non venerit, facile reſpondetur, ipſum fraternitatem diſſimulaſſe, atque pro cultu regio & ſplendore maieſtatico decenter ſe geſſiſſe. Quo accedit, ex more etiam aliorum populorum, quod facile eſt creditu, tunc temporis apud Aegyptios conſuetudinem obtinuiſſe, ut communis nunquam cum advenis eſſet indigenarum locus. Ex iſto nunc agendi modo perſpicue docetur, recte egiſſe *Ioſephum*, cum paſtoribus advenis non comedentem; quod & *Scaliger* eadem ex ratione comprobatum dedit, &, celeberrimi *Baſnagii* obiectas criminationes, minime in eum cadere, luculenter docuit.

NOVA LITTERARIA.

Prodiit nuper in hac Urbe *Pars Prima* Catalogi Bibliothecæ D. *Chriſtiani Gottlieb Ioecheri*, Academiæ Lipſienſis olim Hiſtoriarum Prof. Publ. Ordin. & Bibliothecarii, a die XIX. Febr. A. MDCCLIX. in Collegii Paulini ædibus, a pie defuncto inhabitatis, auctionis lege publice divendendæ, Alph. I. plagg. 7. octonis. Digna collectio, quæ a multis librorum cognoſcendorum & comparandorum cupidis inſpiciatur. Perfecerat eam ſtudium & elegantia Viri, doctrina, ſcriptis, & in Univerſitatem hanc litterarum meritis clariſſimi, qui medio Maio huius anni,

Digitized by Google

anni, annos natus LXV, deceſſit. Is cum non ſolum ſanctioris diſciplinæ præcepta egregie teneret, (& gerebat inſignia Doctoris Theologi,) ſed inprimis in omni hiſtoria, rerum puta ſacrarum, civilium, & litterariarum, legendo expendendoque aſſidue, eſſet exercitatiſſimus, factum eſt, ut utrumque genus librorum, theologicum & hiſtoricum, cuius etiam ſingularis eſt & utiliſſima adfinitas, in hac eius bibliotheca maxime emineat. Aderant illi multi & præſtantiſſimi ſcriptores, in his SS. Patrum, quos vocant, editiones probatiſſimæ, Opera alia complura, volumine, caritate, infrequentia, donis aliis ſpectabilia. Sed cum a litteris veterum non poſſit quisquam, niſi horrido ſit ingenio, abhorrere: eos quoque libros, qui partim Auctores vetuſtos accurate deſcriptos exhibent, partim eorum intelligentiam variis modis iuvant, diligenter Ioecherus noſter conquiſiverat. In enumerando tam præclaro theſauro, ſecus ac plerumque inſtituitur, ſed idoneis ex cauſſis, non materia librorum, ſed forma, ordinem creavit. Ex 4218. Voluminibus ergo, priora 1219. folii formam habent, reliqua quartam: Pars altera minoris formæ libros complectetur. Hæc ipſa autem diſtributio ad formarum rationem, claſſibus nonnullis diſtinguitur, ortis ex compage librorum exteriore, quam a conglutinatoribus accipiunt. Eam ſi ſpectes, pulchre veſtitam invenies præcipuam huius bibliothecæ partem, & talibus etiam ornamentis commendabilem. Neque tamen omnino in hoc Catalogo deſcribendo neglecta ſunt Lectorum commoda, qui, ut quemque expetitum ſibi librum indagare citius poſſint, ordinem a rebus deſumtum plerumque præoptant. Nam index copioſus, qui hanc Partem claudit, utilitatem eandem, leviter conſultus, præſtat. Sed præter libros huius Muſei, ſigillatim auctionis lege vendendos, duplex alia in eodem exſtat Collectio, quam integram ſervari, emendamque offerri, recte placuit. Comparaverat ſibi b. Ioecherus ingentem numerum *Diſſertationum Academicarum*, minorumque

Com-

Digitized by Google

Commentationum, varii argumenti, plus quam tercentis Voluminibus, neque tam numerum, quam delectum & raritatem, ſpectaverat. Idem *apparatum tabularum Geographicarum* bis mille & plurium collegerat, quas a doctis auctoribus delineatas pictasque, ex ordine provinciarum diſpoſitas, duodecim maioris formæ Tomi ſervant. Apparet facile, quo labore, quibus ſumtibus, utraque ſylloge conſtiterit. Eius moleſtiæ qui compendium aliquod facere volent, habent hic propoſitam opportunitatem. Nobis ſatis eſt, ad capeſſendam univerſæ huius hereditatis litterariæ, a Ioechero noſtro ad poſteritatem transmiſſæ, partem, ſtudioſos homines invitaſſe. Et apparebit profecto, Catalogum inſpicientibus, quam, in exquirenda optimorum librorum ſuppellectile, & diligentiam Ioecherus adhibuerit, & vim iudicii; quamque etiam ſplendoris, qui in videntium oculos incurreret, atque ad legendos libros & tractandos quaſi efficacius invitaret, fuerit ſtudioſiſſimus. Ex tali, viri pie defuncti, in libros ſuos amore, qui magno ei impendio conſtitit, iudicabunt docti homines de diſſertationum academicarum collectione, eiusque pretio, deque Geographicis tabulis: quem utrumque apparatum, optabile eſt, non diſcerpi, ſed venire in manus hominis litterarum talium amantis, qui eum alioquin non niſi maximis ſumtibus, hic autem brevi manu, & æquiſſimo pretio, quod pollicentur heredes, habiturus eſt.

Digitized by Google

TAB.V. ad N

I. a
Ectypon C.



II.
Numiſma Vi



Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCLVIII.

I.

EDUARDI CORSINI, CL. REG. SCHOLARUM Piarum, in Acad. Piſana humanior. litter. Profeſſoris, de Minniſari aliorumque Armeniae regum nummis, & Arſacidarum epocha, diſſertatio.

Liburni 1754. plag. 9. in 4to, cum una fig. æn. in titulo.

II.

DUBIA DE MINNISARI ALIORUMQUE ARMENIAE regum nummis, & Arſacidarum epocha, nuper vulgatis, propoſita per ERASMUM FROELICH, S. I. S.

Viennæ Auſtriæ 1754. plag. 13. in 4to, cum fig. æn.

Numiſma nondum vulgatum, cuius aere expreſſum typum Tab. noſtr. n. 1. ſubiecimus, Corſino, V. Cl. & admodum Rev., materiem eruditæ commentationis dedit, in qua ſatis operoſe & induſtrie in tempora Arſacidarum, quorum nondum explicatæ rationes ſunt, inquiritur. Deſcriptionem nummi præmiſit, e qua potiora excerpemus. Argenteum illum & tetradrachmum eſſe teſtatur, fide *Philippi Venuti*, Eccl. Liburn. Præp., qui Romæ a Palatio, elegante ſeq. TAB. V. *Corſin.* Præf. p. IV.

Digitized by Google

antiquitatis cultore, acceptum delineavit, & cui eo nomine
Corſin. opuſculum ipſe inſcripſit. Addit, plerisque regum Partho-
Sect. I. rum atque Armeniorum nummis id pondus eſſe. Caput, quod ab una parte impreſſum eſt, regis eſſe ſtatuit, ſenile, diademate ornatum, promiſſis capillis, & longa barba inſigne. Alterius partis typum, ait, eſſe viri nudi, velut cippo inſidentis, qui ſiniſtra quidem ad cippum demiſſa ipſi inſiſtere videatur, dextra vero elata clavam, ad dextrum usque genu pertingentem, ipſique fere incumbentem, ſuſpenſam teneat. Ubi tamen, ut hoc in transcurſu moneamus, rupes plane, non cippus, cui vir inſidet, conſpicitur. Subiicit inde inſcriptionis litteras ſuperſtites, quæ ex delineatione noſtra peti poterunt; quas ipſe ſic ſupplet: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΝΝΙΣΑ-ΡΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. ΤΛΓ. h. e. *Regis Minniſari Servatoris.*
(α.) Anno CCCXXXIII. Inde, ut eliciat, Arſacidæ vultum eſſe, ponit, ſimilem quidem nulli e notis regibus hunc deprehendi; promiſſam tamen comam, barbam, ac diadema, in ple-
(β.) risque Arſacidarum nummis occurrere. Addit alterius partis typum, ſeu Herculem ſedentem, ut *Vaillantium* ſecutus interpretatur, eundem eſſe, qui in duobus Monneſis, Parthorum ſive Armeniorum regis, nummis, quos *Vaillantius* Hiſt. Arſac. p. 339. *Geſner* Theſ. Tab. I. n. 26. & *Maffeius* Gall. Antiq. Epiſt. 22. p. 114. protulerunt, conſpiciatur. His argumentis uſus non dubitat, numiſma Armeniæ aut Parthiæ regum alicui eſſe tribuendum.

Cauſſam ſignati in una parte Herculis ad originem illam Armeniorum a Theſſalis, quam e fabuloſo ævo repetitam *Strabo* l. XI. tradidit, refert. Quæ coniectura ingenioſior forte, quam verior, quo minus nobis probetur, innumeris illis exemplis efficitur, quæ in nummis Græcorum ſunt obvia; ut adulandi cauſſa reges, quibus parebant, & Imperatores poſtea Romanos, imaginibus ſuorum deorum, certo ad virtutes aut res geſtas reſpectu, expreſſerint. Inde ſimpliciſſima ratio videtur, ſub Hercule ſervatore hic intelligere merita ob defenſam Aſiam.

Litte-

Digitized by Google

Litteram K, quæ in medio ſingulatim conſpicitur, vir doctiſſimus deſignare urbem credit, in qua nummus ſit percuſſus: monogramma vero ΙΑΙ. nomen monetarii prodere ſtatuit. Sed ſi verum dicere licet, nos exempla deſideramus huius generis nummorum, in quibus monetariorum nomina certis argumentis adpareant. De illo ſatis inter peritos conſtat, iſtis monogrammaſi urbes notari frequentiſſime inter Græcos, & ſubiectas ſingulares litteras adhiberi, ad annos regum numerandos, aut provincias indicandas. Nam quæ infra diſputantur contra notam numeralem, de illis eo loco diſpiciemus.

Inde de rege obſcuriſſimi nominis, Minniſaro, indagando ſollicitus, hunc in *Dionis* reliquiis, quas miſere diſcerptas potius, quam excerptas, *Theodoſius* condidit, ſibi reperiſſe videtur *Corſinus*, ea, qua par eſt, honoris præfatione, ob eruditionem ſemper nominandus. Exſequitur ergo res Traiani, quas *Dio* l. LXVIII. & LXIX. narraverat, ſatis quidem docte, & cum inſigni doctrinæ adparatu; niſi ad corruptum in Theodoſio Μανισαρου nomen, tanquam ad ſcopulum, offendiſſet. Nam, ut nihil his utamur, quæ *Froelichius*, magno elegantiorum litterarum damno nuper rebus humanis ereptus, in limatiſſima commentatione, quam dubiorum nomine noſtro Scriptori oppoſuit, de perturbatione excerptorum Theodoſianorum, aliunde manifeſta, diſſeruit; hic certe nullus occurrit Maniſarus, a *Dione* proditus. *Theodoſiusne*, an qui poſtea *deſcripſit* iſta Sibyllina folia, aberraverit, nihil ad rem, dummodo aberratum conſtet. Legimus enim hic in excerptis e l. LXIX. *Dionis* Mannum, quæ, ſicut Arſaces Parthis, aut Ptolemæus Aegyptiis, erat propria Oſrhoënis regibus appellatio a conditore. Legimus inſuper: της τε Ἀρμενιας και της Μεσοποταμιας ἑαλωκυιας ἀποστηναι: in quibus illud ἑαλωκυιας, non, ut fecit Corſinus, interpretandum eſt, quaſi Manus Maniſarusve in poteſtatem redegerit; ſed ipſe contextus & ſtructura verborum, non clare minus, quam ipſi nummi, ibidem prolati, docent, a Traiano ſubactas re-

giones intelligi. Ceperat autem Traianus iſtas provincias, ſeu eripuerat, non Manno, Maniſarove, ſed Choſroi & Parthamaſiridi. Itaque nullus tunc notus aut memoratus Dioni rex Armeniæ Miniſarus. Sed ne Manus quidem in hoc loco alius, quam ille falſi nominis Maniſarus. Ipſa enim verba narrationis, ſermonem eſſe de unico homine, declarant, quum uni reſponderit Traiunus, unum venire voluerit, unum ſuſpectum habuerit. Quare ſemel de veritate admonitis, de Abgaro, ſeu Mano Oſrhoënes rege, ſive Phylarcha, illud quoque apertiſſimum erit, verba primum aliter ſcripta vix eſſe potuiſſe, quam iſtum ad modum: Ἰου δε Τραιανου ἐς Μεσοποταμιαν ἐλθοντος, και του Μανου, ΤΟΥ ΚΑΙ ΜΑΝΟΥΒΑΡΟΥ, ΕΠΙΚΗΡΥΚΕΥΣΑΜΕΝΟΥ, και πρεσβεις ὑπερ εἰρηνης, δια το τον Ὀσρόην ἐπιστρατευειν, αυτῳ πεμψαντος, και της τε Ἀρμενιας, και της Μεσοποταμιας ἑαλωκυιας ἀποστηναι ἑτοιμως ἐχοντος· ουτε ἐκεινῳ πιστευσειν τι ἐφη, πριν ἀνελθων προς ἀυτον, ὡσπερ ὑπισχνειτο, τοις ἐργοις τας ἐπαγγελιας βεβαιωση. Και τον Μανον ὑπωπτευσεν ἀλλως τε, ὁτι και συμμαχιαν Μηβαρσαπη της Ἀδυαβηνης βασιλει πεμψας κ. τ. λ. Sic enim tranſpoſita unica voce, & ad ſuum locum revocata, atque pauciſſimis litterulis immutatis, emendatum plane liquidam ad veritatem hunc locum eſſe, oſtendent quum ea, quæ de hoc Abgaro, cui nomen Maanubar Aiazeth, *Theoph. Sigifr. Bayerus* hiſt. Oſrhoën. ex nummis l. III. p. 149. ſeq. expoſuit; tum quod *Ioannes Malala* Tom. I. p. 358. ed. Oxon. ex *Arriano* retulit, Meſopotamiam, ab Oſrhoena tunc avulſam, in provinciæ formam fuiſſe redactam: unde ſane perſpicimus, in his circa Meſopotamiam a Traiano geſtis, non alii, quam Mano, ſeu Manubaro, locum in *Dionis* narratione fuiſſe. Quare, noſtra emendatione hiſtoriæ ad fidem reſtitutum locum ſic interpretamur: *Ubi in Meſopotamiam Traianus venit, ipſique Manus, qui idem & Manubarus, miſſa obviam cum caduceatoribus legatione pacem obtuliſſet, propterea, quia bello a Choſdroe urgeretur, ſeque paratum oſtendiſſet, & ab Armenia & Meſopotamia abſtinere, quas tunc ceperat (Traianus): neque*

que huic fidere ſeſe, reſpondit, niſi ad ipſum veniens, ipſis rebus promiſſa confirmaret. Et ſuſpectum ſane Manum hunc alias ob cauſſas habebat, quia auxilia Mebarſapi, (quod nomen aliter alibi ſcribi novimus,) *Adiabenes regi, miſerat* &c. Narrantur igitur omnia eadem, quæ aliis ex Scriptoribus *Bayerus* enarrat; licet de fragmento hoc *Theodoſii*, quod laudavit, corrigendo, non cogitaverit. Unde nobis certe cum Froelichio non dubitare hac in re ſolum, ſed credere plane ex animi ſententia liceat, nullum Armeniæ regem Minniſarum a *Dione* proditum iſto in loco fuiſſe. Hoc liquet paretque. Quia autem ſemel id agendum eſſe V. Cl. eſt viſum, ut ad hanc Traiani expeditionem accommodari epocha, in nummo ſignata, poſſet, laborandum omnibus quoque modis fuit, ut contraherentur, quantum ſpecioſe fieri poſſet, tempora; quia, ſecundum uſitatam Chronologorum ſupputationem, annus Arſacidarum CCCXXXIII. in Veſpaſiani imperium incidit. Eo conſilio & inſtituto, firmiſſimis *Vaillantii*, *Loydii*, *Fabretti*, *Noriſii*, *Pagii*, & *Baſnagii* rationibus, imo numiſmatum ipſorum fidei, opponere Corſinus *Tillemontii*, *Petavii*, & *Baronii* opinionem, non dubitavit, tantum ut ſexenmi detractionem ſuæ ſententiæ lucraretur. Omnes tamen nummi repugnant, qui memoriam Parthicæ victoriæ conſervant, in quibus VI. Traiani conſulatus, A. V. IƆCCCLXV. ſane geſtus. Nam futili narrationi non *Dionis*, ſed *Xiphilini*, non eo ſolum loco res diverſiſſimas perperam, ut ſarcinatore dignum erat, coniungentis, & *Zonarae*, docte iam ſatisfecit *Arnzenius*, ad Plinii Paneg. c. II. n. 7. p. 14. & ſuperant plura antiquitatis monumenta, cum cognomine optimi principis, diu ante Parthicam expeditionem. Nec maioris momenti argumentum eſt in nummo cum profectione Auguſti, qui ad Dacicam expeditionem pertinet; neque *Malalae* ulla in chronologia eſt auctoritas, ut nummus Antiochenus ante ipſius adventum cudi non potuerit: & *acta Ignatii*, ævi barbari foetum, quis contra antiquitatem incorruptam in teſtimonium advocet? Nummum autem *Geſneri* eo minus moramur, quia nemo ſpoponderit, nihil ex nota numerali detritum atque deletum eſſe.

Corſin. p. 6.

Digitized by Google

Et in reliquis nihil conficitur, ob quod peritiſſimos & exactiſſimos rei nummariæ & chronologicæ auctores deſerendos putes. Tanti fuerat, virum eruditiſſimum & ingenioſiſſimum ſua coniectura nunquam incidiſſe in hunc Minniſarum, ex ſcribarum errore enatum, an ex detriti numiſmatis fugientibus elementis? Itaque quum animadvertiſſet, ne ſic quidem veri ad ſpeciem aliquid profici, utut demtis iſtis ſex annis tempori expeditionis Traiani Parthicæ: aliam viam ingreſſus, ipſam Arſacidarum epocham, magno conſenſu ab hominibus doctis, præter paucos, receptam oppugnat, & eam pluribus, quam viginti annis iuniorem oſtendere conatur; tantum ut incidat in A. V. C. ıↄxxv. & hic nummus ad Traiani ætatem referri queat. Magnus apparatus doctrinæ, multæ & raræ litteræ, ſingulare acumen, in tractatione rerum tam abſtruſarum apparent: modo amor ſuſcepti negotii non fefelliſſet, ut de iis quoque cogitaret, quorum humaniſſimus & politisſimus elegantioris doctrinæ vindex, Froelichius, admonuit. Tanto autem modeſtiæ circa diſſenſus temperamento eſt uſus, ut nihil dignius illo noſtris his litteris optari queat. Cum autem potisſima quæque argumentorum certis ſub capitibus complexus ſit, qua ratione ordini & evidentiæ conſulitur: nos hinc ipſum ſequemur, ut, collatis utriusque ſententiis, iudicandi eo liberior poteſtas fiat. Prima dubitatio eſt de inſcriptione numiſmatis, quod, ſi non idem ſit atque Stoſchianum, cuius delineationem Froelichius Ant. Franc. Gorio in acceptis retulit, eiusdem certe typi eſſe videatur. Adeo reliqua, ut intuenti patet, conveniunt: unde & figuram Tab. V. n. 2. ex delineatione Goriana ſubiecimus. At enim in nomine regis, & fine vocabuli σωτηρος, in figura elementi ο, mira eſt diverſitas. Scribitur enim illud, non ΜΙΝΝΙΣΑΡ. ſed ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ. & ο, non orbiculari, ſed quadrata figura exprimitur. Multum autem fidei & diligentiæ Gorii, de accuratione deſcriptionis religioſe teſtantis, merito tribuitur. Unde certo ſuſpicio haud erit iniuſta, reſtare in archetypo veſtigia longe alia litterarum, quam in quibus Minniſari nomen deprehendatur. Altera dubitatio oritur de loco excerptorum a *Theodoſio*

Froelich. p. 5.

doſio ex hiſtoria *Dionis*, in quo nullum Minniſarem regem memorari recte ſtatuit Froelichius, tum quod vocabulum regis ipſi non tribuatur, quo tamen Mebarſapes ibidem appellatur; tum quod reſtitutio Armeniæ, vel ipſius Corſini confeſſione, & arbitrio *Tillemontii*, ad quem provocaverat, ad ipſum potius Choſrhoëm, quam iſtum ad Maniſarum, pertinuerit. Quare vitioſum, & male cohærentem, & ambiguum eſſe iſtum locum, veriſſime pronuntiat, quem nos paullo ante, modeſta emendatione & interpretatione, ad hiſtoriæ fidem exacta, ſic conſtituiſſe nobis videmur, ut rex quidem certe, non tamen Armeniæ aut Arſacida, ſed Abgarus Oſrhoënes, ibi proditus intelligatur. Tertium dubitat Corſini humaniſſimus adverſarius de regno Armeniæ, quod ætate iſta nulli Minniſaro, florentibus præſertim illic Choſrhois rebus, ſed Parthamaſiridi ſolum, ob clariſſima ſcriptorum teſtimonia, tribuere liceat. Aequiſſima ſane poſtulatio, & cui nemò temere, ne ob iſtum quidem lacerum Theodoſii locum, aut controverſam nummi huius epigraphen, repugnet. Quarto loco, omnia alia ex ipſa nummi ſpecie a Corſinianis rationibus Froelichius colligi poſſe putat. Ille enim argenteum & tetradrachmum hunc nummum eſſe, cuiusmodi fere plerique Parthorum atque Armeniæ regum nummi eſſe ſoleant, dixerat. Hic Stoſchianum Adinnigai nummum æneum, aut fors ſubæratum eſſe, admonet. Ex Vaillantio probat, plures drachmales, quam tetradrachmos, hodie Arſacidarum nummos ſupereſſe. Addit argumentum pulcherrimum a fide oculata, cum inter Parthicos nummos XXXVIII, in muſeo FRANCISCI IMP. AVG. IVSTI, PII, FELICIS, & a ſtudiorum quoque amore dudum nominis IMMORTALITATEM adepti, non plures quam V. tetradrachmi reperiantur. Ipſius Tigranis Armeniæ regis, inquiſitor harum lautitiarum diligentiſſimus, argenteos tetradrachmos non niſi unius typi apud *Vaillantium* Hiſt. Seleuc. p. 388. & 400. ed. Pariſ. 1681. deprehendit; æneos vero, & minoris formæ, quatuor ipſe in *Annal. Reg. Syr.* p. 115. exhibuit. Et cum de Seleucidarum nummis potius conſtet, pleroſque eſſe argenteos tetradrachmos, argu-

Froelich. p. 7.

Froelich. p. 11.

Froelich. p. 13.

Corſin. p. 1.

argumentum hoc a forma & metallo nummi nihil hic, ad il-
Corſin. p. 2. lum Arſacidis adſerendum, valere, recte iudicat. Aliud re-
periſſe ſe credidit Corſinus, cur vultum hunc Arſacidæ eſſe
ſtatueret, in ſimilitudine cum nummo Monneſis, publicato
Froelich. a *Vaillantio* Hiſt. Arſac. p. 339. At Froelichius, præter ſo-
p. 15. lam barbam, nihil commune cum ſpecie Arſacidarum in num-
mis comparere ait. Diadema enim mirum quantum differt,
& ipſa coma, ut in Parthis nusquam conſpicitur, in cincin-
nos peregrino ritu compoſita, valde abhorret. Ceterum, ca-
pitum cum barba & diademate de Seleucidis plura exempla
attulit, ut his annumerari potiori iure Minniſarus, an Adin-
nigaus, poſſe videatur. Ne illam quidem ſimilitudinem al-
terius partis, in qua Hercules ſedens ſignatus eſt, admitten-
dam cenſuit; cum alii, & longe pleniores, in Monneſis aliisque
Parthicis nummis tituli, *βασιλεως βασιλεων*, *σωτηρος ἐπι-
φανους*, aut *σωτηρος ἐυεργετου*, occurrant, & formæ ele-
mentorum Ω. O. & ⊏. diverſæ notentur. Probavit præ-
terea eruditisſimus Corſini monitor, imaginem Herculis cum
clava ſedentis uſitatam quoque Seleucidis fuiſſe; qualem argen-
teum tetradrachmum Antiochi II. ipſe *Annal. Reg. Syr.* Tab.
IV. exhibuit: & *σωτηρος* elogium Antiochi I. & Demetrii I.
in nummis eſt obvium. Unde tandem colligit, non deeſſe
rationes, ob quas inter Seleucidas, ex typo & adiunctis, referri
ignotus hic rex posſit.

Corſin. Ad partem inde ſecundam Corſinianæ diatribes, in qua de
p. 13. reperienda veriore Arſacidarum epocha diſquiritur, accedit
Froelich. diſceptator humanisſimus. Primum, de quo admonet, va-
p. 20. rietas eſt opinionum, de initio exactæ epochæ Parthicæ; ob
Corſin. p. quam miratur, quid in mentem venerit eruditisſimo Corſino,
11. & 20. quod omnes chronologos & eruditos in ſententiam *Vaillantii*
& in præf. conceſſiſſe tam adſeverate tradat. Ipſe ſane Froelichius ex-
p. III. & ceptione ſe defendit, quia in duobus opuſculis, ubi de calcu-
IV. lis huius epochæ agendum fuit, nihil definivit. Addit *Theoph.
Sigefr. Bayerum*, *Henr. Valeſium*, aliosque, a *Vaillantii* ra-
tionibus multum disſidere. Quum autem Corſinus omnia
prope

prope veterum ſcriptorum teſtimonia, de initiis Parthorum, *Corſinus*
collegerit, & multa inde ſpecioſa dictu ad firmandas novas p. 13-30.
coniecturas attulerit, ut contrahere in arctius ſpatium epo-
cham Arſacidarum, demtis viginti & aliquot annis, poſſet:
Froelichius tam docte illa excusſit, tam paratus & inſtructus *Froelich.*
ad ſingula occurrit, ut conſentire pro Vaillantiana ratione p. 24-63.
fide digniores quosque teſtes oſtenderit, & ſic interpretatus
ſit locos ſcriptorum plerosque, ut initia regni Parthici tem-
poribus Antiochi, quem deum dixere, adſignanda eſſe, longe
credibilius fiat. Quam erudite de omnibus diſputaverit; quam
exacte vera, certa, atque manifeſta, ubique a falſis, ambiguis,
& obſcuris diſtinxerit; quam ſagaciter errandi occaſiones, quæ
nonnullis fuerant, indagaverit, hoc loco exponere non poſ-
ſumus. Maxima enim limatisſimi opuſculi pars huc transfe-
renda eſſet, ne excerpendo argumentorum robur minuere-
mus. Unum nobis non levis momenti viſum eſt, quod ſuæ
ſententiæ præſidium in teſtimoniis quoque *Moſis Chorenenſis*
& *Mircondi Perſae* reperit, quorum in rebus orientis aucto-
ritas merito valet. Deprehendit autem ipſe Corſinus, quan- *Corſinus*
tum his, quibus novam ſuam epocham Parthicam ſtabilire p. 30.
voluerat, adverſentur nummi Vologæſis III. apud *Vaillantium*
Hiſt. Arſac. p. 364. & 366., in quibus anni 451. & 460.
ſignantur; tum alius in *Muſeo Theupolo* p. 363. cum nota
anni 454. Ex his enim epochæ Arſacidarum initium, ante
annum V. C. 500. reiiciendum adparet, ſecundum omnes
Chronologos. Itaque, ut ſolveret hunc nodum, ne iſtam
opinionem de ducendis recentiore a primordio annis Parthicis
implicaret, finxit alium Vologæſem, Artabani IV. fratrem,
omiſſo nomine a *Dione* in Caracalla memoratum, regnum
Armeniæ obtinuiſſe, & Artabano, ab Artaxerxe Perſa everſo
& occiſo, diutius ſuperfuiſſe, atque Arſacidarum adeo epocha
in Armenia uſum fuiſſe. Hæc autem, nullis veterum idoneis *Froelich.*
teſtimoniis firmata, Froelichius longum coniecturarum ag- p. 63. ſqq.
men vocat, & accuratisſime circa ſucceſſionem regum Parthi-
corum ordinibus temporum digeſtis, clarisſime evicit, num-
mos alii Vologæſi, quam ex ordine qui tertius, & Artabani

Corſin. p. 35 - 40. *Froelich.* p. 74. ſq.

pater fuit, tribui non poſſe. Succedit egregia diſputatio de illis nummis, qui poſt finem Artabani IV., Arſacidarum ultimi, nomen Arſacis & recentiores epochas præferunt, & ad quos Corſinus provocaverat, ut coniecturam de Vologæſe IV. Armeniæ rege, & uſurpata ab illo numeratione Parthica, ſtabiliret, Vaillantiumque & Froelichium refutaret, qui Perſis, Parthia potitis, tribuerant. Sed Froelichius præclare docet, nihil Armeniaci in illis deprehendi; & quum de appellatione Arſacis eruditiſſime diſſeruit, eamque, ſimul cum regno, ſuccedentibus in Arſacidarum locum Perſis ad tempus ceſſiſſe, pluribus veterum auctoritatibus probavit; tum alia etiam argumenta graviſſima, quibus illa numiſmata monetæ ſub Perſis Parthicæ vindicantur, adiecit. quibus album calculum adiicere eo minus dubitamus, quo luculentioribus ubique peri-

Corſin. p. 42. ſq. ad finem.

tiæ & uſus in re nummaria ſpeciminibus eminent. Poſtrema concertationis, ut doctiſſimæ, ita humaniſſimæ quoque & amoeniſſimæ, verſantur in conſideratione nummi ærei, e cimeliis imperatoriis Vindobonenſibus, quem & nos n. 2. pingendum curavimus, ut ob raritatem & ſingularitatem lectores noſtros delectet. In eo, ut primum Regum vet. numiſm. anecdot. p. 13. ipſum publicavit, Froelichius epigraphen legerat: ΒΑΣΙΛΕΩΣ — ΡΣΑΜΟΥ ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΙΟ —. Ita nomen fuiſſe ignoto regi Arſami crediderat. Hinc Corſino materia coniiciendi, digna ipſius & acumine & copia, nata eſt, ut in varios Arſames, Arſanes, Arſabes, regesque Ciliciæ, Parthiæ, Armeniæ, & diverſos locos ſcriptorum nummosque urbium Græcarum inqui-

Froelich. p. 89. ſq. ad finem.

reret. At Froelichius, pro candore ſuo & inſigni illa verecundia, atque publicorum iudiciorum reverentia ſingulari, fatetur hic ultro, ſe poſtea a Bozio, V. Ill. Acad. Pariſin. elegant. litterar. collega & a ſecretis, atque Cimeliarchii regii cuſtode, ſubmiſſis duorum nummorum ectypis, admonitum, & conſpicillo uſum ad contemplandum rurſus typum numiſmatis, a vetuſtate exeſum, deprehendiſſe, puſtulam ſolum aeris eſſe, quæ antea litteræ P. & corroſi initii ſpeciem præbuerat. Inde, quod agnoſcit, concidunt, quæ de Arſame quodam do-

cte

cte quidem, ſed nullum reſpectu nummi in uſum, ipſe atque
Corſinus diſſeruerant. Statuit tamen hic, referri poſſe nu-
miſma Vindobonenſe & Pariſinum, cuius & hic n. 3.
imaginem ſubiecimus, illum ad Samum, Chryſogni fil., An-
tiochi M. σύντροφον, de quo *Polybius* l. V. p. 499. ed. Gro-
nov.. Putat enim, huic forte ab Antiocho M. aut eius filiis *Froelich.*
datam dynaſtiam quandam ad Euphratem, adiecto regis ti- p. 99.
tulo, niſi eum ipſe uſurparit. Elegantem coniecturam, quam
eruditis ſuſpicionibus confirmet, & quæ alia ad explicationem
horum nummorum adiecerit, præſtiterit ex ipſo, quam e no-
ſtris excerptis, cognoſcere. Attulit autem & aliud Xerxis nu-
miſma, quod a *Bozio* depictum acceperat, reguli Armoſatæ,
tempore Antiochi IV., quod ſimiliter hic nos n. 4. expri-
mendum curavimus. In huius, de quo minus dubitationis,
quam de Samo adhuc ſupererat, capite, eadem prope mitra,
quæ in Vindobonenſi nummo, (Tab. noſtræ n. 2.) conſpici-
tur: & in parte altera victoriæ typus plane Pariſino, (Tab.
noſtr. n. 3.) reſpondet. Sunt alia plura, quæ congruant.
In Pariſino caput, quod ipſe antea Apollinis crediderat, nunc
Antiochi IV. ſeu Θεοῦ eſſe, comparatis pluribus illius num-
mis, in quibus idem vultus, ſtatuit, ad coniectationem ho-
rum temporum eum deduxit; & quæ porro interpres & vin-
dex rei antiquariæ & nummariæ, quamdiu vixit, eximius
eam in rem addidit. Utrumque opuſculum, ob præſtantiſſi-
mæ & uberrimæ doctrinæ copiam, lectu & admiratione eſt
digniſſimum; utrumque optaremus iterata editione coniun-
ctim in Germania publicari; utriusque auctoris merita pro
eo, ac par eſt, ſuſpicimus. Si tamen & nobis dicendæ ſenten-
tiæ locus eſt, breviter ſic cenſemus: quantum in litteris
exuberat, inſtruit, erudit, *Corſinus;* tantum præcipit, caſti-
gat, admonet, & cautionem neceſſariam exemplo docet,
Froelichius, cui ob uſum & ſcientiam callentem nemo te-
mere comparetur.

DOMINICI VANDELLI, PHILOSOPHI AC MEdici, diſſertationes tres, de Aponi thermis; de nonnullis inſectis terreſtribus & zoophytis marinis; & de vermium terrae reproductione, atque taenia canis.

Patavii 1758. 10. plagg. in 8. mai. cum 5. tabb. æneis.

Diſſertationes, quarum iam argumentum enarrabimus, celeberrimo Morgagnio, Medico Patavino, & Anatomes ibidem Profeſſori primario, inſcriptæ ſunt. Prior, capite primo, de Aponi loco & natura exponit. Nempe, diſtat ager Aponitanus quinque fere paſſuum millibus Patavio, & thermarum aquis conſpicuus eſt. Fontium aquas in montibus ſuas origines habere, Auctor cum Clariſſimo Vallisnerio arbitratur: id quod ipſæ hæ ſcaturigines in Aponi monticulo ſatis probent. Ubi ſtagnant hæ aquæ thermales, argilloſum ocreaceum rubei coloris, & viride herbaceum ſedimen deponunt; tophaceum item duplicis ſpeciei, tophi nempe ſpumoſi ex tartarea & lapidea materia conſtantis, & tophi vermiculati, ex tartaro, pauco ſale, tenacique argilla compoſiti, & filamentorum inſtar corporibus fortuito in aquas iniectis adhæreſcentis, atque a motu aquarum perpetuo ita agitati, ut vermiculi innatari fonti videantur. Porro Aponitanæ thermæ materiam deponunt calcaream lapideam, quantitate haud exigua, puriſſimum ſulphur, ferrum maturum, a magnete ſtatim attractum, terram ſubviridem, & ſalis aliquid, ſi mane ante ſolis ortum colligatur; hoc enim ſupra horizontem iam conſtituto, ſal, relicta ſolummodo albiſſima terra, ſolvitur. Herbas naſci in ferventibus Aponi aquis, Auctor noſter multis ſpeciminibus, v. c. Confervæ folio triquetro, fere algæ marinæ ſimili, Confervæ ramoſæ in fibra longisſima capillari veſiculis donatæ, Confervæ ramoſæ albæ S. Petri, Confervæ capillaceæ ſimplicis montis Grotti, comprobat. Eiusmodi herbæ in ipſis aquis, & in cavitatibus ſaxi, per quas aqua fervens utplurimum excurrit, naſcuntur: aliis præterea extra aquas thermales, in lateribus lacuum & rivorum ortis. Ibidem etiam in aquis ther-

thernalibus varia inſunt animalia, e. c. parvæ buccinæ, cantharides parvæ, & ſquillarum peculiaris quædam ſpecies. Virtutem thermarum Aponi Auctor noſter inſigniter laudat.

Sequitur diſſertatio ſecunda, quæ varias obſervationes ſuper nonnullis inſectis continet. Et primo quidem loco oſtenditur, Scorpionum foetus a matre non ſemper occidi, quod inter alios ill. Maupertuis ſe vidiſſe teſtatur. Auctori contrarium placet aſſerere, experimentis frequentioribus quaſi abrepto. Quare dicere ſuſtinet: cum ſcorpiones ſupra terram oriantur; huc illuc ſub terra confugere; ita ut facile a matris voracitate ſe defendant, nactoque in terris alimento vivant atque creſcant. Poſt hæc de ſubtilisſimis equorum vermibus nonnulla diſputat, quos teretes in equorum inteſtinis, maxime circa hepar, & in avibus reperit. Balanus Venetiarum, quem deinceps deſcribit, asſimilatur glandi quercus, adhuc a ſuo caliculo non protuberanti; caliculus in ſua baſi teſtam ſubtiliorem pellucidam & albam habet, ab aliquot vaſculis diviſam, qua parietibus aut lignis balanus adhæret. In cavitate caliculi hoc animal moratur, cuius corpus carnoſum, fundo adhærens, volumine & figura adæquat uvæ ſemen, cuius color eſt ſubcinereus. In capitis ſummitate ſunt decem & ſæpenumero undecim longi, ſubtiles, albidi & geniculati cirri, pilo ſubtilisſimo in unoquoque geniculo interius ornati: in baſi cirrorum duo parva puncta nigra intus conſpiciuntur, quæ forſan ſunt balani oculi, aliis pluribus minoribus cirris ſubtus collocatis. Zoophyton, quod Auctor in Venetiarum canalibus ſæpius invenit, uvæ marinæ nomine inſignivit. Componitur huiusmodi uva, a nonnullis pro ſepiarum ovis habita, ex quinquaginta, modo ex ſeptuaginta zoophytis, quorum octo aut decem racematim compacta obſervantur. Adhæret ſaxis, lignis, & teſtaceis; eius figura eſt ovalis, & magnitudine adæquat uvæ non mediocre granum, cui etiam conſiſtentia asſimilatur. Motus animalis totus in eo conſiſtit, ut tubam exſerat retrahatque. Moratur in canalium fundis, Venetiis. De cucumere marino, & mentula marina maris Adriatici, capitibus 5. & 6. nonnullæ adduntur obſervationes.

In vermium ſeu lumbricorum terræ reproductionem, Auctor noſter, diſſertatione tertia, variis experimentis inquiſivit, unde effectum eſt, partes lumbricorum diſſectas non omnes novos producere lumbricos, ſed illas tantum, quæ cerebrum, cor, os, oeſophagum, ventriculum, inteſtinorum & meſenterii partem, & ovaria habent. Namque partes, quæ his vitalibus organis carent, interire vidit cl. Vandellus omnes, ratus inde, has partes neque alimenta accipere, neque nutriri & augeri, neque in his ex integro gigni & creari admirabilia vitæ & generationis organa poſſe. Hinc ſuſpicatur Auctor, celeberrimum quondam Reaumurium, qui hoc novum naturæ phænomenon quaſi primus in ſcenam produxit, ſuis experimentis, id quod Auctori pariter accidit, deceptum fuiſſe. Namque terra, ab aliis lumbricis integris omni diligentia ſecreta, & ad experimentorum uſum repoſita, parvula tamen vermium ova continet, a quibus aliquanto temporis ſpatio interiecto vermes terreni naſcuntur: quo ipſo tempore partes abſciſſæ & organis vitalibus deſtitutæ moriuntur, putrefactæ in terram commutantur, & illi ex ovis nati decipiunt obſervatores, ita ut ab iisdem pro auctis lumbricis accipiantur. Hæc fallacia, quæ aliquoties ipſi impoſuerat Auctori, obſervata tamen, & ſtudio omni evitata, indicium ei præbuit ad diſtinguendas tuto partes vermium abſciſſas, & poſt ſectionem auctas ab aliis. Quæ Auctor poſtea de vermium terreſtrium anatomia & coitu, & de ipſa eorundem ſectione in partes bene multas, obſervata recenſet, ea attentionem merentur, & ſuo loco legenda ſunt.

In meſocolo canis feminæ diſſectæ, Auctor novem manifeſtas glandulas albas, magnitudine fere inſtar lupini ſeminis, ſucco albo refertas, rotundas, atque nonnihil compreſſas, invenit, ut etiam unam eiusdem magnitudinis in meſaræo parvi canis. Hæ glandulæ, in canis meſenterio, ab omnibus anatomicis negantur. Intra ieiunum inteſtinum detexit vermem latum, tæniam nempe; quo ſub examen vocato, Vandellus in præſentia ſociorum oſtendit, tæniam non ex aliis vermibus aut cucurbitinis aut aſcaridibus conſtare, ſed eſſe ex ſe unum,

verum,

verum, & continuum vermem. Annuli videlicet omnes, & omnia internodia, maiora æque ac parva, æquali harmonia & concentu ad conſtituendam tæniam erant diſpoſita, ſolo aſpectu id ſatis ſuperque docente. Præterea omnis diſquiſitio & ſectio anatomica diligenter facta, vermem continuum, & unius vermis integrum parenchyma, oſtendebant. Ulterius in internam tæniæ cavitatem, per illius longitudinem extenſam, facto in muſculari cute vulnere, facile craſſum ſpecillum iuxta ſui extenſionem immittere potuit. Demum, ſiphone iniecta intra hanc cavitatem materia ceracea colorata, & ultra annulos absque eorum diſruptione proiecta, continuam & æqualem cavitatem, & continuum tæniæ corpus, perſpicue comprobaſſe ſibi videtur. Quæ tamen omnia, ut nos quidem iudicamus, ſtare & obſervari recte poſſunt, ſi vel maxime tænia ex aliis vermibus ſit compoſita. Plura enim natura exempla ſuppeditat viventium in viventibus animalibus, quæ tam arcte inter ſe unita cohærent, ut unum & continuum eſſe animal vel oculatisſimi aſſerant. Cæterum, in conferendis & diiudicandis ſcriptoribus hiſtoriæ naturalis, auctor ſingularem operam adhibuit: adeo ut interdum libros teutonice ſcriptos excitet: quorſum pertinent *tentamina Societatis naturae exploratricis Gedanenſis, Promtuarium Hamburgenſe, Neuentyti uſus conſiderationis mundi,* rel. Inde qui irrepſerunt errores in exprimendis nominibus facile condonandi & corrigendi ſunt; ut p. 135. pro *Fablonskus* legendum *Iablonskius;* & *Ernſtring* commutandum in *Ernſtling*, quorum ſcripta, quod apparet, Auctor ipſe non vidit.

AXIOCHUS, GRAECE, RECENSUIT, NOTIS ILLUſtravit, indicemque verborum locupletiſſ. cum HIER. VOLFII verſione latina, notisque uberioribus, adiecit IOH. FRIDER. FISCHERUS.

Lipſiæ 1758. ex officina Langenhemia, pl. 9. in 8.

Etſi, an præſentibus reipublicæ eruditæ temporibus conveniat, quod olim *Hier. Volfius*, vir vere doctus, ſcripſit,

pſit, *ſe puero, ſi quando graeci cuiuſpiam auctoris pauculae pagellae graece latineque editae fuiſſent, non ſecus atque a Romanis coelo dilapſa ancilia fuiſſe a ſtudioſis adoleſcentibus excepta,* vehementer dubitamus; atque illa potius eiusdem viri dicenda nobis eſſe videntur, *ipſam copiam parere faſtidium, quoque maior ſit diſcendi utramque linguam & bonas artes, nullo propemodum negotio, nulla impenſa, occaſio, eo maiorem eſſe deſidiam, & optimae cuiusque rei deſpicientiam:* tamen bonis viris, qui viam illam, magnorum virorum veſtigiis ſignatam atque impreſſam, ingrediantur, eaque ad certiſſima veræ eruditionis præmia contendant, *Fiſcheri* noſtri V. Cl. laborem non iniucundum fore ſperamus. Iam & illo tempore, quo barbariei & ignorantiæ tenebræ, quibus bonæ litteræ ſepultæ & obrutæ erant, Dei immortalis beneficio diſpellebantur, ad veterum ſcriptorum libros in lucem protrahendos, legendos, intelligendos, emendandos, nonne omnes cogitationes ſuas atque omnia ſtudia contulerunt boni viri, qui perfectisſimum omnis eruditionis & elegantiæ exemplum ab iis petendum eſſe & credebant, & docebant: & noſtra ætate, quantam doctisſimi viri, *Dorvillus, Erneſtus, Weſſelingus, Hemſterhuſius, Valckenarius, Abreſchus,* alii, quantam igitur magni illi viri in hoc operam & induſtriam collocarunt, ut, quæcunque ad intelligendos græcos auctores pertineant, docte exponerent & diligenter? Omnia prope in medio poſita ſunt, optime omnia explicata. Verum queruntur boni viri, vehementerque dolent, langueſcere præſtantisſimæ linguæ ſtudium, & a plerisque turpiter negligi. *Vulgo ea ſolum eruditio habetur,* vir quidam doctús ſcribit, *quae ſecura monumentorum omnibus antiquis ſophis digitum oſtendere audet, & oracula in proprio cerebro nata, gravi vultu, loquaci dextra, praefracta pertinacia, in imperitorum ſenatu profundere.* Addere vir doctus debuiſſet, eos inprimis laudari, coli, apud omnes in deliciis eſſe, qui e Gallico ſermone verſiculos quosdam in Teutonicum vertere, & Anacreontica carmina, i. e. leves & inanes nugas, (Anacreontis enim ingenium non aſſequuti, carminum genus imitantur,) ſcribere ſciant. Sed dolore longius abrepti

ſumus,

ſumus, quam propoſitum erat. Ad *Fiſcherum* igitur redeamus. Eius cum ingenium, doctrina, diligentia, ita probata cuivis eſt & teſtata, ut eas virtutes qui laudet non aſſentator, ſed qui non laudet malevolus videatur; tum in hac Axiochi editione præter alia magnam modeſtiam, magnamque in corrigendo & emendando religionem, animadvertimus. Quod eo magis libentiusque & laudamus, &, ut alii imitentur, hortamur, quo magis hac tempeſtate quorundam audacia compeſcenda eſt. Quid enim? nonne multorum dementia eo proceſſit, ut quidquid vel ipſi non intellexerint, vel non pulchrum ſatis putaverint, ſtatim, tanquam e tripode, magni hi Apollines, emendent, tota volumina pulcherrimarum, ſi dis placet, emendationum, edant, ac ſæpe ne cauſas quidem ſuæ crudelitatis exponant. Utinam tandem *Beſtium* audiant, virum profecto doctum, (in c. 1. de ration. emend. p. 36.) *nullas emendationes, licet ſenſum clariſſime reſtituant, videri laude dignas, quae in tantum recedant a ſcriptura codicum, ut prorſus nullum appareat priſtinae lectionis in correctione veſtigium: hoc enim non eſt emendare loca corrupta, & auctoris verba reducere, verum ſua ipſius placita audacter ſubſtituere, & non quid ſcripſerit, ſed quid ſcribere debuerit auctor, iudicare.* Erudita vero vox, & Critico digna!

Ἀλλὰ ταῦτα μεν ἐάσομεν, ἀιχνυμένοιπερ.

Fiſcheri notæ in eo maxime verſantur, ut textum huius dialogi reſtituant, Criticorum emendationes examinent, & ſi quæ dignæ viderentur, recipiant. Quibus præmiſſa eſt docta & pulchra præfatio, ex qua de dialogo hoc quædam delibabimus.

Dialogum quis ſcripſerit, non una eademque eſt doctorum ſententia. Alii, quoniam Laertius Xenocratem, Platonis diſcipulum, de morte libellum ſcripſiſſe memoriæ prodidit, philoſopho hunc dialogum noſtrum tribuunt. At eum libellum non dialogum fuiſſe, ex ipſis Laertii verbis apparere *Fiſcherus* arbitratur. Sunt vero hæc: καὶ πλεῖστα ὅσα καταλέλοιπε συγγράμματα καὶ ἔπη καὶ παραινέσεις· ἅ ἐστι ταῦτα — περὶ θανάτου α΄. Alii, ob orationis formam, poeticum vigorem,

gorem, a Platone ſæpenumero expreſſum, referentem, Platoni dialogum vindicant. Alii Axiochi auctorem Socraticum Aeſchinem eſſe arbitrantur: qua in ſententia Laertius, Harpocration, Suidas, Phavorinus fuerunt. Sed quoniam neque verbum ἀλεκτρυονοτρόφοι, quod Pollux ex hoc dialogo laudat, hodie in eo legitur; neque, ubi apte ponatur, invenitur; neque quæ Athenæus de illo dialogo tradit, de noſtro dici poſſunt: aut rem in medio relinquendam, aut Aeſchinem duo dialogos eiusdem nominis ſcripſiſſe, dicendum eſſe *Fiſcherus* exiſtimat.

Primus ex manu ſcriptis exemplis Axiochum edidit Aldus Manutius. Paullo poſt Baſileæ, primum a Ioh. Valdero, deinde a Marco Hoppero, hæc editio repetita fuit. Quos ſecutus eſt Henr. Stephanus. Hic commemorat *Fiſcherus* fraudem Stephani in recenſendis Platonis libris. Sæpe Stephanus, ſe multa Platonis loca corrupta veterum Codicum ope reſtituiſſe, gloriatur. Sed non paucas lectiones, quas ſe in antiquis Codicibus inveniſſe dicit, ex Hopperiano exemplo ſumtas eſſe, exempla a *Fiſchero* allata docent. Atque hi Axiochum aliis Platonis libris inſertum ediderunt. Deinde plures ad hunc dialogum edendum animum adiecerunt. Nam poſt Cornarium & Perionium, ſeparatim edidit Hermanus Raianus, qui verſionem latinam, ſed obſcuram, & nótulas addidit. Quem ſecutus Hier. Volfius, verſionem atque notas, criticas quidem, ſed magis ad doctrinam morum & Theologiam ſpectantes, adiecit. Cæterum Axiochum, cum duobus dialogis, quos Aeſchinem ſcripſiſſe aiunt, edidit primo Ioh. Clericus, & deinde Pe. Horreus. Age vero, communicemus quædam cum doctiſſimo *Fiſchero*, quæ nobis, non ſine voluptate hunc libellum perlegentibus, in mentem venerunt.

Ἐξιόντι μοι ἐς Κυνόσαργες, καὶ γενομένῳ μοι κατὰ τὸν Εἰλισσὸν] recte tuetur *Fiſcherus* τὸ μοι cum Horreo, quod Stephanus & Volfius delendum putabant. Nam non poetæ tantum pronomina repetunt, *quaſi obliti ſemel poſuiſſe*, ut ait *Caſaub.* ad *Ariſtoph. Equ.* 472. ſed optimus quisque ſcriptor hanc ſive elegantiam, ſive gratam negligentiam, adamavit.

Exem-

Exempla dabit doctiſſ. *Valkenar.* ad *Euripid. Phoeniſſ. v. 500.* cui prope ſimilis eſt illa repetitio pronominis apud Latinos, ut Salluſtium, de B. C. c. 37. — *Urbana plebes, ea vero praeceps ierat* — ubi videatur *Cortius*, & *Cl. D'orvillus* in *animadv. ad Charit. p. 146.*

Ὁ δ' ἐξ ἑταιρείας ἐραστὴς ἅμα καὶ ἐρώμενος] neque *Perionius*, neque *Volſius*, vim verborum percepiſſe videntur. Si meliora diſcere cupias, evolve *D'orvillum ad Charit. p. 27.* qui locum aptiſſimum laudat ex Luciani Dial. Mor. I. p. 288. ἔοικας, ὦ γαλάτεια, οὐκ ἐραστὴν ἀλλ' ἐρώμενον ἔχειν τὸν Πολυφήμον.

Ὁ γὰρ πατὴρ ἔκ τινος ὥρας αἰφνιδίου ἀδυνάτως ἔχει, καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου ἐστίν.] *Fiſcherus*, cui ὥρα αἰφνίδιος non ſatis Græcum videtur, repoſuit pro ὥρας συμφορᾶς, *inopinato quodam caſu.* bene. Alius, nobis audacior, fortaſſe reſcriberet, ὁ γὰρ πατὴρ πρὸ ὥρας τοῦ βίου ἀδυνάτως ἔχει, καὶ πρὸς τῷ τέλει ἐστίν. Illud πρὸ ὥρας explicaret e *D'orvill. in Charit. animadv. p. 129.* & huius mutationis robur arceſſeret ex eiusdem viri docti animadv. p. 606. de vocibus ex inferioribus ad ſuperiora translatis.

Ποῦ τὰ πρόσθεν αὐχήματα, καὶ αἱ συνεχεῖς εὐλογίαι τῶν ἀρετῶν, καὶ τὸ ἄῤῥητον ἐν σοί θάρσος] *Stephanus* repoſuit ἀῤῥηκτόν. neutrum placet. non fuit incredibili animi virtute Axiochus, ſed gloriabatur tantum, aliisque fortis videbatur, celebrabaturque. Scribe igitur ἀεὶ ῥητόν: quod cum συνεχεῖς quoque bene cohæret.

Νόσους δὲ καὶ φλεγμονὰς τῶν αἰσθητηρίων, ἔτι δὲ τὰς ἔντος κακότητας.] Recte dubitat *Fiſcherus*, an *Volſius* ordine fecerit, quod verba τι λέγω, quæ ſubintelligi poſſunt, in textum receperit. Atque nos vehementer miramur, quomodo vir, in Græcis libris minime hoſpes, hanc conſtructionem per Accuſativos, quos vocant, abſolutos, ignorare potuerit. Illuſtrarunt illam doctiſſimi viri ſæpenumero, ut *Weſſeling. ad Diod. Sic. l. XI. Kuſterus ad Ariſtoph. Plut. v. 55. Marklandus ad Lyſiam, p. 349.* & *Daviſius ad Cicer. Tuſcul. Quaeſt.* I. 23.

— Οἷς ἀναγκαςῶς, ἅτε παρεσπαρμένη τοῖς πόροις ἡ ψυχὴ συναλγȣ̃σα] forte multi mallent, — ἅτε παρεσπαρμένοις πόνοις.

Φράσαιμι ἄν σοι ταῦτα, ἃ μνημονεύσω· ἔφη γὰρ. libenter legeremus ἔφη δ' ἄρα, niſi τὸ γὰρ hoc loco ita ſumas, ut rationem reddat, ut ſumſit poſt *Devarium* & *Clarkium ad Iliada Homeri*, ſæpiſſime Cl. *Erneſti ad Memor. Socrat.* L. II. c. 6. 15. Quod tamen, neſcimus, an hic fieri commode poſſit. Poſſemus loca alia multa huc congerere, ſed non eſt neceſſum, poſſemusque in re aperta nimium diligentes videri.

Κατεδυρομένων τε αὐτῶν καὶ πᾶσαν ἀγρυπνίαν ἀναπιμπλάντων ὀλοφύρμȣ καὶ δακρύων.] Stobæus ita legit: πιμπλάντων ὀλοφυρμῶν τε καὶ φροντίδων; quæ lectio magis nobis placet. Atque ipſe *Fiſcherus* verbum πιμπλάντων nihil impedire cenſet, quo minus cum τῷ δακρύων & φροντίδων coniungatur. Nos aliquot laudabimus viros, qui dicendi hanc rationem illuſtrarunt, qua duobus pluribusque ſubſtantivis verbum additur, quod tantum uni tribui poteſt: e. c. *Erneſtus, ad Xenoph. Mem. Socr.* II. 1. 1. *Daviſius ad Cic. de N. D.* I. 17. *D'orvillius ad Charit.* p. 395. *Valkenar. ad Euripid. Phoen.* v. 506. & inprimis *Dukerus ad Flor.* III. 21. 26. Sed hæc hactenus. Addidit quoque *Fiſcherus* indicem verborum, magno ſtudio ac diligentia elaboratum. In eo & multa verba copioſe explicantur, & doctorum hominum libri, in quibus uberior explicatio invenitur, diligenter laudantur. Cæterum ipſe dialogus & ſententiis gravis, & verbis tam elegans atque venuſtus eſt, ut lectoribus, guſtu quodam venuſtatis, urbanitatis, elegantiæque veteris imbutis, maiorem profecto voluptatem afferat, quam quæ Philoſophi, vel ſolidiſſima, (ita enim loquuntur,) demonſtrandi ratione utentes, illudque odioſum *quicunque* — *quicunque* — tanquam ranæ Logicæ usque ad tædium repetentes, de immortalitate animi, & miſeriis vitæ humanæ, diſputant.

IU-

Digitized by Google

IUSTINI HISTORIAE PHILIPPICAE, EX RECENſione Ioh. Geo. Graevii, cum eiusdem & Ioh. Fr. Gronovii animadverſionibus. Additus eſt praeter prologos hiſtoriarum Philippicarum Trogi, & excerptiones chronologicas Iac. Bongarſii, libellus variarum lectionum, cum epiſtola Segim. Fr. Dreſigii, ſuper locis quibusdam Iuſtini, curante IOH. FR. FISCHERO.

Lipſiæ 1757. in librar. Veldmania, Alph. 2. & dimid. octonis.

Etſi continuo vehementer de veterum Græcorum Latinorumque ſcriptorum utilitate docti viri a ſe invicem diſſenſerunt, quam nonnulli docti ſapientesque homines tantam eſſe profitentur, nihil ut omnino ſupra; alii, aut noſtrorum temporum nimio ſtudio incenſi, ſtultoque amore abrepti, aut mirificæ elegantiæ, quæ ineſt in veterum libris, aſſequendæ deſperatione exacerbati, minuti profecto homines, invidi, iniqui, & admodum puſilli animi, valde exiguam ac pene nullam eſſe clamitant: tamen, ſi quis veteres auctores diligenter recteque legat, & ingenue fateatur, quantam in iis vim deprehenderit, & ad omnem doctrinam, & ad eloquentiam, & ad prudentiam, cum qua quisque ſibi privatim conſulit, tum qua respublica bene gubernatur, civiumque ſalus & ſtabilitur, & ſtabilita augetur, & aucta confirmatur; quam iucundo ſalubrique ſapientiæ & eloquentiæ pabulo quaſi ſatiatus expletusque ab eorum lectione diſceſſerit: ſi ſciat, ex uberrimis illorum diſputationibus extitiſſe doctiſſimos, & non magis pace quam bello clariſſimos viros; ex illorum orationibus librisque rhetoricis, tanquam ex officina quadam dicendi, ſummos oratores; ex illorum carminibus, præſtantiſſimos omnium gentium poetas; denique ipſam philoſophiam, (non iſtam ieiunam, aridam, & cui, tanquam monogrammis Epicuri deis, pallor, ut ille ait, in ore ſedet, macies in corpore toto, ſed non magis ex incredibili rerum cognitione efflorefcentem, quam elegantiæ, leporis, urbanitatis, omnisque

venuſtatis ſuavitate conditam,) ex illis haurire: profecto dubitari non poteſt, verum dicere illos, qui veterum auctorum lectionem, & incredibilem ſuavitatem, & maximam utilitatem afferre aiunt recte legentibus, ita, ut nihil ſapere, qui aliter ſapiant, videantur; ab inſania autem non procul abeſſe, ſi qui veteres contemnere, ex manibus iuvenum extorquere, & hoc ſe parricidio polluere audeant. Sed laudare antiquos ſcriptores, & quam utilis ſit eorum lectio, multis exponere, neque propoſitum nobis eſt hoc loco, neque neceſſarium. quanquam non facile quis non neceſſarium exiſtimet, veterum auctorum lectionem hac tempeſtate iuvenibus commendare Hoc vero ſine ulla dubitatione confirmaverimus, ſive elegantiam veterem ſpectemus, ſive doctrinam, ſive ſapientiam, veterum ingenii monumenta ad iuventutem inſtituendam, & ad humanitatem, prudentiam, elegantiam conformandam, apprime eſſe apta; ſapienterque adeo, & ſalutari admodum conſilio inſtitutum eſſe, ut hi libri iuvenibus mature explicentur. Quare, cum veterum ſcriptorum libri inter primos eſſe ſoleant, certe debeant, e quibus & orationis & prudentiæ quaſi quendam ſuccum prima ætas hauriat: valde miramur, fuiſſe tam paucos, qui veteres auctores ita edendos curarent, ut aliqua inde in iuventutem utilitas, liberali homine digna, redundaret. Etenim iis editionibus, quæ vulgo in puerorum manibus ſunt, a Minellio, Iunkero, Sincero, aliisque febriculoſis & irato Deo natis hominibus, infelici ſidere editis, his igitur diobolaribus libellis quid dici cogitarique poteſt quæſo ineptius? Veteres autem auctores edere, non ut iſti patellarii magiſtelli fecere, qui, nihil curantes ut emendatiores libri prodirent, quidquid ad illuſtrandas antiquitates in Pitiſco invenerunt, ſtrenue conſcribebant, & vim verborum tum demum ſe explicare putabant, ſi dicendi formam commutarent, illud difficilius eſt, quam vulgus putat.

Quo maior gratia habenda eſt doctiſſimo *Fiſchero*, cuius Iuſtinum in manibus habemus, quod ab edendis veteribus libris, & ſic quidem edendis, ut & virum doctum decet, & iuvenibus prodeſt, nullis difficultatibus abduci ſe paſſus eſt.

Præ-

Digitized by Google

Præditus autem eſt doctiſſimus vir omnibus virtutibus, quæ requiruntur in iis, qui antiquos ſcriptores edant, & ſtudio flagranti, & doctrina eximia, & memoria ſingulari. Age, inſpiciamus hanc Iuſtini editionem, ut appareat, iure meritoque has laudes doctiſſimo *Fiſchero* tribui.

Præfatio, qua hanc editionem ornavit Noſter, exponit hiſtoriam codicum manu ſcriptorum, & editionum Iuſtinearum, ex qua ea breviter excerpemus, quæ ibi copioſius diſputantur. Trogum Pompeium primum inter Romanos de rebus in toto terrarum orbe geſtis ſcripſiſſe, nemo ignorat. Cuius cum libri paullo longiores, neque multos, neque cupidos ſatis lectores invenirent, adductus eſt Iuſtinus, ut e Trogi hiſtoria, quæ ſibi digna viderentur, delibaret. Quanquam autem Iuſtinus tali modo effecit, ut ipſi Trogi libri interirent: ſua tamen laude defraudandus non eſt. Neque ideo, quoniam & in ſingulis verbis, & in toto orationis habitu, multa nimis aſpera, impolita, illudque, quo vivebat, ſeculum referentia, occurrunt, abiici debet liber. Quin eo maiori cum cura fovendus, conſervandus, legendus videtur, quoniam inter ſcriptores hiſtoriæ totius orbis unus omnium eſt, cuius hiſtoriam, tanquam ex naufragio tabulam, accepimus. Unde accidit, ut Iuſtinus ſæpiſſime, & manu & typis, deſcriberetur.

Atque primum quidem de codicibus Iuſtini manu ſcriptis eo ordine exponit doctiſſimus *Fiſcherus*, ut, quos quæque regio codices ſuppeditet, eos complectatur. Nos illum ordinem ſervabimus. Iam Italia, præter tres Iuſtini codices, & in bibliotheca Medicea & Magliabequiana aſſervatos, tres alios præbet, quorum duo in Vaticana, unus in Maximiana bibliotheca, teſte Monteſalconio, extant. In Francia non minor copia eſt bonorum codicum. Noti ſunt decem illi libri ſcripti, treſque editiones veteres Iuſtini, quibus Bongarſius uſus eſt, & codex Thuaneus, is quem Iac. Gronovius cum libris editis contendit, & codex Gymnaſii Lexovienſis, membraneus, & ſeculo circiter XII. ſcriptus. In Britannicis bibliothecis quatuor Iuſtini codices aſſervantur, e quibus anglica illa editio nata eſt. Præter hos Iac. Gronovius excerpta quædam Iu-

Iuſtini Cantabrigæ, & codicem integrum Londini in bibliotheca regia invenit. Batavinos Iuſtini codices quinque commemorat Cl. *Fiſcherus*, Perizonianum unum, duo Voſſianos, aliosque præterea duos, omnes membraneos. Denique duorum codicum mentionem facit, qui bibliothecam Fuldenſem ornant. Hæc de libris ſcriptis Iuſtini.

Sequitur modeſta brevisque reprehenſio Bongarſii, Modii, & Gronovii, nepotis, qui in emendando Iuſtino poſteris non ſatis conſuluiſſe videntur. Nam, ſi præferant aliquam lectionem, non indicant, in quo codice eam deprehenderint, unde magna confuſio conſequatur neceſſe eſt.

Venimus nunc ad editiones Iuſtini, quarum illa, quæ a. C. 1470. Venetiis a Nicol. Ienſono, & illa quæ duobus annis poſt Romæ a Cunr. Schwenhemio, & Arnoldo Panartio adornata fuit, primæ eſſe videntur. Has editiones e diverſis fluxiſſe codicibus, ſatis intelligi poteſt ex lectionibus illis quas exinde Gronovius delibavit. Quæ deinde a. C. 1476. Mediolani exiit Iuſtini editio, a Chriſtophoro Valdafero expreſſa, ex bono quidem codice, ſed diverſo ab iis, qui ad ſuperiores editiones adhibiti, profecta eſt.

Hactenus de iis editionibus, quarum ſingulæ ex ſingulis codicibus exſcriptæ ſunt. Reſtat ut breviter de iis dicamus, in quibus plures codices ſimul, itemque veteres editiones, in conſilium adhibitæ videntur. Huius generis prima eſt Sabellicana, Venetiis, ab Antonio Mureto, ut coniicit V. Cl. curata; & Pariſienſis, quæ fere tota Sabellicanam expreſſit. Paullo poſt Pariſienſem prodiit editio Veneta, a Io. Tacuino deſcripta, (quo editore non conſtat,) e variis libris & ſcriptis & editis emendata. Eodem modo pluribus inter ſe libris collatis extitit Viennenſis editio, a. C. 1517. quaternis emiſſa, & ea, quam Petrus Daneſius a. C. 1519. in lucem edidit, & Aſulani editio diligentisſime emendata; una cum Iuntina, quæ Aldinam fere totam ſequitur, & Maioris editio, quæ non ſolum Hagenoæ a. C. 1526. & 1532. atque Coloniæ, a. C. 1549. ſed etiam Baſileæ, cum Sichardi notis, aucta a. C. 1643. emiſſa eſt; & omnium ſine dubio elegantisſima & emen-

Digitized by Google

emendatisſima editio Bongarſii, e qua plurimæ editiones, quæ poſt illam prodierunt, nominatim Fr. Modii, Eliæ Vineti, Victorini Strigelii, Dav. Parei, Theoph. Cannegieteri, Bernecceri, Boxhornii, Iſaac. Vosſii, Thyſii, & Schrevelii, fere totæ expreſſæ ſunt. Quod ad Grævium attinet, is Iuntinam magis quam Bongarſianam editionem ſequitur. Non multum a Græviana editione recedit Gronoviana & Burmanniana, quarum illa a. C. 1719. hæc a. C. 1722. Lugd. Bat. prodiit. Iam paullo ante Oxonienſis editio in lucem miſſa erat, a. C. 1624. & 1705. ad quatuor illos codices, quos ſupra nominavimus, diligentisſime recognita.

De prologis hiſtoriarum Philippicarum Trogi, præ cæteris meritus eſt Bongarſius, qui eos primum in lucem edidit, quanquam admodum corruptos & depravatos. In emendandis autem elaborarunt & ipſe Bongarſius, & deinde Modius, Freinshemius, Vosſius, Vorſtius, &, qui primo nominandus erat, Longervæus Abbas, Montefalconii copiis adiutus, itemque Britannici Iuſtini editores.

Reliquum eſt, ut egregiam clariſſimi *Fiſcheri* operam, quam huic editioni præſtitit, laudemus. Cum rogatus eſſet a librario, ut editionis Iunkerianæ denuo in lucem mittendæ curam in ſe ſuſciperet, conſilium cepit, quod laudari ſatis non poteſt, omiſſis ridiculis Iunkeri notis, Grævii & Gronovii animadverſiones in illarum locum ſufficiendi. Unde factum quoque eſt, ut verba Iuſtini ad exemplum Grævianum, eiusque editionem poſtremam, recenſerentur. Addita eſt diverſitas lectionum, & prologorum, & ipſorum Iuſtini librorum, collecta cum ex codicibus Bongarſii, Gronovii, & Britannorum, tum ex veteribus editionibus. Præfixa eſt operi aurea illa Burmanni præfatio, quæ ſane doctiſſimo cuique pluris eſſe debet, quam omnes commentarii Minellii, ceterorumque huius generis editorum. Huic adiecta eſt brevis Grævii præfatio, & Voſſii de Iuſtino diſputatio, ac fragmentorum Trogi Pompeii collectio, quam Bongarſius attulit. In extremo opere additi ſunt prologi hiſtoriarum Trogi Pompeii, e recenſione Iacobi Bongarſii, eiusdemque exercitationes chronologicæ ad

Digitized by Google

Iuſtini hiſtorias accommodatæ, & Segim. Frid. Dreſigii epiſtola ad Iac. Henr. Bornium, qua Iuſtini quædam loca docte emendat. Clauditur totum opus indice Freinshemiano, cui Ioh. Schefferi & aliorum animadverſa accedunt. Nos quidem vehementer optamus, ut doctiſſimus *Fiſcherus* veterum libris eo modo edendis iuvenum commodis conſulere pergat, & ita quidem optamus, ut ſperemus; ita ſperamus, ut certo futurum credamus.

COMMENTATIO BIBLICA DE AGNO PASCHALI generatim, & ultimo paſchatis die a Chriſto celebrato, tanquam die eius emortuali ſpeciatim, poſt tot controverſias Theologorum rem decernens, Auctore M. IOH. FRIDERICO FRISCHIO, SS. Theol. Baccalaur. & Diacono Eccleſiae Tauchenſis.

Lipſiæ 1758. impenſis Bernhard. Chriſtoph. Breitkopf, 3. Alphab. 5. plagul. in 8. præter præfationem: lingua vernacula.

Hiſtoriæ ſacræ omnino expertes eſſe oporteret, qui, quantæ diſceptationes olim in Eccleſia Græca & Latina, de Paſchatis tempore, ac de comeſtione agni paſchalis agitatæ fuerint, ignorent. Immo his quoque temporibus, inter Eccleſias Chriſtianas magna hac de re eſt diſſenſio: quare optandum utique fuit, ut in tanta ſententiarum diverſitate, quæ pro vera recipienda, ac minimas ſaltem haberet difficultates, clare oſtenderetur. Huic deſiderio ſatisfacere non modo ſtuduit, ſed, uti nobis quidem videtur, etiam ſatisfecit eruditione Theologica & magna aſſiduitate orbi litterato iam ſatis notus *Dn. M. Friſchius.* Summa dictorum in hoc libro hæc eſt. Scriptura S. docet, quod Deus Iudæos iuſſerit per VII. dies feſtum Paſchatos celebrare, dies vero azymorum numerantur VIII. a die XIV. menſis Niſan usque ad XXI. incluſive, licet feſtum azymorum ſeptem dierum feſtum nominetur. Paſcha, mox ſenſu ſtrictiori, & proprie, feſtum appellatur Paſchatos, mox generaliori Paſcha, die, quo agnus

agnus paſchalis comedebatur, ſimul numerato. Hic dies agni paſchalis primus fuit dies Azymorum, non autem dies feſtus, ſed eiusmodi, quo negotia ſua curare licuit. Eo ineunte, horis veſpertinis, agnus paſchalis mactabatur, ſtatim nimirum poſt diem XIII. Niſan, cum ſol occidiſſet, ubi omnia ſine mora expediri debuerunt: agnus paſchalis nunquam ferri debuit in templum; ritus a Deo præſcripti omni tempore fuere iidem quoad agnum paſchalem, nullique mutationi obnoxii, quam quæ a Scriptura S. ipſa indicatur poſt exitum Iſraelitarum ex Aegypto. Sanguis agni paſchalis nunquam fuit adſperſus altari, neque adeps eius altari holocauſtorum imponi debuit. Hæ ſunt graves illæ quæſtiones, ab *Auctore plurimum Reverendo* magna cum diligentia dilutæ. Summa fere rei ponitur in initio diei XIV. menſis Niſan, inſequente diem XIII. ſtatim cum ſolis occaſu, quo tempore, teſtibus Moſe & Evangeliſtis, agnus paſchalis debuit mactari. Liber omnis diviſus eſt in *octo* capita, quorum primo loca Veteris Teſtamenti de paſchate & agno paſchali Iudæorum agentia explicantur. Quumque ſecundum verſionem novam germanicam in opere præſtantiſſimo Biblico Anglicano, oracula ſacra excitentur, admonetur ſimul lector, ubi nova iſta verſio a ſcopo Spiritus S. videatur aberraſſe. Caput XII. Exodi, utpote locus claſſicus huius materiæ, ſingulari cum cura explanatur. Vocem עַרְבַּיִם comm. VI. quam *duas veſperas* plerique omnes reddunt, vertit *tempus veſpertinum*, ſeu horas veſpertinas, quibus agnus paſchalis mactandus erat, intelligitque tempus ab occaſu ſolis usque ad mediam noctem. Nec deſunt exempla eiusmodi nominum, quæ ſub terminatione duali vim habent numeri plurium, ut notiſſima illa מַיִם, aquæ, & שָׁמַיִם, coeli. *Comma* XIV. ſecundum accentus, qui hic quoque inſignem præſtant uſum, ita redditur: *Hicce dies vobis erit in memoriam, & tanquam feſtum Domini ſolemniter eum celebrabitis: perpetuo apud poſteros veſtros id celebrabitis.* Obſervandum hic Auctor monet diſcrimen inter diem conſecratum memoriæ tranſitus per Aegyptum, ac inter feſtum memoriæ. Colligitur etiam ex hoc commate, quod

dies agni paſchalis totus fuerit dies, idem tamen dies tantummodo *memoriae*, ſine publica feſtivitate, a propric dicto feſto Paſchatis diſtinguendus, dies communis profeſtus, tantumque ſanctus ob actionem memorialem, neque ergo dies totus, ſed nox eius tantummodo ob actionem iſtam ſancta, quodque iſte dies primus dies Azymorum fuerit. Ex commate XVIII. his rationibus probatur, veſperam ineuntem ſeu initium diei XIV. Niſan intelligi debere, *primo*, quia azyma una cum agno paſchali debebant comedi, c. VIII. *ſecundo*, ex hiſtoria ſacra, quia die XIV. Niſan ad veſperam agnus mactari & comedi debuit, media vero nocte eiusdem diei primogeniti Aegyptiorum percusſi ſunt, c. XXIX. & ad diluculum diei XIV. Niſan Moſes a Pharaone iuſſus eſt exire ex Aegypto: *tertio*, quia die XIV. hocce populus Iſraeliticus ab Aegyptiis omnibus ex locis expulſus fuit, die vero XV. Niſan iter ex Raëmſes factum eſt. Ex Levit. XXIII, 4-8. numeratio dierum ab una veſpera ad alteram monſtratur. Ad Num. IX, 1-14. de Paſchate ſecundo agitur, ubi קָרְבָּן non per agnum paſchalem, ſed ſacrificium paſchale explicatur, quodque in deſerto quoque Paſchali iugiter ab Iſraelitis celebratum fuerit, defenditur. Ex 2 Chron. cap. XXXV. diſcrimen agni paſchalis ac ſacrificii paſchalis ſat gravibus rationibus confirmatur, quodque פֶּסַח v. 6. ſacrificia paſchalia denotet, oſtenditur *primo* ex generali fine verborum v. 2-9. de Feſto Paſchatos agentium, *ſecundo* ex cohærentia, cum in antecedentibus de diſtributione, & in ſequentibus de numero ac eſu iſtorum ſacrificiorum agatur; *tertio* ex ipſa rei ratione, cum agnus paſchalis a Levitis non mactatus ſit, nec holocauſtum inde fieri potuerit, quod tunc fiebat, coll. v. 12. Agnus paſchalis nunquam in templo præparatus, coctus & eſus fuit, nec partes eius conſecratæ ſacerdotibus dari debuere, nec ulla familia pro altera agnum paſchalem mactare debuit, quod hic factum legimus. Ad Ezechiel. XLV. 21-24. de oblatione principis agitur, quæ tanquam typus ſacrificii Mesſiæ conſideratur. Sub נָשִׂיא A. intelligit principem populi Dei, ſive in ſtatu eccleſiaſtico, ſive politico vixerit: פֶּסַח hic ei eſt

agnus

Digitized by Google

agnus paſchalis, quoniam ad diem XIV. Niſan refertur, & ab ipſo feſto diſcernitur. *In Capite ſecundo* loca N. T. de agno paſchali & Feſto Paſchatos perluſtrantur. Luc. XXII. v. 7. ἦλθε redditur *venit*, *acceſſit*, oſtenditurque, *Ieſum* in veſpera diei Iovis, ineunte die Veneris, tanquam die XIV. Niſan una cum omnibus Iudæis agnum paſchalem comediſſe. Ex Iohannis XIII, 1. obſervatur, quod Iohannes non ſecundum diem agni paſchalis, ut reliqui Evangeliſtæ, numeret, ſed ſecundum diem Feſti d. XV. Niſan. Adventus Chriſti Hieroſolymæ hinc e comm. 12. non die Solis, ſed Lunæ, tanquam X. Niſan conſtituitur. Ioh. XVIII. πασχα vertitur *ſacrificium paſchale*, quo tollitur obiectio, Ieſum non cum aliis Iudæis agnum paſchalem comediſſe. Noluerunt Iudæi ingredi in domum profanam, ne impuri fierent, ſed ut ſacrificiis paſchalibus fruerentur: ſecundo enim paſchati celebrando intereſſe ipſis indignum videbatur. *Capite III.* declaratur natura agni paſchalis, demonſtraturque, quod fuerit ſacramentum, minime vero ſacrificium, quia non apud altare, nec in tabernaculo teſtimonii, nec in templo mactari, ſanguis eius altari non adſpergi debuit, ac reliqua in ſacrificiis neceſſaria, e. g. coctio, impoſitio manuum, defuerunt. *Capite IV.* accidentalis ratio agni paſchalis indicatur, tanquam typi Chriſtum repræſentantis, quod nimirum aſſatio præfiguraverit corpus Chriſti crucifixi ſanguine rubens; ignis, quo aſſabatur, tempus meridionale, quo Servator in cruce pendebat. *Capite V.* de ultimo I. C. paſchate & die, quo mortuus eſt, multa cum diligentia agitur. Hic deprehendimus vim atque robur rationum pro ſententia Auctoris. Rationes, quod Ieſus die XIV. Niſan agnum paſchalem comederit, ſunt 1) teſtimonium Evangeliſtarum, quod ille dies primus fuerit Azymorum, 2) modus numerandi apud Iudæos, vi cuius dies primus Azymorum non alius quam XIV. Niſan eſſe poteſt, 3) quod dies præparatorius feſti nominatur, 4) quod inde dies reſurrectionis Chriſti, XVI. Niſan, utpote primus hebdomadis, determinari poteſt, 5) quod Iohannes teſtatur, die ſexto ante Paſcha, ſeu d. X. Niſan veniſſe Hieroſolymam, Ioh. XII, 1.

 Oſten-

Oſtenditur dein, quod dies Ieſu emortualis non fuerit dies primus Feſti Paſchatos, ſed dies agni paſchalis, ſextus hebdomadis, quodque agnus paſchalis ante Chriſti paſſionem finem agnorum paſchalium V. T. facere debuerit. *Capite VI.* de ſacrificiis Iudæorum paſchalibus diſſeritur, quæ vel publica erant totius populi, ſingulis Feſti diebus oblata, vel privata ſingularum familiarum, quinque feriis intermediis addicta. *Caput VII.* teſtimonia complectitur Ioſephi de Paſchate & ſacrificiis paſchalibus Iudæorum, præſertim Bell. Iud. L. VII. c. 45. ubi, ut numerus populi Iudaici cognoſceretur, ſacerdotes non agnos paſchales, uti vel omnes adhuc putavere, ſed victimas paſchales numeraſſe leguntur, nimirum ducentas quinquaginta mille quinque & ſexcentas, quæ numero decimo multiplicatæ, quot ad minimum convivæ ſacrificio frui debebant, numerum efficiunt duarum chiliadum, quingentarum quinquaginta ſex millium. Adiunguntur quoque teſtimonia ex Philone, eorumque convenientia cum ſacris litteris oſtenditur. *Capite* demum *octavo* diiudicantur recentiora quædam ſcripta de ultimo agno paſchali Servatoris noſtri, eiusque die mortis, nimirum *Ikenii*, *Schoettgenii*, *Bengelii*, *Gudii*, *Harenbergii* & *Clemmii.* Librum attente legens deprehendet, multas difficultates in gravi illa quæſtione, quam tractat, feliciter eſſe ſublatas, magnumque fervorem pro veritate defendenda eum ubivis ſpirare. Occaſio laboris ſuſcepti, quam tempus memoriæ paſſionis Salvatoris noſtri præſtitit, & commoda ad librum legendum præparatio, continetur præfatione XLIV. paginas continente. Indicis locum ſupplet ſciagraphia totius libri, præfationi ſubiuncta. Spem quoque Auctor facit novæ Harmoniæ Evangeliſtarum in hiſtoria paſſionis Servatoris, quæ ut mox lucem videat, exoptamus.

HISTOIRE DES CELTES ET PARTICULIEREMENT des Gaulois & des Germains.

i. e.

EXPOSITIO HISTORICA DE CELTIS AC SPEciatim de Gallis & Germanis, inde a temporibus fabuloſis

loſis usque ad Romam a Gallis occupatam. TO. II. Auctore SIMONE PELLUTERIO.

Hagæ Comitum 1750. apud Iſaacum Beauregard, 17½. plagg. in 8.

Laudavimus Tomum priorem, Hagæ Comitum æque evulgatum 1740. 8. ſuo loco. Laudarunt eum candore eodem Auctores *ephemeridum erudit. Paris.* 1741. menſibus Iulio & Auguſto. Expoſuerunt Britanni eruditi, iique in ſocietatem adgregati, in *Hiſtoria* ſua *univerſali* To. IV. ſeu L. I. c. 12. ſect. 1-4. Pezronium potiſſime ſecuti, ac ad Celtas a Scythis dignoſcendos proclives ac ſollicite proni. Scythas a Magogo, Celtas vero a Gomere, fratre eius maiori, deducunt. Videntur Britanni aliter de origine Germanorum ſentire ac Cel. Simon Pelloutier. Errare omnino eos, qui patriæ noſtræ cis Moenum primo Scythas, inde Celtas, & poſtea Gothos, obtrudant, exiſtimat Iohannes Georgius Eccardus de *Origine Germanorum* L. I. §. 30. p. 59. Verior tamen eſt Ill. Viri, Chriſtiani Ludovici Scheidii ſententia, qui in præfatione huic operi præfixa p. 25. arbitratur, Germaniam non ex Scythis modo, Celtis atque Slavis & Venedis, ſed ex ipſa etiam Scandinavia magna, habitatores ſuos accepiſſe. Stat itaque adhuc ſententia Cl. Pelluterii, quam Tomo priori propugnavit, & cui ipſe Eccardus in Germania ſuperiori, & ultra Moenum in meridiem patenti, reliquit locum. In præſenti ad Tomum Pelluterii poſteriorem, qui librum tertium operis ſolidisſimi complectitur, nobis eſt progrediendum. In hoc ſumma tractationis addicta eſt dogmatibus religionis Celtarum recenſendis. Coniecturis infirmis Auctor haud indulſit. Emendavit nonnunquam errata, quæ ipſi in elaborando Tomo priori exciderant. Laudabile omnino inſtitutum. Memorabile eſt, ex doctrina Celtarum nemini introitum patuiſſe in paradiſum, niſi eis, qui morte ceciderant violenta. Errata pauca corriguntur ſub finem admonitionis, lectori inſtillatæ, Liceat capitum præmittere argumenta, ut lector ſtatim intelligat, quibusnam partibus conſtet corpus, ſucco & pulchritudine

dine plenum. Capite libri III. primo oſtenditur uſus & difficultas expoſitionis de Celtarum religione, ac de Druidum occultatione, phyſiologiæ ac magiæ impenſa, de Druidum reliquis dogmatibus publicis, ac eis, qui eam tractarunt, diſſeritur. Indicat Auctor ſimul rationes, cur exiſtimet, Stephanum Forcaſſel, Philippum Cluverium, Eliam Schedium, P. Leſcaloperium, Auctorem libri *de la Religion des Gaulois*, religionem Celtarum ignoraſſe. Celtæ, eſſe Deum, docuere. Id ipſum traditur capite ſecundo. Celtæ præſtantiam Dei agnoverunt, tribuentes ei naturam ſpiritualem, non corpoream, ſcientiam infinitam, potentiam termini expertem, iuſtitiam corruptioni haud obnoxiam. Abhorruerunt ipſi a ſtatuis ac imaginibus Deorum. Id demonſtratur capite tertio. Celtæ venerati ſunt elementa ac partes mundi adſpectabiles, putantes, cuique parti adſpectabili huius univerſi ineſſe ſedem ac templum intelligentiæ cuiusdam, quæ extraordinarias vires Dei ſupremi prodere queat ſæpiusque edat, ſiquidem, id, quod per legem naturæ efficitur, eſſe divinum opus, pateſcat. Id capite quarto ediſſeritur. Capite quinto docetur, a Celtis cultum fuiſſe magnum numerum mentium rerumque, quaſi a Numine ſupremo pendentium, nec tamen eis placuiſſe duo contraria & inimica invicem rerum principia. Caput ſextum ſignificat, Celtas adpellaſſe Deum ſupremum *Teut*, reputatum pro mundi creatore ac mundi anima. Septimo inquiritur in famam, quæ dictitavit, a Celtis *Martem* ac *Mercurium* fuiſſe cultum. Octavo docetur, proximum a Deo *Teut* locum occupaſſe apud Celtas *Terram*, Scytharum *Dianam*, Thracum *Opin*. Ipſi, ex indicio capitis noni, cultum exhibuerunt ſacrum fontibus, lacubus, fluviis, mari. Decimo exponitur cultus, quem Celtæ præſtiterunt Igni. Undecimo procedit Auctor ad cultum, *aeri ventisque* exhiberi ſolitum. Duodecimo tradit, ipſos coluiſſe ſolem æque ac Scythas. Decimo tertio traditur nonnihil de eo, quem Celtæ tribuerunt Lunæ, cultu. An Herculem coluerint Celtæ, diſquiritur capite XIV. negatque Auctor, a Celtis heroas defunctos cultu fuiſſe inſignitos. Capite XV. ipſos coluiſſe Bacchum, negat. Dicuntur Dii peregrini, Priapus,

Digitized by Google

pus, Caſtor & Pollux, Minerva, Iſis, Venus Urania, Celtarum fuiſſe Numina, prouti capite XVI. traditur. Sequenti capite contendit Auctor, Celtis probatam fuiſſe ſententiam, quæ perhibet, mundum a ſupremo Numine eſſe creatum, de reliquo non periturum, niſi ſuccumbentem aliquando aquæ & igni. Providentiam Dei fide dignam eſſe, decernebant Celtæ. Theologia eorum moralis præcepit, ut Deum colerent, ne male agerent, ut fortitudini ſtuderent, ac Deum, peccatis offenſum, placarent victimis humanis. Capite XVIII. traditur, Græcos doctrinam de immortalitate animorum a Celtis accepiſſe, metempſychoſin Pythagoræ a Celtis fuiſſe alienam, placuiſſe illis mercedem animis defunctorum tribui ſolitam, mortuos in vitam revocatum iri ſemel, fortibus animis hanc ſpem inprimis adfulgere, eisque, qui præ ſenectute morbisve exſpirant, ad inferos eundum, ubi ſit pugnandum citra noxam, bibenda cereviſia, & edendum ex apro lardum, quod perpetuo integrum ſit permanſurum. Diſſertatio adiecta, ac inſcripta *de Galatis*, docet, quænam fuerint nationes Gallicæ, quæ in Aſia minori ſedes fuerunt nactæ, quonam tempore eo fecerint expeditionem, quaſnam regiones occupaverint, quibuſnam moribus eæ ſint uſæ, quinam eis fuerit ſermo, quonam dominatus genere ſint gaviſæ, & quando fuerint alienæ ditioni ſubmiſſæ. Hæc libri III. ac Diſſertationis ſubiectæ eſt ſumma. Dabimus iam nonnihil ex hoc vireto decerptum. Druides dicuntur nihil litteris mandaſſe, noluiſſe diſciplinam ſuam in vulgus efferri, docuiſſe ſuos clam & vicenis annis, in ſpecu aut in abditis ſaltibus. Teſtes huius moris ſunt Cæſar B. G. VI, 14. Mela III, 2. aliique. Ad phyſiologiam & magiam, qua homines putantur edere ignota & incredibilia, Auctor iſthæc reſtringit. Mela enim ipſe addit: *Unum ex iis, quae praecipiunt, effluit, videlicet, ut forent ad bella meliores, aeternas eſſe animas vitamque alteram ad Manes.* Celebrantur Stephani Forcatuli, Biterrenſis, *de Gallorum Imperio & Philoſophia* Libri VII. Genevæ 1562. & 1595. (imo & Pariſiis 1579. quam ipſi tenemus editionem) publicati. Multum lectionis ac eruditionis ex eis effulget. Veritas eiusque inveſtigandæ ars ibi exſulant. Quis enim cum ipſo credat, Gallis præfuiſſe Regem

Hhhh *Saron,*

Saron, ac Homerum de urbe Tholoſa mentionem inieciſſe? Quis cum ipſo commentis Annii Viterbienſis habeat fidem? Philippi Cluverii *Germania antiqua*, Libris III. Lugd. Bat. 1631. emiſſa in lucem, habet pauca de Gallorum veterum religione, eaque conie&turis admodum referta. Parum abeſt, quin ipſe Celtas converterit in Chriſtianos, ſiquidem eis tribuit notitiam Trinitatis, ex loco Cæſaris B. G. VI, 21. ubi Vulcani, Solis, & Lunæ cultus commemoratur. Nihilominus eum adſe&tati fuerunt Elias Schedius, P. Leſcalopier, Huetius, Iurieu, ac ipſe Anonymus, qui de religione Gallorum gallice fuit commentatus. Eliæ Schedii *de Diis Germanis ſyntagmata quatuor* ſunt a iuvene diligentiſſimo ſcripta, qui anno 27. ætatis deceſſit, ac poſt eius mortem publicata. Artis criticæ vis ac digeſtio rerum propoſitarum, temporum item diſtin&tio, operi deſunt. Omiſſa ibi ſunt multa præter Pripegalam, Slavorum Deum. Petrus Leſcaloperius commentario ſuo in Ciceronis libros *de Natura Deorum*, ſuffixit *Humanitatem theologicam* Pariſiis 1660. arbitratus, Celtas iam 100. annis ante Ieſum natum coluiſſe *Carnutum Deam, virginem pariturain*, id eſt Mariam Θεοτόκον. De Galli Anonymi libro: *la Religion des Gaulois, tirée des plus pures ſources de l'Antiquité*, Pariſiis 1727. 8. publicato, Au&tor diſſeruit copioſe in ephemeridibus, *Bibliotheque Germanique*, To. XXXVII. p. 140. Anonymus, Deos Græcorum ac Romanorum eſſe eosdem ac Gallorum, ſibi perſuaſerat. Opinio hæc dudum decoxit fidem. Au&tori haud viſum fuit e re fore, ſi omnem tra&tationem hoc Libro III. comple&teretur. Reſtat & exſpe&tatur eius continuatio. Diſſeret enim poſthæc de Druidibus, de temporibus ac locis ſacratis, de ſacrificiis, de cærimoniis, de incantationibus ac maleficiis magicis Celtarum, de exquirendi veri modis, de certamine ſingulari, de ſortilegio, de auſpiciis, de vi&timarum inſpe&tione, de fulmine, de examine per ignem & aquam. Adiunget hiſce momentis, de philoſophis Scytharum ac Celtarum, Orpheo, Zamolxe, Abare, Toxare, Anacharſe & Dicenæo, hiſtoriam compendioſam, nec omittet de ea ratione, qua Celtæ ad chriſtianam religionem progreſſi ſunt, dicere. At redeundum nobis

eſt

Digitized by Google

eſt ad priora. Celtas Callaicos Strabo tradit a nonnullis dici atheos, teſte eius L. III. p. 164. At Strabo eis extiſpicia & cærimonias ſacras cum Silio III. v. 344. & Iuſtino XLIV, 3. tribuit, ideoque atheiſmi crimen tollit. Cicero *Orat. pro Fonteio* videtur Gallis expertem omnis religionis animum exprobrare. At Cicero ibi agit cauſæ patronum ac oratorem, nec inficiari audet, Gallos victimis humanis Deos placare, ſudans omnino multem, ut teſtimonium Gallorum, Fonteio infeſtum, eluderet. Celtis religionem tribuunt Plinius, Cæſar, Livius, Solinus c. 33. & Dionyſius Halicarnaſſeus VII, 474. Ab Eumolpo Thrace ſacra obtinuerunt Eleuſinia Athenienſes. Ipſum θρησκεύειν a Thracibus videtur ductum. Plutarchus certe ac Suidas ita ſibi perſuaſerant. Lucanus ad Gallos ita L. III. v. 452. *Solis noſſe Deos & coeli numina vobis, Aut ſolis neſcire datum!* Celtæ & Scythæ ita rigidi religionis ſuæ avitæ fuerunt cuſtodes, ut necem intulerint novaturientibus, teſte Herodoto IV, 76. 79. 80. Omniſcium eſſe Deum ex Celtarum opinione, Cl. Auctor ex horum præſagiis ac divinationibus it comprobatum. Notio iuſtitiæ Dei apud Celtas peperit examen per ignem & aquam, ac *ordalia* reliqua, poſthæc in orbem chriſtianum propagata, & in *campionibus* Langebardorum obvia. Celtis haud probatam fuiſſe eorum ſententiam, qui Deos colebant corporeos, Auctor demonſtrat ex Taciti Germania c. 9. atque ex ea ratione, quod templa, imagines, & ſtatuas Deo Deisve haud conſueverant conſtituere. Galli, Ablancourt & Mezerai, haud fuerunt adſecuti ſenſum verborum Taciti, *Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus adpellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident.* Noſter hæc ita intelligit, ut contendat, fuiſſe in locis ſacratis Germanorum locum ſecretum ac adprime ſacrum, in quem ſolis ſacerdotibus ingredi licuerit, & ubi haud fuerit conſpicuum Numinis ſimulacrum: & huic loco ſecreto fuiſſe nomen Dei, ibidem adorati: reliquum vulgus eminus proſpexiſſe adytum illud reverenti quadam pietate. Si quid valemus iudicando, locus Taciti non dextre ſatis interpunctus eſt. Si paullo aliter eum legeris, nihil reſtat obſcuritatis. En lectionis rationem. *Lucos*

Digitized by Google

ac nemora conſecrant, deorumque nominibus adpellant. Secretum illud, quod ſola reverentia vident, auſpicia, ſorteſque, ut qui maxime, obſervant. Perſis Celtisque eadem in his pæne opinio fuit. De Perſis confer Herodotum I, 131. & Clitarchum apud Diogenem Laertium p. 5. Scytharum ad Pontum Euxinum religio, qualem deſcripſit Herodotus IV, 59. videtur Noſtro iam per commercia Græcorum admodum immutata. At ſolebant Græci ob ſimilitudinem quamdam religiones exterorum cum ſua comparare. Confuderunt ipſi hac ratione religioſas barbarorum doctrinas cum ſcitis Græcorum. Quem Herodotus vocavit *Δία, Iovem* Perſarum, erat, ipſo teſte I, 131. *totus coeli ambitus.* Vel ex hoc eius teſtimonio pateſcit differentia inter religionem Græcorum & exterorum. Galli certe Ciceronis ætate bellum indixerant ex more priſco Diis Græcorum ac Romanorum, teſte eius pro Fonteio oratione. Lucano auctore, Druides ſecus de Deo & religione ſenſerunt ac reliquæ nationes. Quare illa Cæſaris B. G. VI, 17. religionem Celtarum haud deſignant. Hi enim ignorarunt Mercurium, Apollinem, Martem, Iovem, Minervam. Diſtinguendæ ſunt præterea ætates. Ex quo enim Hiſpani, Galli, Britanni ac Germani nonnulli Romanis parere didicerant, religionem ipſi priſcam, adſcitis Romanorum Græcorumque ritibus, miſcuerunt. Id tamen abnuere haud licet, Celtis adriſiſſe eam ſententiam, quæ docet, ſingulis mundi partibus ac elementis vim ineſſe Numinis unius ſupremi, usquequaque diffuſam per ignem, aquam, ventos, ſidera, terram, arbores, ſaxa, equos, rel. Scythæ coluerunt æque elementa præter Teutum, (quem Herodotus IV, 59. vocat Martem) *ignem, aquam, terram, ſolem, lunam.* Congruunt his opiniones priſcorum Perſarum, eodem teſte I, 131. nec non veterum Turcorum, teſte Theophylacto Simocatta VII, 8. qui addit dilucide: *Non venerabantur nec adpellabant quicquam Deum, niſi illum, qui fecit coelum & terram.* Confer de Germanis ſæculi VI. Agathiam L. II. p. 18. Gregorius Turonenſis tribuit eadem dogmata Francis ſuæ ætatis, L. II. p. 278. Kapitularibus Caroli Magni eadem fuere interdicta. Vide L. I. tit. 64. p. 239. & L. VII. tit. 236. p. 1093.

Saxo-

Saxonibus Nordalbingis inhæſerunt illa commenta. Germanis ea tribuit Agathias. Francis etiam fuerunt familiaria. Kapitularia Caroli Magni, Burchardus in *collectione Canonum* X, 22. XIX. p. 270. Helmoldus *Chron. Slav.* c. 48. eorum meminerunt adhuc. Græcorum primorum eadem fuit opinio. Epicharmus non diſſentit, teſte Menandro apud Stobæum. Celtis eam adtribuit Procopius *Goth.* III, 14. p. 498. Nec tamen Celtæ elementa mundi adſpectabilia pro Diis habebant, unum quippe Deum colentes, ipſo teſte Procopio, licet Auctor haud neget, paſſim Celtis ipſisque Perſarum Magis a Caſſiodoro *Hiſt. Tripart.* X, 30. p. 363. & Diogene Laert. *prooem.* p. 5. eum tribui errorem. Theogonia Celtarum conſiſtebat rebus adſpectabilibus, Deo ſubiectis, per quas ipſe credebatur vim ſuam dare effectui. Maximus Tyrius *Diſſ.* XXXVIII. p. 451-460. oſtendit, ſymbola fuiſſe illam adſpectabilem materiam divinarum virtutum. Conſentit Dinon priſcus apud Clementem Alexandrinum, *Cohort. ad gentes* p. 56. Celtæ illi vi, quæ per elementa exſerebat benignitatem & iuſtitiam, cultum exhibuerunt, non elementis ipſis. Chinenſes eadem adhuc opinione ſunt imbuti. Incolas Thules inſulæ ſic ſenſiſſe, auctor eſt Procopius. Pythagoras, qui dicitur Gallos quoque audiiſſe, credidit, Deum eſſe animum, per naturam omnem intentum & commeantem. Celtæ inde collegerunt, Deo templa haud eſſe condenda, ſiquidem Univerſum ſit eius templum. Perſæ eadem ſenſerunt, teſte Aſconio Pediano in Verr. II. ac Cicerone de *Legibus* L. II. p. 3894. Hinc fluxit Celtarum opinio, omnia, per legem naturæ effecta, eſſe non mechaniſmo, ſed Deo ipſi, tribuenda; porro: motus avium, terræ, arborum, volatus, cantus, fulgura, eſſe Dei effecta, ac præſagia, uſui hominum accommodata, teſte Aeliano V. H. II, 31. Eodem retulerunt involuntarios hominum motus, v. c. mulierum actiones, quæ magis ſunt involuntariæ, quam ratiocinationis effecta. Inde divinationum origo & materies. Celtæ per elementa haud deſignarunt homines vel Deos Græcorum aut Romanorum. Horum ſcriptores ſefellerunt ſe & alios, Celtarum theologiam ad ſuam referentes. Celtas Germanos-

manosque unum modo Deum coluiſſe, Auctor copioſe docet. Sarmatis placuit ſententia eadem, teſte Helmoldo I, 84. p. 182. Confer Auguſtinum de *Civitate Dei*, VIII, 9. p. 465. Deo uni, pro varietate loci, ubi colebatur, varia fuiſſe nomina, concedit Auctor. Dum vero Celtæ vires ſummas ſeu ſpiritus, intelligentiasve, Deo adiunxerunt, vel ſubiecerunt, a polytheiſmo abſolvi haud poſſunt, licet divinitatem earum, Deo primo inferiorem, non æqualem, faterentur. Germanos coluiſſe duo principia æque æterna, fruſtra traditur ex Tacito, *Germ.* c. 45. Satyros Græcorum Celtæ vocarunt *Duſios* ſeu *piloſos*. In *daemonas* Auguſtinus convertit hoſce, qui tentent hominum caſtitatem, & immunditiem efficiant. Ut primum præcones doctrinæ chriſtianæ docuerunt Celtas & Germanos, potentiam diaboli ſe Deo opponere, ipſi quamdam e ſuis intelligentiam putarunt eſſe divinitatis ſpiritum, eumque *Tibylenum* vocarunt, ex diabolo factum. Slavi inde ad duos invicem oppoſitos Deos delapſi. Svantevith Noſtro prodiit per contemtum ex S. Vito a Corbeienſibus adnuntiato. Plutarchus primus duo principia tribuit religioni Perſarum. Herodotus & Cteſias tacent. *Teut* fuit Celticorum populorum Deus ſupremus, alias *Tuis* & *Dis*, id eſt, *te as*, unus, Echad, Adad, God, Odin, id eſt, unus, alias dictus. Noſtro Teutas eſt *Deus pater*, quaſi *te ad*, *te adde*. Teutates Hiſpanis non ignotus fuit. Livius XXVI, 44. eum per Mercurium expoſuit. Nomine proprio Dei caruerunt Celtiberi, Deum ſeu Teutatem eum adpellantes. Ea mens fuit Straboni L. III. p. 164. Celtiberis trita fuerunt nomina hominum & locorum, ex Teut decerpta. Galli victimas humanas Diti ſeu Teuto immolarunt. Eum Cæſar, religionis Celtarum ignarus, aliique in Mercurium converterunt. Pauli Diaconi ævo Tuis iam dictus fuit Vodan, Odan, Odin. Thracibus is dictus Cotys, aliis Atys, Perſis *God*. Dis Aboriginum victimis humanis cultus fuit, quem morem Hercules exſtirpaſſe traditur. Tuſci ex Tuis dicti fuiſſe videntur. *Dieſpiter* eſt Dis, Tuis pater. Titanes videntur eſſe adoratores Ditis. Dis Ciceroni videtur eſſe vis terræ; Celtis vero anima terræ ac mundi

uni-

Digitized by Google

univerſi. Dis & Hades a multis permiſcentur. Plutoni immolarunt Græci victimas humanas. Celtis idem mos placuit, ſolemnia ſacra Ditis noctu peragentes, haud ſecus ac ei, qui Plutoni fecerunt ſacra. Pelasgis adriſit unicum nomen Θεὸς ſeu Dis. Teut Gallorum adpellatur *Mercurius* ab Ammiano Marcellino L. XVI. p. 115. Thraces Teuto tonanti, univerſorum patri, ſagittis verſus coelum directis, vota fecerunt. Id Herodotus de indignatione Thracum ſiniſtre expoſuit IV, 94. Celtæ haud ſecus Diti ſeu Teuto crediderunt arma ac bella eſſe cordi, atque bellatorum mortem violentam placere. Auctor ſibi perſuadet, Germanos tribuiſſe Diti ſeu Teuto ſuo fulmina & pluviam, quæ Antonini exercitum contra Quados tendentem refovit, & a Dione apud Xiphilinum L. LXXI. p. 805. Mercurio aerio in acceptis refertur, per Arnuphin magum excitato. Chriſtiani eam precibus legionis fulminantis adtribuerunt. Celtæ diſtinxerunt Deum ſupremum ab eo, qui tonitru iaculetur. Teuto nomen Mercurii indiderunt Romani. Lucanus illum vocavit *Heſum*, id eſt, unum; Deum vero, fulminum auctorem, *Taranin*, *Donner*. Islandi & Sueci ac Germani diſcreverunt Deum *Vodan*, *Odin*, a Deo *Thor*. Dies Iovis, *Donnerſtag*, diverſus fuit a die Mercurii, *Wodansdag*. Islandi illum adpellarunt *Thorsdag*. Britanni Tonantem vocarunt *Cernunus*, ex *Curun*, tonitru. Leibnitius hunc pro Baccho habuit, ac inde arceſſivit nomen menſis noſtri *Hornung*. At hic ita dictus eſt ex *Hore*, luto. Menſis enim ille ſolum reddit lutulentum, ac luti eſt proles. Sex mille annis Deum creaſſe mundum, tradiderunt Tyrrheni, dies ſingulos Moſis in totidem millenarios vertentes, teſte Suida in Τυῤῥηνία χώρα, qui tamen non animadvertit, illam Tyrrhenis narrationem per fraudem piam fuiſſe ſuppoſitam, certe interpolatam. Terram priſci populi coluerunt, Scythæ, Turci, Perſæ, Græci primi, Thraces, Phryges, Itali, Germani, terram, quaſi Deo ſupremo iunctam, eiusque coniugem. Aeſtyi, nunc Boruſſi, *matrem Deum* venerati ſunt, teſte Tacito de *Germ.* c. 45. Feſto die in honorem Terræ celebrarunt creationem mundi hominisque primi. Ipſa dicta fuit

fuit *Rhea*, *Agdeſtis*, *Idaea*, *Dindimena*, *Pylene*, *Peſſinuntia*, *Cybele*, *magna mater Deum*, *Berecynthia*, rel. culta in ſilvis ac ſupra montes. Simulacrum eius lapis, Livio teſte XXIX, 2. Lapidem eiusmodi curru vexerunt ac flumine lavarunt Germani, Phryges, aliique. Feſtum Terræ perſonuit hymnis, quibus nuptiæ Teuti cum ea celebratæ. Miniſtros Rheæ Phryges vocarunt Corybantes, Telchines, Dactylos, Idæos, Gallos, eosque eviratos. Dianam Epheſiorum, a Scythis traductam, Noſter pro Terra habet. Amazonas putat fuiſſe Scytharum uxores, bella maritorum ſequentes. Iones ipſos ab ora Aſiæ minoris repulerunt. Feminæ illæ præſederunt cultui Terræ. Earum in locum ſucceſſerunt virgines Lydæ. *Diana* videtur dicta eſſe *unius illius femina*, Frea. Scythæ eam vocarunt *Upin* reginam, *Upianaſſam*, quam Romani dixere *Opem reginam*. Quam ob cauſam *Terra* deſignatur. Conſentiunt Servius ac Macrobius. Sus ſeu aper femina ei fuit ſacrata, dicta *Ophi-ſu*, uberibus plena. Adytum Dianæ olim fuit truncus ulmi. Iones condiderunt templum poſt Salomonis ætatem. Fuit ipſa eadem ac Diana Taurica & Thracum. Lygdamis illud templum incendit, ac poſtea Heroſtratus. Thraces Terram vocarunt *Cimmerim*, *Lemnon*, *Busbaton*, *Bendin*, eiusque templum *Bendidion*; *Triviam*, *Hecatem*, *Dianam*, *magnam Deam*. Alia Hecate eſt Luna. Baſin ſeu ſaxum, cui ſolet imponi ſtatua Terræ, fuiſſe ſymbolum ſacrum, intelligitur ex illis Ovidii L. III. ep. 2. ex Ponto v. 50. *Fama refert, illic ſignum coeleſte fuiſſe, Quoque minus dubites, ſtat baſis orba Deae.* Templum ipſum Dianæ Tauricæ fuiſſe rupi ſuperſtructum, tradidit Herodotus IV, 103. Scythæ creatorem coeli & terræ adpellarunt *Tui*, *Tau*, *Tau-As*. Inde in fabulas defluxit Thoas. Sacerdotes ac templa nomen Dei, cui erant conſecrati, geſtabant. Sacra Triviæ, in Aricino nemore peracta prope Romam, adtingere haud iuvat. Traducta fuerunt illa ex Cimmeriis. In nemore illo Numa Pompilius videtur Egeriam Nympham, Dianæ ſacerdotem, habuiſſe magiſtram in Sabinorum religione. Hi erant populus Umbriæ ac Celtarum. De cultu, quem

Digitized by Google

quem Celtæ fontibus, lacubus, fluviis marique exhibuerunt, ſolide ſuoque more expoſuit. Ignem Terramque cultu eodem illi fuerunt proſecuti. Romani Veſtam coluere ex præſcripto Numæ. Ignem Cæſar *Vulcanum* adpellavit. Veſta credebatur ignis eſſe immortalis, cui Magi Perſarum æque detulerunt cultum. Ex igne Gallæci præſagia captarunt. Scythæ ignem ſummi fecere. Celtæ aerem ventumque venerati ſunt æque ac ſolem. Hunc Norici ac Galli quidam vocarunt *Belin* & *Belenum*, Scythæ *Oethoſyron*, *Goitoſyron*, id eſt, *bonum aſtrum*. Equos ei immolarunt Europæi olim univerſi rubros ac minutos, Scythæ aſinos. Solem viridem, inter ſilvas cultum, Celtæ vocarunt *Grün*, alii Apollinem *Grynaeum*, & in Inſcript. Gruteri p. 37. 38. *Grannum*. Pæones ſolem colebant tamquam diſcum, longæ perticæ ſummitati adfixum. Delphis imago ſolis erat columna ſimplex. Celtæ ex adyto ſolis ſilveſtri accipiebant oracula, Græcis λόγια dicta. Perſæ recuſarunt templum exſtruere in eius honorem, vocari ſoliti *Mithrae*. Celtæ, Perſæ, aliique populi peræque Lunam coluere, quaſi vires Dei complexam & prodentem. Scythæ eam vocarunt *Artimpaſan* & *Meſplan*. Prius nomen legitur apud Herodotum, poſterius penes Heſychium. Vix dubitamus, Meſplan eſſe Miphlezet, 1 Reg. XV, 13.

Celtæ heroibus haud detulerunt cultum religioſum, ſiquidem Numen ſimulacro ullo exprimere haud conſueverant, abhorrentes numina maſcula ac feminea. Auctor igitur eos refellit, qui, Herculem a Celtis cultum fuiſſe, contendunt. De Hercule Tyriorum, qui Gades usque pervenit, exponit diligenter. In templo Herculis Gaditano oracula fuerunt quærentibus, adhuc Caracallæ ævo, impertita. Hercule illo diſcedente, Hiſpani legem ſanxerunt, ne quis aurum vel argentum, extraneos quippe evocans in illas regiones, poſſideret. Hercules ille erat præfectus claſſis ac dux bellicus Tyriorum, poſtea in deum cooptatus, ac in ſolem converſus. Philoſtratus ſibi falſo perſuaſit, Herculem Aegyptium ſolum,

alibi ei Tyrium adiungit, veniſſe Gades. Geryon vero erat Epiri rex, non Iberiæ ultimæ, teſtibus Hecatæo apud Arrianum, & Euſtathio. De reliquo nulla effigies, nulla deorum nota ſimulacra, in templo Herculis Gaditano fuerunt collocata, teſte Silio III. v. 30. Videntur in eo Tyrii mores Celtarum ſecuti. Inſula *Cadix* olim dicta fuerat *Cotinuſa*, id eſt, domus dei Tis. Nonnihil rerum illius Herculis, quas Auctor percenſuit, iam adnumeravit fictionibus Plinius H. N. III, 1. Herculem, qui in Gallia dicitur inclitus fuiſſe, Noſter credit ducem fuiſſe Maſſyliorum, victorem ex Liguribus. Hercules *Ogmius*, a Gallis cultus, cuius ſolus meminit Lucianus, Noſtro eſt Odinus, a Romanis religione extera amplificatus, inſtar ſenis effictus, cum inſtrumentis bellicis, clava & arcu, eo quod Teut ſeu Odinus credebatur fortitudine bellica delectari, nec non eloquentiam inſpirare. Herculem tranſiiſſe Alpes cum Græcis ſuis, Livio fabula fuit viſa, V, 34. *Alpes* dictæ ſunt *graecae* per errorem. Accolæ eas vocarunt *grieſe Alpen*, canentes nive. Sic Scythæ montem nive tectum vocarunt, Plinio teſte, Graucaſum ſeu Caucaſum. *Penninae* Alpes dictæ fuerunt ex *Penn, Pinne*, extremo, faſtigio. Varro credidit, Herculem Graium eſſe Sabinorum Sancum. At Cato docuit, Indigetibus Sabinorum adnumerandum eſſe Sancum, non numinibus Græcorum. Ad Danubium usque in Germania Herculem illum veniſſe, tradiderunt priſci aliquot Scriptores. Ad fretum oræ Sundicum eum penetraſſe, narrat Tacitus, fidem tamen denegans commemorationi, addens inter hæc, Herculem ac Martem coli a Germanis, *de Germ. mor.* c. 2. Odinum heic animadvertit Noſter, præterea nihil. Deum belli præſidem, Odinum, Tacitus in Herculem ſuum ex notionis ſimilitudine convertit. In terra Clivenſium inſcriptio fuit inventa, in qua leguntur hæc verba, *Herculi Saxano.* Romanus inſcriptionis huius auctor *Vodanum*, cui ad ſaxorum moles fiebant ſacra, indicatum ivit. Non vacat decerpere quædam ex Herculis in Thraciam Aſiamque

amque itineribus. Hercules, quem Herodotus a Scythis coli tradidit, fuit æque Dis, Teut, Odinus. Græci fruſtra aliis ibant perſuaſum, gentes univerſas ex ſuo ſinu exiiſſe, ac ſacra græca quaquaverſum inveniri. At Scythæ hominibus religioſos honores denegabant. Celtæ idem ſentiebant. Nec in contrarium urgeri poteſt locus Prudentii *περὶ Στεφάνων Hymn.* I. v. 94. Quos Scythæ immolabant homines, eis *dabant*, ſic credidere, *immortalitatem*, non in hac vita colendis, ſed perpetua felicitate perfruituris. Præſidebat paſſim Scythis Celtisque antiſtes religionis univerſalis, Petrum tamen quemdam pro originis auctore non habens. Veleda virgo plurimæ Germanorum parti præſedit ſub Veſpaſiano. Zamolxes Getarum haud eſt incompertus, nomen Deo & Pontificibus, quos eſſe ſpiritu Dei plenos, Regumque a conſiliis, tradebant, commune. Canebant Celtæ heroas ſuos, at diis haud permiſcebant. Confer Iornandem c. 4. p. 617. Illos vocabant ſuos Anſas, Hanſos, Herren, Carlen, Heermanns, Arminios. Thracum *Sabazius* fuit Teut, Deus ſupremus, in cuius per montes ſilvasque adytis oracula a miniſtris fuerunt edita. Cultus ei noctu inter ſaltationes exhibitus. Feſtis ei diebus Thraces coronam viridem geſtarunt. Inde fama vulgavit, Sabazium fuiſſe Bacchum, a Thracibus occiſum. Fabulam revincit Noſter.

Si qui ſunt, qui, Ulyſſem Germaniam adiiſſe, exiſtimant, eos & Tacitus & Cel. Auctor ſatis confutant. Mercurius cum phallo, ſeu Priapus, denotavit Teuti vim, omnia creantem ac producentem. Galli falſo perhibentur coluiſſe Caſtorem & Pollucem. Suevi inter ſpolia militaria adſervarunt puppim, in qua illi erant picti, in victoriæ monimentum. Inde fabula ad cultum eis adfingendum proceſſit. Pythagoræ Noſter dogma, de metempſychoſi vulgatum, tribuere recuſat. A Celtis id abſuiſſe, ſolide tradit, ratus, immortalitatem animorum his placuiſſe, immo reſurrectionem aliquam

corporum futuram. Immortalitas animorum in Græciam a Thalete, niſi a Pherecyde Syro, Pythagoræ magiſtro, fuit invecta. Pauſanias retulit, Chaldæos & Indorum Magos primos dixiſſe animos hominum immortales eſſe. Ab his Chaldæis Pherecydes ac Pythagoras id doctrinæ videntur hauſiſſe. Plato in ea ornanda fuit multus. Græci philoſophi, & poetæ, in religionem publicam illud dogma haud introduxere, populo antiquum obtinente. At omnis Celtarum religio huic animorum immortalitati erat ſuperſtructa, & in materiem fortitudinis converſa. Retinuerunt ipſi hoc dogma indubie ex priſca orbis primi doctrina. Druides publice id tradebant, ac in vulgus propalabant, de reliquo æque medici ac theologi. Metempſychoſin eis placuiſſe, videtur tradere Cæſar B. G. VI, 14. At tranſitus animæ ex corpore uno (craſſo) in alterum (ſubtile) non ſpectat ad metempſychoſin. Viam alteram ad manes tribuebant Celtæ animis, percepturis præmia, vel ob virtutes, vel ob ſtultitiam, Mela teſte. Getis eadem ſedit ſententia, teſte Herodoto IV, 94. Zamolxes credebatur animis ſecretis *dare quietem*, dictus ideo *Gebeleiſis*, ex *geben* dare, & *laſſ*, dimiſſio. Celtæ, cremare cadavera ſoliti, animalia, ſervos, clientes, immo litteras, igni ſimul immiſerunt, teſte Cæſare B. G. VI, 19. Feminas maritis defunctis ſeſe præcipitando iunxiſſe inter ignes funebres, Mela eſt auctor. Celtis enim erat perſuaſum, domino maritoque illa cremata omnia, vel eorum vires ſubtiliores in vita altera fore præſto. Addidere Germani cadaverum exuſtioni arma & equum. Inter Herulos femina ad buſtum mariti vitam finiebat laqueo, cum gloria, ut cremaretur, teſte Procopio *Goth.* II, 14. Funera ut læta erant, ſic puerperia triſtia, ac infans recens natus inter Celtas, cum fletu acceptus, ac cum recenſione calamitatum humanarum coniunctus. Stephanus de Urbibus p. 271. hæc habet: *Getarum leges ſunt, mulierem in honorem mariti defuncti ſacrificari.* Si feminæ eſſent uni marito plu-

res

Digitized by Google

res in Getis ac Thracibus, ipſæ de principatu, quænam prima ad tumulum eſſet mactanda, vel cuinam earum primæ eſſet rogo defuncti coniugis inſiliendum, certabant, Solino teſtec. 15. Mirari ſubit, cur Auctor omiſerit Indorum orientalium quorundam morem, adhuc vigentem, eumque conſimilem, cuius iam Philo Iudæus meminit, & cuius anno 1750. in Malabaria nobiliſſimum vel potius famoſum editum fuit exemplum. Getæ, ſingulis quinque annis vertentibus, quempiam ex ipſis ſorte delectum miſerunt ad Zamolxin per rogum, teſte Herodoto IV, 94. Mactatum fuiſſe eum & combuſtum, Clemens Alexandrinus eſt auctor, *Strom.* IV. p. 598. Inde Romanorum *buſtuarii* videntur exorti, de quibus Servius ad Aen. III. v. 67. & X. v. 519. Mos ex Scythia ultima orientali videtur propagatus ad Canadenſes & Americanos, qui victos captivosque igni tradunt. Confer ſis Euſebium *Praep. Evang.* L. I. p. 11. Hieronymum adverſus Iovinianum L. II. To. II. Opp. p. 53. & inprimis Herodotum IV, 71. ac Dionem Chryſoſtomum XIII. p. 218. nec non Menandrum in *Excerpt. Legat.* p. 164. Reſurrectionem, ſeu reditum corporum defunctorum in terram, adſenſu comprobarunt Thraces, Germani, teſte Appiano *Celt.* p. 1192. & Galli, teſte Diodoro Siculo. Pythagorici ac Platonici philoſophi eadem tradiderunt. Lucanus eam tribuit doctrinam Druidibus, L. I. v. 454. Magis eandem adſignat Theopompus apud Laertium. Ex Perſide doctrinam retulerat eandem Democritus, teſte Plinio VII, 55. Vocarunt Græci hanc reſurrectionem non *μετεμψύχωσιν*, ſed *ἀναβίωσιν*. Pythagoras ſibi perſuaſerat, mercedem homini debitam ad animum modo ſpectare, & hunc intrare non ſemel, ſed ſæpius, corpus redivivum. Videbatur ei corpus unum haud ſufficere perpetuitati, cui nullus eſt finis, nulla amplius corruptio.

Græci antiquiores putarunt, animos beatos ire in inſulas fortunatas. Celtæ crediderunt, eos transferri in paradiſum intra Britanniam, vel inſulas ei adiacentes. *Edda* Islandica eos, qui morte intrepida, eaque violenta, intercepti ſunt, in palatium Odini locat; reliquos animos iubet ſubter terram ire ad nonnullas ærumnas tolerandas. Palatium illud vocatum fuit *Valhalla*. Obſtiacki, Scytharum ad Obium reliquiæ, idem hodieque docent, teſte Strahlenbergio. Cimbris ac Celtiberis eandem ſediſſe ſententiam, intelligitur ex Valerio Maximo II, 6. n. 12. Infernum Islandi vocarunt *Niffiheim*, domicilium vulgi inutilis, per novem mundos, dominatui Helæ ſeu Hecates obnoxios, (ſubter terra) diſtributum.

Thraces itaque omnes ad interitum voluntarium concordabant, teſte Solino. Eam ob cauſſam plurimi Germanorum olim laqueo ſibi mortem intulerunt. Felicitatem vitæ alterius poſuerunt Celtæ in edendo, bibendo, dormiendo, conſerendo pugnas, ſecuti in eo propenſiones ſuas, in hac vita conſpicuas. Regnerius Lodbrock, Rex Daniæ, ad inflammandos ſuos commilitones præliaturos dixit: *Bibemus cereviſiam brevi ex concavis craniorum poculis, in praeſtantis Odini domicilio.* Plura dedit Bartholinus *de cauſis contemtae a Danis mortis.* Niſi grata nobis fuiſſet viſa ſolidiſſima Cel. Auctoris commentatio, tantum bonæ frugis faſciculum inde nos non collegiſſemus. Tota tractatio maturo iudicio ſcripta eſt, e principiis certis deducta, & teſtimoniis optimis ſuperſtructa. Excellentia hæc a plurimis hiſtoricorum ac antiquitatum libris prorſus abeſt. Exemplum ſcriptores hiſtorici heic habent, quod imitentur. Subiunxit commentationi Auctor Diſſertationem ſuam, quæ anno 1742. ex iudicio Academiæ Pariſienſis, quæ *Inſcriptionum ac Humaniorum Litterarum* adpellatur, præmium reportavit. Summa & argumentum ſymboli eſt elegans illud Iſocratis enuntiatum, *ſi fueris ſtudioſus,*

Digitized by Google

dioſus, fies eruditus. Tractatio ſpectat ad Galatas, in Aſiam minorem evagatos, ibique olim conſidentes. Interciderunt XIII. libri Demetrii Byzantini, quibus hic Gallorum ex Europa in Aſiam tranſitum conſcripſerat. Ipſi erant Celtæ, ad Danubium & Græcis verſus Græciam habitantes, nominatim Scordiſci, Baſtarnæ, Boii, Tauriſci, Iapodes, ac multæ aliæ nationes, Thracibus Illyriisque mixtæ. Brenno duce exierunt. Delphis expilatis, maior eorum multitudo retroceſſit ad confluentes, Danubium ac Savum. Reliqua multitudo per Thraciam in Aſiam evaſit, explens numerum viginti millium. Thracum pars dicta fuit *Trocmeni, Trocmades*, immo ipſi Thraces univerſi dicti ſunt ex *träcken, trekken*, trahendo, alias *Trekmänner, Trocmani.* Tholiſtoboii erant Boii extremi, Scordiſcis confines. *The leſte* eſt extremus, ſermone Celtico. Exceſſerunt Celtæ e patria, laborantes multitudine, ob famem metuendam. Viderunt ſtatum Macedoniæ eſſe adprime adflictum, ex diſſidiis Regum inteſtinis. Venerunt ergo in ſpem obtinendi Macedoniam & Græciam. Exierunt primum anno urbis conditæ 472. duce Cambaule, in Thraciam, nec auſi ſunt ultra progredi. Anno ſequenti Brennus eis, in Pæoniam tendentibus, præfuit, Pauſania teſte *Phocic.* c. 19. Acichorius erat alius eorum Dux. Belgius in Macedoniam & Illyrios agmen duxit. Ptolemæus Rex in acie cecidit A. V. C. 473. Prideaux & Petavius hæc non ſatis diſtincte tradiderunt, Pauſaniam negligentes. Qui Brenno ſuberant, perierunt maximam partem in Græcia per ebrietatem, & diſciplinæ laxitatem. Anno V. C. 475. Galli, ſeu Celtæ, tentarunt iter in Aſiam minorem per Thraciam maritimam ac Dardanios. Hæ copiæ ab iis, quæ Delphos adgreſſi fuerant expilare, erant diverſæ, ducibus uſæ Leonorio & Lutario. Nicomedes, Rex Bithyniæ, Celtas mercede conduxit ad ſuppetias ſibi ferendas, partemque navi in Aſiam traduxit, metuens ſibi ab

An-

Digitized by Google

Antiocho Syrorum Rege. Memnon formulam foederis memoriæ prodidit. Galatæ Miletum usque excurrerunt, & oram infeſtarunt maritimam. Ipſe Attalus Rex Pergami eis pendit tributum. Sed & Phrygiam Cappadociæ & Paphlagoniam occuparunt, clade dein ab Attalo accepta anno 37. poſtquam tranſierant in Aſiam. Retinuerunt autem ſermonem, religionem, ac bellandi amorem. Sermo erat ſimilis linguæ Trevirorum, qui erant Germani. Hæc nos ex Pelluterii, V. D. libro decerpenda exiſtimavimus. Qui cum menſe Octobri A. MDCCLVII. annos natus LXIII. deceſſerit Berolini, qua in urbe regia Senatui Eccleſiaſtico a conſiliis, Reformato Gallorum coetui a ſacris faciundis, ſocietati autem litterarum Reg. a Bibliotheca cuſtodienda fuit: magnum ſui apud omnes deſiderium reliquit.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Novembris Anno MDCCLVIII.

FR. THOMAE MARIAE MAMACHII, ORD. Praed. Theologi Caſanatenſis, Originum & Antiquitatum Chriſtianarum Libri XX. TOMUS QUARTUS.

Romae 1752. in typographio Palladis. Excudebant Nicolaus & Marcus Palearini. Alph. 3. plagg. 5. quaternis.

Cum primum Operis ſui rationes ediſſereret Clariſſ. Mamachius, ſatis apparebat, quam illud longum, quanto conſpicuum ambitu futurum ſit: idem tamen voluminoſi libri moleſtiam, quae in exſpectando, emendo, legendoque cernitur, utilitate certa & dictionis gratia redemturus videbatur. Nunc labor in ipſa ad metam via retardatur, ac velut retrahitur. Nam cum Quarto hoc Tomo, & Operis Libro Quarto, *de ratione ac forma Chriſtianae civitatis* dicere conſtituiſſet Auctor, & ita dicere, ut Primam iſtius Libri partem perſonis dignitatibusque ſacris quaſi ſacram eſſe vellet, ceteras quatuor rebus adfinibus deſtinaret: adeo abreptus eſt pugnandi ardore, ut nonniſi primam de quinque partibus pertractare hoc omni Volumine potuerit. Conſtat inter omnes, ſumma animorum contentione, cum Eccleſia Romana & Britannorum Epiſcopali, Theologos noſtros de ortu munerum eccleſiaſticorum certare. Itaque hoc ſibi datum eſſe credidit Noſter, (ſtudioſiſſimus ſane eorum tuendorum, quae ſalva eſſe multum Pont. Rom. intereſt,) ut oſten-

deret, quibus monumentis error in hoc argumento, & rebus aliis pluribus, hæreticorum (condonemus enim hanc vocem homini de familia S. Dominici) labefactaretur. Erunt qui huiusmodi diſputationes a ſcribenda hiſtoria Antiquit. Chriſt. abeſſe malint, neque nos ab ea ſententia valde alieni ſumus. Profecto, qui rituum morumque antiquorum origines explicare conantur, ſatisfeciſſe conſilio ſuo ſunt exiſtimandi, ubi narrationes veras & perſpicuas, ſuffultas teſtibus idoneis, ediderint. Quo facto, non eſt quod dubitantium aut negantium voces metuant. Sed quidquid eius ſit, pergamus ad inſpiciendum librum, attentis oculis nequaquam indignum. Quod priusquam fiat, admonendi ſunt Lectores, ſingularem ab Auctore librum de morali doctrina SS. Patrum parari, quo conſilio, neſcimus.

In hoc igitur Tomo *Librum* quidem *Quartum* Originum & Antiquit. Chriſtianarum, qui eſt *de primordiis & vetere ſtatu ac ratione hierarchiae eccleſiaſticae*, inchoari videas, ſed ille in *Parte* duntaxat *Prima* hæret, referente perſonas & dignita-
Pag. 1-23. tes ſacras, capitibus quatuor. Horum *primum* de variis claſſibus ſeu ordinibus Chriſtianorum diſputat. Tres conſtituit Rev. Auctor, *ἡγουμένων, πιστῶν, & κατηχουμένων*, tertiam quidem claſſem alio Tomo perſecuturus. Ac fideles quidem dicebantur omnes, qui baptiſmum ſuſceperant, inprimisque laici, qui & plebeii, & populus, *βιοτικοὶ, κοσμικοὶ, ἰδιῶται, κοινολαῖται*. Baptizati præterea cum ad Catechumenos referrentur, Illuminati audiebant, Initiati, Benedicti, Nati a Deo, cet. Producitur hic Inſcriptio Timotheæ Martyris, (ita Mamachius,) nondum edita, quæ cum reliquiis Martyris e coemeterio Urbis in Senogallienſe Sacellum Comitum Antonellorum delata eſt. Ea ſic habet:

AETERNA. TIBI. LVX
TIMOTHEA. IN. ☧
QVAE. VIXIT. ANN. XIII
MENS. VIIII. IN. PACE
— — OS. VII. ID. ARA.

Mox

Digitized by Google

Mox origo nominum *Clericorum* & *Laicorum* indagatur, non dubiis favoris erga clericos indiciis, quos unquam abuſos eſſe huius vocis eminentia, ad amplificandos honores ſuos, confidenter negat p. 22.

Caput Secundum de poteſtate laica & eccleſiaſtica, non Pag. 24-
tam tradita per exempla antiquæ Chriſtianorum Eccleſiæ inſti- 270.
tuta proponit, quam ſententiarum ſuper hoc momento diverſitatem oſtendit, quæritque, quænam ex illis haberi debeat veriſſima. Igitur loco *Antiquitatum Eccleſiaſticarum* doctiſſ. M. *Iuris* potius *Eccleſiaſtici* præcepta hoc cap. propoſuit, quorum erat aptior ſingulari Opere futura declaratio. Poteſtatem rectorum civitatis, *laicam:* eorum autem qui Eccleſiam adminiſtrant, *eccleſiaſticam* adpellat. Ac primum quidem diſquirit: liceatne Chriſtiano viro principatum in ſocietate obtinere, remque illius civilem gerere? Longius repetita quæſtio, quam nos deprehenſuros eſſe hoc Tomo examinatam ne per ſomnium quidem cogitabamus. Sed illa deducitur a pag. 25. ad p. 56. Refelluntur primo ii, qui cautum a Chriſto eſſe opinantur, ne quis ſuorum magiſtratu fungeretur, omninoque negant, Chriſt. Relig. cum ſtatu civili componi poſſe; tum illi, qui civitatem quidem ex ſolis Chriſtianis coaleſcere patiuntur, neque tamen eos principatu in eadem potiri volunt; deinde ii quoque erroris redarguuntur, qui dignitatem, honorem, imperium, Chriſtiano homini concedendum putant, poteſtatem autem animadvertendi poena capitis in maleficos, civesque armis defendendi, non item. Poſtremo cum illis pugnat Auctor, qui veterum Patrum nonnullos in hæc devia deſcendiſſe ſtatuerunt. Hic, quam veterum doctorum ſcriptis enucleandis operam impendit, laudanda eſt: reliqua illa, cum Anabaptiſtis præſertim, velitatio, abeſſe poterat. Poſthæc de origine laicæ poteſtatis exponit p. 56-67. clare ſignificans, ſibi perſuaſum eſſe, auctoritatem Principum non ἀμέσως a Deo proficiſci. Alia diſputatio a p. 68-158. in eo verſatur: an Chriſtiani veteres imperantibus ius ullum in res ſacras attribuerint? Primum hæc fere ponit Clar. Mamachius. Ius non eſſe Principi, contra religionem & præ-

cepta Dei quidquam decernere; nefas item eſſe eidem, immutare id quod iure divino introductum ſit, ſpectans ad functiones ſacrorum miniſtrorum, ſacramenta, divinæque doctrinæ enunciationem; in rebus etiam quæ civiles ſint, Eccleſiaſticum hortanti Principi aſſentiri oportere, modo lex civilis cum eccleſiaſtica non pugnet. Atque hic delapſus Auctor ad ſcita Proteſtantium, de iure Principis circa ſacra, diligentiſſime a pag. 79-156. & Script. S. & Patrum loca, & exempla Principum, quibus utuntur Noſtri, perſequitur, demonſtraturus hoc examine, poteſtatem eccleſiaſticam civili minime ſubiectam eſſe. Verum nihil attinet locum hunc ampliſſimum tangere, quem ita pridem exaſciarunt Viri ſapientiſſimi, parum ut noſtræ ætati, quod addat, reſtare credamus. Neque difficile fuerit docere, quædam a Mamachio noſtro prætermiſſa eſſe non infimi ordinis argumenta, certe ea ſpecie producta, ut omnis virtutis expertia videantur.

At ille non cum Noſtris ſolum proelia miſcet, ſed & cum nobiliſſima coetus ſui parte. Nempe —

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Utique triſtis ſit, neceſſe eſt, recordatio, quæ Rev. Auctorem vulnerum illorum meminiſſe iuſſit, quæ Gallicæ Eccleſiæ Theologi præſtantiſſimi, laudatæ ab ipſo *plenitudini eccleſiaſticae poteſtatis*, in Pontifice Max. reſidenti, & inflixerunt, & pergunt infligere. Eorum partem quandam ſuſcipit ſanandam Mamachius. Proponit pag. 158. quæſtionem: Ius ne ullum in temporalia Regum habere Pontifices Maximos maiores noſtri putarint, nec ne? in eaque excutienda ad pag. usque 259. occupatur. Gallorum, qui negant, ſententiam primum adumbrat, & arma delineat, quæ inprimis in Boſſueti, Viri eloquentiſſimi, defenſione declarationis Conventus Cleri Gall. A. MDCLXXXII. ſpectantur. Removet deinceps inſanam quorundam audaciam, prædicantium, Reges Vicarios, in temporalibus etiam Pontificis eſſe. Tandem, quæ ſit, quibusque rationum momentis confirmetur maxime, partis Catholicorum ſententia, a pag. 181. pronuntiat. Sic nimirum ſtatuunt: „imperio ne Princeps, violatæ religionis „cauſſa

„cauſſa, exciderit, ſolutique ſubditi iurisiurandi religione ſint, „qua ſuam illi obligaſſent fidem, declarare Pontificem poſſe, „deturbare autem quemquam de principatu non poſſe.“ Callide quidem illi, ſed aperte ſatis & inique. Quis enim non rideat ſimul & oderit aſtutam hanc impudentiam, qua negatur, Pontifices deturbare de ſolio Principem poſſe, ſed iisdem tamen ius tribuitur edicendi, quæ res indignum regno regem efficiant, atque adeo cives hac ipſa religioſa techna ad ſeditionem ſollicitandi? Qua ratione autem huius ſententiæ amici eam defendant, & ab oppugnatoribus vindicent, operoſe Mamachius demonſtravit, ſed infeliciter. Eſt etiam in exemplis eccleſiaſticæ huius poteſtatis, quam ſibi Pontifices tribuunt, perbellum illud Zachariæ in Childericum Gallorum Regem facinus, quod a p. 224-239. varie illuſtratum legas. Sint illi auſi talia, imo maiora: nemo eſt qui neget; iure potius adiutos, quam infelicitate temporum, auſos eſſe, quis dixerit, cui vel rerum geſtarum memoria patet? Procul hodie Galli hos ſpiritus, & eorum ſimiles, a patria ſua arcent; ultra Alpes dominari iubent: *les principes des Ultramontains.* Ac ſane liceat eos ſcriptis Italorum, qui non poſſunt non ita ſentire, propagari; moleſti ut ſint Romani coetus Principibus, vix unquam licebit. Redeamus ad Auctorem noſtrum. Breviter ille p. 258. expedit quæſtionem: num Principes laici Pontif. Maximo reſiſtere aliquando poſſint? Mirum videri queat, hoc tamquam dubium proponi. At illi, quorum iudicium refert ſequiturque Noſter, parum abeſt quin omnino negent. Nobis ſatis eſt, eam oppoſitionem, quam illi tantopere accuſant, quotidie cernere. Ultima huius capitis diſputatio eſt de eccleſiaſtica poteſtate, p. 259-270. Quærit primum: neceſſe ne fuerit viros inſtitui, qui poteſtatem in Eccleſia obtinerent; tum poteſtatem Præſulum Eccleſiæ ex Deo in eosdem Præſules permanaſſe, ut oſtendat, ſtudet. Sed hæc nos non moramur.

Ventum eſt ad *Caput Tertium*, de forma & ratione gubernandæ Eccleſiæ. Princeps quæſtio a Mamachio hæc producitur: ullam ne certam formam communitatis, hoc eſt Ec- Pag. 270-283.

 cleſiæ,

Pag. 283. cleſiæ, Chriſtus præſcripſerit? Ad hanc explicandam tali
558. exordio progreditur: „Iam vero, cum inſtitutione divina Epi-„ſcopos presbyterosque Eccleſiis datos oſtenderim, cet. Nos nihil tale ab eo demonſtratum adhuc cum vidiſſemus, obſtupefacti in his verbis defigebamur, donec p. 261. ad quam provocat, iterum inſpecta, comperiremus, nihil eum docuiſſe niſi hoc, a Chriſto & Apoſtolis doctores Eccleſiæ conſtitutos fuiſſe, negaſſe item ipſum, in Eccleſiam hoc ius eſſe translatum. Quid igitur de Epiſcopis nobis narrat? Sed de his paullo poſt videbimus. Nunc, ut quæſtionem, quam indicavimus, tractet, accipite, Lectores. Ait, utique certam Chriſtianæ civitatis rationem a ſanctiſſimo illius auctore fuiſſe inſtitutam; nimirum, diſtributionem ac ſeriem quandam poteſtatum munerumque eccleſiaſticorum, quorum ratio gradibus quibusdam excellentior exiſtimaretur, & eſſet. Quæ vulgo obiiciuntur, ea ille quaſi per contemtum profligat. Tum ubi quærit, liceat ne hanc rationem Chriſtianæ Reipublicæ, (puta quæ hodie obtinet,) Hierarchiam Eccleſiaſticam dicere? affirmare iſtud non veretur. Quis eſt adeo qui dubitet, formam conſtitutæ Eccleſiæ Romanæ recte *ſacrum principatum* dici? quidquid contra hanc τῆς Ἱεραρχίας interpretationem moneat Petavius, memor forſitan, Petrum Apoſtolum noluiſſe doctores Eccleſiæ κατακυριεύειν τῶν κλήρων. In perveſtiganda autem vocis illius imperium ſpirantis origine, ſiniſtro fato uſus Mamachius, quandam nobis Orationem, Chryſoſtomo tributam, tum Sophronii Epiſtolam aliquam, & huius generis alia monumenta, offert; quæ ſi coniunctim inſpicias, id unum intellexeris, ætate Conſtantini Magni, cui tantum debet Epiſcoporum auctoritas, hos & verbis & re principatum obtinere coepiſſe, qui poſteris temporibus ad tantam molem adſcendit.

Princeps Tomi huius, idemque ultimum, *Caput Quartum* eſt, de Ordinibus hierarchicis, inprimisque de Ordine Epiſcoporum. Contemplantibus illud, quoddam quaſi promtuarium, ſeu verius armamentarium videtur, unde, a pugnantibus pro dignitate Epiſcopali, omnis generis ſcuta & tela peti poterunt.

Digitized by Google

runt. Magnificus primum a pag. 284. ad p. 308. index legitur, nomina, variosque honorum titulos complexus, quibus olim Epiſcopi ornabantur. Theodoritus quidem, (Comment. in I. Ep. ad Tim. c. III.) & Ambroſiaſter (in Ep. ad Gal.) ſtatuunt, Epiſcopos, antequam hoc nomine vocarentur, fuiſſe *Apoſtolos* appellatos, Epiſcopi autem nomen, prima ætate, Presbyteris proprium fuiſſe. *Succeſſores Apoſtolorum* prædicat illos Cyprianus, & *filios Apoſtolorum* Auguſtinus. Sedes eorum Apoſtolicæ audiebant. Conglomerat Auctor dicta veterum, frequentantia hanc appellationem in Eccleſia Rom. quam nemo neſcit a primis inde temporibus, multarum opportunitatum confluxu, digniorem ceteris neceſſario exſtitiſſe. Ex his vero nominum honoribus fruſtra duxeris ſummam, quam illa poſcit, auctoritatem. Quod poſtea tradit Mamachius, Epiſcoporum nomen, *Viri Apoſtolici,* ipſe fere agnoſcit ætati apoſtolicæ proprium eſſe. *Hierarcharum* nomen Dionyſio Areopagitæ, quem vulgo vocant, debent Epiſcopi: unde facile de eo iudicaveris. Vocati & *Principes, Principes Populi, Eccleſiae;* ſcilicet eo tempore, quo iam egregie creverat ipſorum dignitas: porro, *Summi & Maximi Pontifices, Papae & Patres,* imo *Patres Patrum, Sanctiſſimi, Beatiſſimi,* quos duo poſtremos titulos, nunc, ſi licet, a Rom. Pontifice repetant. Epiſcopi etiam interdum minus proprie *Patriarchae* dicti, & *Vicarii Chriſti,* cum nondum ſciret antiquitas, unum eſſe Romæ Chriſti Vicarium: item *Angeli Eccleſiae,* cet. Manſit autem *Epiſcopi* nomen ſolum, miſſis reliquis, quod eſſet maxime in ſacris litteris obvium, ut putat Mamachius. Sed profecto oportebat id nominis medio ævo deferi, cum ii, quibus ἐπισκοπία & amica gregis cura commiſſa erat, dominatum in eundem capeſſerent, parsque tandem eorum βασιλείαν ἐκ τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ, quacum ſibi quidquam rei eſſe negavit Servator, amplecterentur.

Nunc ad dignitatem & præſtantiam Epiſcoporum vindicandam, hoc eſt, ad rem ſibi commendatiſſimam, Cl. Auctor accedit p. 311. Auſcultemus ergo quærenti: a Chriſto ne, an ab Apoſtolis, inſtitutus fuerit in Eccleſia gradus Epiſcoporum?

cen-

Digitized by Google

cenſentique, & ut doceat laboranti, Chriſti eſſe eam inſtitutionem: Apoſtoli, inquit, erant *Epiſcopi*, Servatoris ipſius auctoritate conſtituti, utpote qui primas in Eccleſia partes tenebant, coetumque Chriſtianum moderabantur; amplior licet eſſet illorum latiusque patens poteſtas, quam *ſimplicium Epiſcoporum*, in quos Apoſtolorum poteſtas manavit. Itaque Epiſcopatus a Chriſto in Eccleſiam introductus eſt. Hoc ſi eſt demonſtrare, ubi diverſa miſcendo comparandoque eadem facias, quidvis demonſtraveris. Pari fide, in loco Actor. XX, 17. ſqq. interpretando, agere videas Mamachium. Nam ibi ait diſertis verbis commemorari, Epiſcopos a Spiritu S. poſitos eſſe, v. 20. cum tamen clariſſime pateat, hos epiſcopos eosdem eſſe, qui v. 17. *πρεσβύτεροι* dicuntur. Mox Patrum loca plurima excitat, in quibus nihil eſt ad ſummam rei, dubio liberandam, ponderis. Eſt etiam illa originis divinæ Epiſcoporum bella defenſio, quæ p. 330. legitur: Quidquid gratiam confert, divino iure eſt inſtitutum. Iam vero Epiſcopatus gratiam confert, 1 Tim. IV, 14. Et item hæc: Rerum earum, quarum initium in Eccleſia poſt Apoſtolos nullum invenire licet, primordia ab Apoſtolis Chriſtoque ipſo repetenda ſunt. Epiſcopatus autem poſt ætatem Apoſtolorum initium reperire non licet. Igitur. *Δότε λεκάνην.*

Succedit iam perquam operoſa contra eos diſputatio, qui hunc, quem diximus, originis honorem Epiſcopis habendum eſſe non exiſtimant, pag. 331-517. Adſcripſit quidem Mamachius: refelluntur Salmaſii, Buddei, & Walchii argumenta: ſed Blondellum quoque & alios inſectatur, quibus idem ſcribentibus conſilium fuit. Eorum argumenta viginti & unum producit, petita partim e ſacris litteris, partim e ſcriptorum eccleſiaſticorum locis. In priori claſſe primas obtinet locus Actor. XX, 17-20. quem ſupra tranſeundo tetigimus. Putat autem Mamachius, eos, qui v. 17. Presbyteri appellentur, Epiſcopos eſſe, accitosque a Paulo, non Epheſinæ ſolum, ſed vicinarum quoque Eccleſiarum Epiſcopos. Quod Irenæi teſtimonio (L. III. C. XIV.) confirmari poſſe autumat. Sed huic præſidio parum fidens, alias inſuper opiniones in auxilium

Digitized by Google

lium vocat, quæ ſunt oppido leves. Eat igitur, nobisque locum Epiſt.* ad Philipp. C. I. v. 1. declaret, ut intelligamus quinam ſint ἐπίσκοποι & διάκονοι, Philippis conſtituti; cuius loci, mirum eſt, eum non meminiſſe. In locis Script. Eccl. ad ſententiam ſuam pertrahendis, præcipue nonnulla Clementis Romani, & Ignatii Martyris, (pag. 363 - 407. copioſe enim pro illius epiſtolis pugnat), dein maxime Hieronymi πολυθρύλητα documenta, (p. 473 - 496.) perſequitur. Ut explicet ſingula, ut vim illorum frangere conetur, demonſtrari a nobis breviter non poteſt. Igitur adeant Auctorem qui hæc cognoſcere cupient, ſciantque, artibus illum uti potius, quam rei veritate. Nobis non licet eſſe tam diſertis.

Quæ ſuperant hoc Tomo, ea pluribus verbis ut huc transferamus, neceſſum non eſt. Contendit Mamachius a pag. 517. Epiſcopos primas ſemper in Eccleſiis partes tenuiſſe; fuiſſe Presbyteris ſuperiores poteſtate & functionibus variis; cultos fuiſſe a Criſtianis, multis honorum ſignificationibus; inter ipſos Epiſcopos alios aliis iurisdictione præcelluiſſe: quo loco Patriarcharum nomen ante quintum Seculum non eſſe frequentatum docet, p. 550. ſqq. Verum, univerſa illa Epiſcoporum decora ſenſim in Eccleſia nata eſſe non inficiamur; in ipſa naſcente Eccleſia adfuiſſe, & hanc continuo a principiis ſuis Epiſcopos rectores habuiſſe, id vero vehementer negamus, neque probatum ab Auctore idoneis rationibus exiſtimamus.

Ita Vir doctiſſimus ſatis multa legenda nobis tradidit, quæ vel omnino recidenda ab Antiquitatum Chriſtianarum tractatione fuerant, vel breviore oratione proponenda. Deſideramus item in eo nonnullum teſtimoniorum delectum, & ætatis rerum Chriſtianarum diſtinctam probe rationem: quibus neglectis factum eſt ſæpius, ut, quæ tertii quartique p. C. N. ſeculi uſus tulerat, ea non ſecus ac ſi primo aut ſecundo obtinuiſſent, componerentur. Modeſtiæ leges, quas quidem par eſt doctorum hominum neminem reſpuere, quandoque transgreſſus, *abſurda* loquitur & *nugatoria*. Sed illi *nugatur* & Tertullianus, p. 15. n. 1. Illud horridæ, quam imbuit,

diſciplinæ præcepta ſapit, quod Lutherum *hominem omnium impudentiſſimum, atque turpiſſimis moribus,* adpellat p. 315. impudentem videlicet, qui niſi quod certum cognoſceret, non crederet, etſi iuſtus; deinde hominem præ quo ſancti fuerint illius temporis Pontifices & Epiſcopi. Fatemur autem, nos, averſis ab his ceterisque Operis nævis oculis, non plane nullam ex eo legendo voluptatem cepiſſe. Nam & elegantiæ in dicendo feliciter ſtudioſus eſt Noſter, & Vir multæ in Scriptoribus antiquis & recentioribus lectionis, acutus etiam atque adeo, ſi dicere fas eſt, aſtutus diſputator. Quare rogamus eum, ut impleat munus ſuum, perficiatque aliquanto citius, quod exſtruendum ſuſcepit Chriſtianarum Antiquitatum Corpus, quo quidem res & eccleſia Romana adhuc caruit.

Hiſtoriſch-Genealogiſche Fürſtellung des Hochfürſtlichen Hauſes Anhalt.

i. e.

SAMUELIS LENTZII BECMANNUS ENUCLEATUS, ſuppletus, continuatus.

Cothenii & Deſſaviæ 1757. in Folio, 2. Alphabb. 14½. plagg. cum figuris aeri inciſis quamplurimis.

Splendidum hoc Opus, nomine Chriſtophori Coerneri, Bibliopolæ, inſcribitur Sereniſſimis Magno Duci & Magnæ Duciſſæ Ruſſiæ, & Sereniſſ. Principibus Anhaltinis, e quorum Archivis hæc Hiſtoria magnam partem hauſta, & a quibus ipſe liberaliter adiutus eſt in procurandis libri ornamentis. Præmittitur icon & vita Ill. Auctoris, cuius familia adfinitate iungitur familiæ b. Lutheri noſtri, ut ex adiecta arbore Genealogica apparet. Recenſentur in vita Opera eius. Notabilis quoque p. 21. index Scriptorum, quos illuſtravit, continuavit, emendavit.

Cap. I. inſcribitur de antiquiſſimis Dynaſtis Anhaltinis ad ſilvam Hercyniam, & Comitibus Ballenſtadienſibus. Omittuntur tempora, quæ in Hübneri Tabulis Genealogicis *temporum*

porum obſcurorum nomine veniunt, & in tempore Mythico-Heroico initium fit a Bernthobaldo I. quem A. 524. vixiſſe ferunt. Eliminatur ex hac periodo, quidquid fabuloſum, aut non ſatis certum eſt. Exemplo enim proponitur Ducheſnius, qui nihil admiſit, niſi quod evidens eſſet. Exhibetur ſic p. 14. Stemma Comitum de Werle, inde ab Hermanno de Werle, usque ad Albertum Urſum. Interiectis quibusdam deſcribitur p. 19. ſeqq. Stemma Comitum Vinarienſium; II. Stemma Comitum Orlamundanorum; III. Stemma Comitum Orlamund. lineæ Oſterlandicæ; IV. Stemma Comit. Orlamund. lineæ Franconicæ.

Dederat Eccardus, vir olim magnus in Hiſtoria & Genealogia patria, A. 1722. Stemma Domus Anhaltinæ. Suppleverat & emendaverat is Becmannum. Hanc ſupplet & emendat Celeb. Auctor, dum ſupplet & emendat Eccardum. Dn. Gebhardi ante A. 1030. nihil certi in Hiſtoria Anhaltina occurrere cenſet. Sed iam hæc ſat cana vetuſtas. Tabula ipſa Genealogica generalis comparet ad pag. 26. inſcribitur deinde Cap. III. de Marchionibus Brandenburgicis ex Stemmate Aſcanio, cique præmittitur Tabula Geographica Principatus Anhaltini aucta & emendata, auctore Carolo Ludovico Schnoedt, pictore Princ. Anhalt.

Primus hic Princeps eſt Albertus Urſus, cuius vitam ſcribere coeptam abſolvere non potuit I. Paulus Gundlingius. Iterata affecti Operis editio prodiit 1753. 8vo. Marchia Brandenburgica Alberto Urſo data eſt a Lothario II. a. 1131. Poſteri Alberti in duas lineas diviſi ſunt, Tangermündenſem & Soliſquellenſem. Inſeruntur hic & deinceps complura Diplomata, hic illic correctius quam antea legenda. Stili phalerati medii ævi exemplum eximium occurrit in Diplomate pag. 71. col. 2. ſequ. Deinde de Woldemaro late agitur. Alberto Argentinenſi apud Urſtiſium P. II. p. 121. diem is obiiſſe diſertis verbis dicitur A. 1319. Sed poſt annos 28. fuit, qui ſe eundem Woldemarum diceret, & a Carolo IV. de Marchia inveſtiretur. Vocatur is vulgo Pſeudo-Woldemarus. Sed I. Paulus Gundlingius in Atlante Brandenbur-

 gico,

Digitized by Google

gico, p. 69. ſequ. & alibi; porro Dn. de Rocoles T. I. des Impoſteurs inſignes pag. 149. (qui & effigiem eius, habitu peregrinatoris e terra Sancta reducis, exhibet) & noviſſime Dn. Becmannus in Noctibus Ioachimicis pag. 31. ſeqq. hunc utique verum Woldemarum fuiſſe, contendunt. Recenſentur argumenta eorum. Oſtenditur poſthæc p. 125. uxorem eius, Agnetem, omnino Hermanni Longi filiam fuiſſe, modo ſi vocem *patruus* inverſa ratione de fratris filio accipias. In fine capitis proponuntur I. Genealogia Marchionum Brandenburgicorum ex ſtirpe Aſcania, & Maiorum ipſorum, Comitum Ballenſtadienſium. II. Genealogia Marchionum Tangermundenſium, & III. Genealogia Marchionum Solisquellenſium.

Sequuntur Cap. IV. Duces & Electores Saxoniæ ex ſtirpe Aſcania. Ad Bernhardum I. vulgo referuntur Origines Rutæ Saxonicæ. Pauci hodie ſciunt, quam ſiniſtre accepta ſit Burcardi Struvii Diſſertatio de hoc Argumento. Refertur id p. 143. col. 2. Inter eos, qui de hac Ruta ſcripſerunt, palma defertur Celeberr. Boehmio Noſtro, propter elegans Scriptum eius de Origine Rutæ Saxonicæ. Pactum Confraternitatis inter Rudolphum, Mareſchallum & Palatinum Saxoniæ, & Albertum, Ducem Saxoniæ & Luneburgi, Comitem Brenæ & Burggravium Magdeburgicum ab una; Ottonem vero, Bernhardum, Sigismundum & Albertum, Principes Anhaltinos, ab altera parte initum, pag. 169. veriſimiliter apponitur tanquam ineditum.

Cap. V. ſiſtit Hiſtoriam Ducum Saxo-Lauenburgicorum ex Stemmate Aſcanio, in quo multa adhuc incerta & dubia ſunt. Sub Erico I. multæ ſimul, ut fit, calamitates ortæ ſunt.

Peſtis regnavit, plebis quoque millia ſtravit.
Contremuit tellus, populusque crematur Ebræus.
Inſolitus populus flagellat ſe ſeminudus.

Guſtavus Adolphus an a Franciſco Alberto, Duce Lauenburgico, interemtus ſit in prælio ad Lucenam, ut tradit Pufendorfius Rerum Suecic. L. IV. §. 63. diſquiritur p. 203. adductis

ductis diligenter opinionibus recentiorum omnibus, quæ alicuius momenti ſunt. Lectu ſimiliter digniſſima ſunt, quæ p. 206. de Poſſeſſione Ducatus Lauenburgici a Sereniſſ. Domo Brunſvicenſi occupata leguntur.

Cap. VI. dicitur de Principibus Anhaltinis *totius* Principatus. Appellantur hi in veteribus Chartis etiam Comites Anſchariæ, unde plerique manaſſe putant nomen Comitum Aſcaniorum. Primus eſt Henricus Senior. In Chronico Montis Sereni legitur: Verum quod inter ipſum Didericum & filios Bernhardi, Ducis, *avunculi* ſui, Henricum & Albertum diſcordiæ vigebant." Ubi avunculus ſororis filium denotat, plane ut ſupra patruus filium fratris deſignabat. Henricus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, electus e numero horum Principum Anhaltinorum, dum Romæ Pallium petit, in Examine neſcit, quid ſit Oratio Dominica, & 1000. Marcas argenti ſolvit pro redimenda vexa, p. 226. col. 2. Inſignia ſunt, quæ de captivitate & liberatione Friderici Admorſi referuntur pag. 284. Adolphus II. Lipſiæ litteris operam dedit, ibique Rectoris Magnifici munere functus eſt. Humili is ſtatura fuit, ſed magnæ in adminiſtratione Principatus auctoritatis, ob pietatem, prudentiam, gravitatem & induſtriam. Ipſe populum docuit pro concione, & commercio epiſtolico cum b. Luthero inclaruit. (pag. 302.) Papæ iam dudum ſuſpecta erat fides Anhaltinorum. Iam enim 1511. memorabili iureiurando adſtrinxerat Magdalenam, Principem Anhaltinam, quod præſtaret ſedi Romanæ, quum electa eſſet Abbatiſſa Quedlinburgenſis. Legitur id p. 306. Pietatis & doctrinæ laude nemo ſuperavit Georgium III. Prædicavit is verbum Dei Latine & Germanice, & ab ipſo Luthero ordinatus eſt ad Miniſterium Eccleſiæ. Benedixit Torgaviæ nuptiis Electoris Saxonici Auguſti cum Anna Principe Daniæ virgine. Sermo nuptialis ab eo tum habitus legitur inter Opera eius p. 309. Vitam eius præclare deſcripſit Ioachimus Camerarius, cui addendus eſt Seckendorfius in Hiſt. Luther. p. 496. ſeqq. Manſuetudinem Georgii ipſe ſuſpexit Lutherus, (p. 348.) Sermones eius noſtra ætate denuo edidit Cl. Longolius.

Cap. VII. exponitur vita Ioachimi Erneſti, Auctoris hodie florentis Sereniſſ. Domus Anhaltinæ. Filia eius, Agnes Hedwigis, annorum 13. nupſit Auguſto Electori Saxoniæ, iam ſeni. Sed is paucis poſt ſeptimanis diem obiit. Uxor Ioachimi Auguſti ſecunda, Eleonora, Chriſtophori Ducis Würtenbergici filia, magno ei cum apparatu nuptiali iuncta eſt. Poſtridie convivæ omnes dixere: Heri eramus hilares & bibebamus vinum terreſtre, (*Landwein.*) p. 359. b. Filii eius, Iohannis Erneſti patrinus in Baptiſmo fuit Io. Georgius Elector Brandenburgicus 1578. Eccleſiaſtes, Wolf Amling, in Baptiſmo omiſit Exorciſmum, p. 464.

Pars II. incipit a Cap. VIII. Pertinet id ad Sereniſſ. Lineam Deſſavienſem. Agmen ducit Iohannes Georgius I. Introduxit is Deſſaviæ 1596. publice Religionem Reformatam ad Ordinationem Eccleſiaſticam Palatinatus. Inter hunc Principem & fratres eius 1603. d. 30. Iunii Diviſio principalis facta eſt, vi cuius in 4. Lineas, Deſſavienſem, Bernburgenſem, Cotheniam & Serveſtanam diſtincti ſunt. Receſſus Diviſionis præſto eſt pag. 371. Facta hæc diviſio mira concordia intra ſemi-horulam. Georgius Aribertus, Princeps Deſſaviæ, natus 1606. uxorem duxit virginem nobilem ex domo Kroſigk. Liberis ex hoc matrimonio natis aſſignatus eſt Titulus dominorum de Aribert. Eo non contentus Chriſtianus, litteras Deſſaviam miſit, ut Princeps Deſſaviæ, cui Io. Georgius reſpondit ut nobili & Vaſallo Anhaltino. Scripſit in hac cauſſa Salmuthus Ienæ 1660. Reſponſum Iuris ſub Titulo: Matrimonium Principis cum virgine nobili. (pag. 408.) Armis deinde in hac domo clarus fuit Leopoldus, cuius icon exhibetur ad pag. 434. Virtutem eius Galli experti ſunt ad Hochſtadium & Taurinum; Saxones ad Keſſelsdorfium. Uxorem 1698. duxit Annam Ludovicam a Foeſin, cuius effigies iungitur p. 488. Huic Leopoldo Imperator Carolus VI. Anno 1713. Prædicatum *Sereni* largitus eſt ſingulari Diplomate, quod legitur p. 459. Senioratum quoque Domus Anhaltinæ geſſit, eidemque ſupremum Directorium datum eſt terrarum Anhaltinarum. Auxit inſigniter reditus publicos rei oeconomicæ

Digitized by Google

miceæ cura, & noviter acquiſitis compluribus ditionibus ampliſſimis. Mortuus eſt Deſſaviæ 7. Apr. 1747. correptus apoplexia. Inter filios eius eadem armorum gloria nobilis Mauritius, cuius effigies cernitur ad pag. 532. Eius curæ commiſſæ ſunt legiones Saxonicæ, quæ Pruſſis ſe dediderant Lilienſteinii. Hac deditione capti ſunt milites Saxones ad unum omnes, pag. 542. col. 2.

Qualis populea moerens philomela ſub umbra
Amiſſos queritur foetus, quos durus arator
Obſervans, nido inplumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & moeſtis late loca fletibus implet.

Talis tunc Saxonia noſtra militem ſuum deplorabat.

Cap. IX. proponitur domus Bernburgenſis. Princeps Chriſtianus vergente ſæculo XVI. foedus init cum Rege Galliæ, & eius approbationem petit a Caeſare, a quo monetur, caveat, ne id vergat in detrimentum Imperii. Proficiſcitur tum in Galliam, ibique ſæpe manus conſerit cum rebellibus. Quæſita experientiæ laude, præeſt exercitui Palatini in prælio ad montem album. Sed vincitur ibi a Cæſareis, & proſcribitur a Ferdinando II. quæ proſcriptio tandem ſublata eſt ad litteras ipſius ſupplicis, & interceſſionales agnatorum eius. Ipſe tamen Viennæ ſe ſiſtere iubetur. Quo facto, captus rerum humanarum tædio, militiæ nuntium mittit, & reliquum vitæ finit Bernburgi. Filius eius eiusdem nominis in eodem prælio capitur, & Neoſtadii menſes ſex captivus detinetur. Confirmatio pacti gentilitii Bernburgenſis, facta ab Imperatore Leopoldo 1679. ex Lunigio repetitur p. 725; ſed fatetur Cl. Auctor, ſe neſcire, ubi pactum ipſum inveniatur. Diploma, quo Ioſephus 1709. Victori Amadeo Prædicatum *Sereni* concedit, legitur p. 729. diſpoſitio de Primogenitura p. 731. Inſeritur hic aeri inciſus Proſpectus pontis Bernburgenſis, portæ, ſtagni arte exſiccati, novæ arcis Hoymenſis, pontis ante Waldaviam, & domus Regimini & Bibliothecæ deſtinatæ.

A. 1715.

Digitized by Google

A. 1715. Carolus Fridericus, Princeps hereditarius, votis matrimonialibus ſecundis iungitur Nüsleriæ cuidam, puellæ ſortis tenuis, ex qua filium ante nuptias ſuſceperat. Indignatur rem pater, ſenex octogenario maior. Benedictio ſacerdotalis mane facta erat intra horam ſeptimam & octavam. Neminem adeſſe voluerat ſponſus præter Deum triunum, tanquam auctorem matrimonii, & Diaconum, tanquam vocatum Dei Miniſtrum, pag. 754.] Repetitur p. 758. ex Hempelio Reſponſum Facultatis Iuridicae Halenſis pro filio ante nuptias nato, tanquam legitimato per ſubſequens matrimonium, cui conforme eſt Reſponſum Facultatis Helmſtadienſis apud Leyſerum, Meditat. ad Pandd. Spec. 291. quod ampliatur in Wernheri Obſervatt. P. VIII. p. 767. ſq. ubi idem Primogenitus, propter Legitimationem per inſequens matrimonium, etiam ſucceſſionis capax habetur. Res tota late exponitur apud Ludolfum de Iure feminarum Illuſtrium. Sed renitebantur agnati, nixi inſtitutis Principum Germaniæ, qui ab omni ævo tales nuptias damnarunt. Obvertebat Nüſsleria etiam formæ elegantiam, morum venuſtatem, vitæ innocentiam. Sed congeſta ſunt Acta de vita eius *ante acta*, & nimis ſero didicit, iuſtitiam noſtram eſſe ſicuti pannum mulieris menſtruatæ.

Proteſtatio & Reſervatio, nomine totius Domus Anhaltinæ, intuitu Ducatus Saxo-Lauenburgici, a Victore Amadeo A. 1706. Ratisbonæ interpoſita, legitur pag. 727. Hervicus patris, Leopoldi, ſpiritus ex oculis & ore filiæ effulget, matrimonio iunctæ Victori Friderico, Principi Bernburgenſi. Occurrit hæc icon poſt p. 752. Mercator quidam, Dietzius, quum cives Bernburgenſes ad ſeditionem excitaret, urbe pellitur, prævia ſententia Ordinis Iuridici in Academia Georgia Auguſta. Data eſt hæc ſententia 1753. & legitur hic p. 780. ſq. Notabile dein Pactum Morganaticum Librechti cum Eberhardina Iacobina Wilhelmina de Weede, quod apponitur pag. 802. col. ſq. Aeri tum inciſi exhibentur Proſpectus Reſidentiæ Principalis, Schaumburgi; Proſpectus Civitatis Holtzapfel; Proſpectus Arcis Principalis Lauenburg. Reliquas Ico-

Icones non recenſemus, ne abutamur lectoris patientia. Paſcat hic oculos, cui lubet, & cuius intereſt.

Cap. X. agitur de linea Cothenia. Marti dedita erat linea Deſſavienſis & Bernburgenſis. Artibus contra Palladis operam præcipue navant linea Cothenia & Serveſtana. Ex Domo Cothenia quidam inter membra Societatis Frugiferæ fulſerunt Auguſtus ſororem conſanguineam uxorem ducere voluit, pag. 844. Sed deſtitit ab hoc conſilio, motus litteris dehortantibus propinquorum. Dum Carolus Guſtavus ſinum Codanum, glacie tectum traiicit, Emanuel traham eius, equo vectus antecedit, pag. 648. Anna Eleonora malo Hypochondriaco laborat, & per 11. ſeptimanas neque cibo, neque potu utitur, ſolo ſucco nucis amygdalinæ contenta, pag. 849. Emanuel Lebrechtus tam mature profecit in cognitione veritatum divinarum, ut anno ætatis decimo ad Sacram Synaxin admitteretur, quod occaſionem præſtitit Theologo Marburgenſi, Samueli Andreæ, Diſſertationem ſcribendi: Puer decennis ad coenam admiſſus, pag. 849. col. b. Idem 1694. cavit, ut mulctæ ex cauſſis Homicidii, Adulterii & Scortationis coactæ, ad Pios Uſus impenderentur, deditque Coniugi, Giſelæ Agneſæ, (ſic vocata eſt ex more Domus) id negotii, ut exſecutioni invigilaret, pag. 851. col. b. Eidem Coniugi commiſit Ius Patronatus in Eccleſiam Lutheranam recens exſtructam. Litteræ Fundationis apud Becmannum tantum per modum Extractus, hic integræ leguntur p. 852. Cauſſa criminalis Wolf Ludovici de Schlegel, qui ruſticum occiderat, & Salvum Conductum a Camera impetraverat, late exponitur pag. 907. ſqq. & tandem Camera arguitur, quod in hac cauſſa migraverat omnia Principia Iuris, Sanctiones & Conſtitutiones Imperii omnes.

Capite XI. deſcribitur Hiſtoria Sereniſſ. Domus Serveſtanæ. Rudolphus 1612. Magdalenam duxit, Iohannis XVI. Comitis Oldenburgenſis filiam quintam, per quod matrimonium ſucceſſio ſtabilita eſt Domus Serveſtanæ in Dynaſtias, Ievern & Kniphauſen. Imp. Ioſephus A. 1708. Principibus Serveſtanis conceſſit Prædicatum *Sereni*, pag. 940. Iohannes

Digitized by Google

Auguſtus Ultraiecti uſus eſt inſtitutione Grævii, qui ei T. IX. Antiquitatum dedicavit. pag. 942. Celebravit A. 1730. Iubileum Lutheranum in omnibus ditionibus ſuis, & ſingulis Eccleſiaſtis Lutheranis dono dedit Cypriani Hiſtoriam Auguſtanæ Confeſſionis, quæ Gothæ prodiit eod. anno in 4to. Coniux eius Friderica ex Domo Gothana, anno ætatis duodecimo admiſſa fuerat ad S. coenam. pag. 943. b. Antonius Guntherus ſtrenue rem agit ad Namurcum p. 946.; Iohannes Adolphus vero pietati ſtuduit Chriſtianæ, & cantica complura compoſuit, pag. 948. quæ leguntur in Hymnario Serveſtano. Arx Principalis Dornburg aeri inciſa comparet ad pag. 950.; de arrepta Poſſeſſione eius agitur pag. 929. Diligenter aeri inciſæ ſunt imagines Chriſtiani Auguſti, Patris, & Iohannæ Eliſabethæ Matris, Sereniſſimæ Magnæ Duciſſæ Ruſſiæ. Huius icon affabre ſculpta cernitur poſt pag. 962. Cultum ea Eccleſiæ Græcæ profeſſa, in unctione nomen Catharinæ Alexiewnæ accepit, quum antea Sophia Auguſta vocaretur. Nupſit Petro Feodorowiz, Magno Duci omnium Ruſſorum, & deſtinato in Imperio Ruſſico ſucceſſori. Nuptiæ deſcribuntur pag. 961. col. 2. ſqq. Inſeritur hic deſcriptio Illuminationis & Spectaculi ignium artificioſorum, factorum hac occaſione Serveſtæ, cum icone aeri inciſa. Auctor Deſcriptionis eſt Iohannes Hoxa R. & B. Sequitur deſcriptio Lecti Funebris ſolemnis Chriſtiani Auguſti, Patris Catharinæ Alexiewnæ, una cum effigie eius aeri inciſa, & Deſcriptio Caſtri Doloris, ſimiliter cum icone aeri inciſa. Utriusque deſcriptionis Auctor eſt idem Iohannes Hoxa. Cap. XII. agitur de Linea Cothenia, morte finita. Pag. 983. ſupplentur Numi a Becmanno omiſſi. Enitent ſequentes: 1) Tab. II. Num. 1. Vultus Principis Leopoldi; in Poſtica Tropæum cum Inſcriptione, *Morte non Marte victus*. 2) In Tab. III. Num. 2. & in eo Poſtica, in qua comparet urſus coronatus, cum Epigraphe: *Perrumpendum*. 3) In Tab. V. Num. 1. Poſtica exhibens urſum coeleſtem quatuor ſtellis diſtinctum, cum Inſcriptione, *tot ſidera praeſtat*. 4) In Tab. VI. Num. 12. Poſtica, in qua Aquila inter Solem & Nubes volans

lans, relictis in rupe quatuor pullis in nido, cum Inſcriptione: *Alta petens radiis pullos nidumque reliquit.* Subiicitur Index præcipuarum perſonarum in hoc Opere obviarum.

CHRISTIANI ERNESTI HANSSELMANNI, CONſiliarii Aulici, Feudalis, Conſiſtorialis, & Archivarii Hohenloici, ulterius illuſtrata & defenſa ſuperioritas territorialis domus Hohenloicae, ante tempora ſic dicti magni Interregni, cum appendice 226. fere ineditorum Documentorum, & tabula aenea Sigillorum.

Norimbergæ 1757. fol. 5. Alphabb. 17. plagg. 3. tabell.

Opponitur hæc ſecunda pars *) huius deductionis Relationi III. ex Faſciculo ſexto, ſeu anni 1753. ſecundo, *Relationum Goettingenſium* de libris novis, cuius Auctor pleraque capita partis primæ, in primis autem, quæ de iure Banneriæ dicta fuerant, in dubium vocaverat. Apponitur ipſa relatio per particulas, & cuivis articulo ſua ſubiicitur reſponſio. Legi merentur, quæ pro ſententia ſua adfert Ill. Auctor: nam ita rem ſuam peroravit, ut, ſi quid videmus, (coeci autem non ſumus,) nihil pæne ſuperet, quod pro ea cauſa dici a quoquam poſſit. Nos appendici inprimis immorabimur. Pragmatica, ſimulque rei Diplomaticæ valde inſerviens eſt tractatio, qua p. 18. ſeqq. Diploma fundationis Eccleſiæ Oringenſis illuſtratur. Memorabile dein Diploma Imp. Caroli VII. quo domus Hohenloica inter domus Principales refertur, datum Francofurti 21. Maii 1744. & inter antiquiora, Diploma Conradi II. de fundatione monaſterii Limburgenſis, de anno 1035. ex libello reviſionis Leiningo-Durckheimenſi, contra capitulum Spirenſe, ſub Num. I. collatum cum exemplari Ohringenſi. Eximiæ porro utilitatis eſt Copia nominum Vaſallorum, p. 188. qui 1621. de feudis petendis

*) Primæ Partis recenſionem v. in his *Actis* noſtris, anni 1752. menſ. *Octobr.* p. 606. ſeqq.

Digitized by Google

compellati fuerunt; prouti lectu digniſſima ſunt etiam Symbola, quæ in libro Feudorum, in Archivo, ſub affabre pictis armis vaſallorum, leguntur. Talia ſunt: Iniurias patiendo, & gratias agendo, ſeneſcunt aulici: Sero venientibus oſſa: Ratio Status diaboli decalogus: Conſcientia cordis Notarius: Nobilis, virtutis expers, truncus eſt ignobilis: Nobilitas, ſine divitiis, eſt ſicuti fides ſine bonis operibus: Veritatis ſimplex eſt oratio (pag. 214.). Verum præcipue nos ad ſe vocat tabula ænea Sigillorum, quæ paginæ 288. iungitur, & ſimul, magno eruditionis hiſtoricæ adparatu, atque criſeos, illuſtratur. Primi Sigilli inſcriptio hæc eſt: *I. S. Margarete. ducißa. Bavarie. domina. de. Hohenloch.* & ex faſciis, quæ in eo inſignibus Bavaricis & Hohenlohicis iunguntur, firmatur obſervatio Dni de *Olenſchlager*, Margaretham Stephano, principi iuventutis Hungariæ, fratri Regis Ludovici Magni, matrimonio iunctam fuiſſe. Siſtitur ibidem, num. 9. numus memorialis collatæ domui Hohenlohicæ dignitatis principalis, cum epigraphe, *D. G. Philipp. Erneſt. Carol. Philipp. Ioſephus, Antonius & Ferdinandus, Principes ab Hohenlohe Waldenburg, dom. in Langenb.* in cuius averſa Phoenix cernitur, ex flammis renaſcens, cum inſcriptione, *Reſtituit, proavisque pares dedit eſſe nepotes;* & ſub Phoenice, *ſeptem poſt ſaecula,* CIↃIↃCCXXXIV. In alio, qui huic numo iungitur, legitur: *Philipp. Ernſt d. g. p. de Hohenl. Waldenb. Schilling.* & in averſa ſuper Phoenice: *ex flammis orior.* In eadem tabula notatu digna duo exempla contra-ſigillorum, ſub Num. VI. & XV. & Sigillum Conradi de Smalnecke, Pincernæ ducatus Sueviæ in fine Tabulæ. Quæ ad inſtrumentum ipſum pertinent, ex quo pendet hoc ſigillum, ea late exponuntur omnia Appendicis pag. 216. ſeqq. & multum prodeſſe poterunt iis, qui de officiis hereditariis & aulicis, poſt aliorum virorum eruditorum curas, iterum ſcribere in animum forte induxerint. Iisdem ingenium in ſigillo ipſo experiri licuerit. Catalogus Vaſallorum, p. 316. ſqq. & miniſterialium, p. 320. ſqq. obvius, huius ſecundæ partis quoque pretium augent. Uno verbo, nihil aptius *pro inſtituti ratione* dici potuiſſet, quam quæ hic dicuntur, pro ornanda dignitate principali gentis inclutæ. Joh.

Digitized by Google

Joh. Gottſchalck Wallerius, Mineralogie ꝛc.

i. e.

IO. GOTTSCHALKI WALLERII MINERALOGIA, ſ. regnum minerale ab eo diviſum & deſcriptum. Germanice reddidit IO. DAN. DENSO, Prof. reg. in Collegio Groeningiano, Stargardi in Pomerania, Conrect. Scholae urbanae, Socc. Teutt. regiae Goettingenſ. & Lipſienſ. membro.

Berolini 1750. 2. Alph. Tab. I. aen.

Celebris Auctor, medicinæ Doctor Upſalienſis, Adiunct. facult. med. Imperialis Acad. N. C. & collegii Medici Holmienſis membrum, magnam hoc opere a rerum foſſilium curioſis iniit gratiam, quod non nudam nominum enarrationem, ad ſiccas aliquas, ſecundum characteres, partitiones, ſolum continet, ſed obſervationibus phyſicis atque chemicis uberius illuſtratur. Quod omnia exhibere inſtituti noſtri ratio non permittit, ordinem operis ſaltim percurremus, pauca deinde ex interſperſis copioſe obſervationibus exhibituri. Itaque Foſſilia in Terras, Lapides, Mineralia proprie ſui dicta, (*Erzarten*) & Petrificationes dividit. *Terra* ipſi eſt quod ex particulis non cohærentibus conſtat, in oleo aut aqua mollitur, non ſolvitur, lapidibusque materiam præbet. *Lapides* dura, & quod partes attinet, ſolida corpora ſunt, nihil in aqua vel oleo ſolubile continentia, neque adeo his fluidis emollienda. Fuſa cum refrigeſcunt, cavam ſuperficiem exhibent, & maſſa fuſa crudo lapide levior exſiſtit. *Minerae* ſunt terræ vel lapides, ſale, ſulphure, ſemi-metallo, aut metallo foetæ. *Concreta* ſunt mineralia, quæ poſt deſtructionem aut mixtionem denuo concreverunt, aut locis occaſionibusque inſolitis producuntur. Quod *mineralia* ipſa attinet, *Salia* in aqua ſolvuntur, & guſtum adficiunt; *ſulphura* & *bitumina* in oleo ſolvuntur, & in igne accenduntur; *Metalla* in igne ſuperficie ſphærica funduntur, ſplendent, & corporum naturalium ponderoſiſſima exſiſtunt.

Digitized by Google

His ergo ſuppoſitis, inter terras recenſet *Terras macras*, Humum atque Cretam; *pingues*, Argillam & Margam; *minerales*, ut ſale foetas, quæ alumen, vitriolum &c. continent, item ſulphur, aut metallo mixtas; *Arenas*. Lapides ipſi ſunt *Calcarei*, *vitreſcentes*, *apyri*. Saxa, Mineras & Metalla quod in vulgus nota ſunt, illorum genera non recenſebimus. Sub his vero generibus, ſubordinata, & ſpecies complectitur. Iam obſervationes quasdam decerpemus. Aphronitrum, tum quod calci, tum quod gypſo adnaſcitur, ab aliis ad nitrum relatum, ab aliis pro ſalis medii genere habitum eſt. Alcalicum vero eſſe ſic oſtendit Auctor. 1) Diu in igne perſiſtit antequam fundatur. 2) Cum ſpiritibus acidis ſine præcipitatione efferveſcit. 3) Ab oleo tartari albo, aut ſpiritu foetente, ſolutio non turbatur aut mutatur. 4) Syropus Violarum colorem debilem viridem ei conciliat, 5) a Lacea ſolutio eius non mutatur, nec non a ſolutione Mercurii ſublimati, aut vitrioli Veneris. Unde alcalicum illud pronunciat, eſſe puritate atque viribus vegetabili cedens.

De minera ferri ſubaquoſa, quam Sueci ex paludum fundo colligunt, & *Siömalm* (Seerz) nominant, refert, illud non ultra 18.20. ulnarum a terra diſtantiam, neque profundius quam 7. 8. ulnas reperiri, & aliquot annis renaſci. Ab ochra hanc mineram diſtinguit, quod vitridificatio in ochra neceſſaria hic non præceſſerit, cum aqua, in qua reperitur, vitrioleſcens non ſit, deinde ochra terra paludoſa eſt, minera hæc ferro ignito aut ſcoriæ ferri ſimilii. Cryſtallos & lapides precioſos, ob figuræ regularitatem, ſalibus cum aliquibus, (inter quos eſt ipſe Auctoris civis, celeberr. Linnæus) adſcribere recuſat, ita tamen ut concedat, ſal cauſſam criſtalliſationis eſſe, ſed neget eidem figuram criſtallorum tribui. Primum enim certum ipſi videtur, cryſtallos ſalinas & lapideas a materia terreſtri & metallica oriri, cum ſal in ſe, antequam terræ aut metallico commiſceatur, cryſtallos contineat nullas. In chimicis oſtendi, quod ex variis Vitrioli & acidi ſulphuris mixtionibus, omnia ſalia cum cryſtallis ſuis oriantur, licet acidum hoc figura nulla ſit præditum. Nitri ſpiritum alcali puro vegetabili commixtum ſal priſmati-

maticum hexagonum ſ. nitrum producere, ſed cubicum ſal figuræ ſalis vulgaris ſimile, ſi alcali ſalis vulgaris aut minerali commiſceatur, ut alcalicam terram cryſtallos ſalinas mutare indubium ſit. Itidem ſoluto argento in aqua forti, lamelloſas cryſtallos oriri; ferro in eodem menſtruo ſoluto, quadratas irregulares, ut differentia cryſtallorum a metallo pendeat, menſtruo manente eodem. Contra, cupro in aquaforti, aut acido vitriolico, aut aceto ſoluto, ſemper cryſtallos parallelopipoidas oriri, item ſimiles eſſe inter ſe cryſtallos plumbi, ſive in nitri ſpiritu ſive in aceto ſoluti. Metalla ipſa in mineris geometricas figuras adfectare, v. g. galenam parallelopipoidicam, ubi tamen nemo ſalia concurrere oſtenderit. Lapidibus cryſtallis chimice examinatis, cryſtallus montane acidum cubicum ſal, nunquam nitroſum præbet. Denique ſal quod cryſtallis foſſilibus figura proximum eſt: nitrum nunquam huc usque in terra repertum eſt. Sed hæc ſpecimina ex libro ipſo, obſervationibus egregiis refertiſſimo, ſufficiant. Verſio editioni originali præſtat, quod addenda Wallerius Cl. Denſoni tranſmiſerit: ita enim præter alias acceſſiones hic 488. foſſilium ſpecies enumerantur, cum originalis editio ſaltim 479. contineat. De fide verſionis non dubitare nos iubet Cl. Denſo. Pauca in novis litterariis Göttingenſibus monita ſunt, (Parte 81. anni 1750.) ut *Humum*, voce *Stauberde* reddidiſſe, quo nomine ſane ceſpes inflammabilis (Turf) contineri non poſſit; eſt autem Suecis *Mylla* (*Humus*) terra inflammabilis, adeoque pinguis, in hortis præcipue uſitata. Nobis ipſis librum percurrentibus ſimilia ſe obtulerunt, v. g. *Takjärn* redditum *Dacheiſen*, cum *rohes Eiſen* accuratius & clarius videatur. Sed hæc levia ſunt, & nihil Cl. Denſonis laudi demunt, cum in vertendo eiusmodi opere, quod & linguæ non multum apud exteros cognitæ, & rerum magnam poſtulet notitiam, omnino non peccare difficillimum videatur.

DE

DE DONO LINGUARUM ET ELOQUENTIAE, cum primis eccleſiae Chriſti doctoribus communicato, inprimis contra P. LAMIUM, Commentatio, Auctore M. CAROLO GOTTLIEB CAMENTZ.

Fridericoſtadii, litteris Harpeterianis, pl. 4. quaternis.

Eloquentia cum ſit facultas, quemlibet de dogmatum quorundam veritate certiſſime perſuadendi, ſequi inde videtur, hanc perſuadendi artem poſtulari quoque ab oratoribus ſacris. Hinc immerito Apoſtoli ex ſacrorum oratorum numero excluduntur, cum ex eorum rebus geſtis ſatis appareat, eos divina quadam eloquentia eſſe uſos, & ſine ulla dubitatione die Pentecoſtes hanc facultatem, divinitus immiſſam, reliqua inter dona, accepiſſe. Conſtat inprimis illud ex *Act. II, 3.* inter doctos viros quidem, explanandis tabulis ſanctioribus operam navantes, inprimis controverſo, & ſubtilius, quam par eſt, intellecto loco. Nihil attinet, hic aliorum in medium afferre teſtimonia, ſed novam Auctoris magis volupe eſt recenſere ſententiam, *διαμεριζομενας γλωσσας* de variis interpretantis linguis, per miraculum diſtributis Apoſtolis. Vel mirifica fuit habilitas, peregrino idiomate, vel peregrinarum gentium linguis loquendi, cum illis communicata. Veram hanc eſſe explicationem de linguarum peregrinarum uſu, non ſolum Chriſtus ipſe teſtatur, tale quid diſcipulis ſuis promittens *Marc. XVI, 17.* coll. *Act. II, 4.* ſed patet hoc etiam ex eo, quod tam multi ac peregrini homines, uno ore profeſſi fuerint, ſeſe audire Apoſtolos, vernaculam tum linguam loquentes. Diſerte enim Lucas dicit, fama eius rei diſſipata, multitudinem conveniſſe, & confuſam eſſe, quod eos ſua quisque vernacula lingua loquentes audiret, itaque attonitos omnes, miratos eſſe, & inter ſe dictitaſſe: nonne omnes illi, qui loquuntur, Galilaei ſunt? Cadit hinc opinio eorum, qui de linguarum interpretibus ſomniant, ab Apoſtolis huc illucve circumductis. Nec *Lamius* recte ſentit, qui nihil aliud hoc linguarum donum fuiſſe per-

perhibet, quam perpetuum quoddam divinæ potentiæ miraculum, quo Apoſtoli quacunque lingua Evangelium & Chriſti fidem populis prædicarent, a gente qualibet, linguæ diverſiſſimæ licet, intelligerentur. Contraria vero hæc ſunt verbis Lucæ, negantis, unicam linguam, ſyriacam ſcilicet, Apoſtolos eſſe locutos, affirmantis contra expreſſis verbis, unumquemque auditorum ſua lingua loquentes audiviſſe Apoſtolos. Obſtupeſcebant vero congregati homines ex ea cauſſa, quia alienis linguis eos uti audiebant, qui omnes Ebræi nati atque educati erant. Nec veritati reſpondet, Petrum orationem primam in lingua habuiſſe Syriaca, quod cl. *Lamius* dicit, ſed non confirmat, nec ſatis tuto eius rei ſubſidia ex *Gregorii Nazianzenii* afferuntur orationibus. Quæri etiam contra *Lamium* poſſet, an maius eſſet miraculum, illud, quo Apoſtoli facultate linguas tot peregrinorum populorum loquendi, uno tempore, & nulla inſtitutione adhibita, ornati fuerint, an quo in auditoribus tot diverſarum linguarum effectum eſt, ut unam iſtam linguam Apoſtolorum Syriacam, ita dictam, intellexerint? Urget quidem *Lamius* pro defendenda ſua opinione, græci idiomatis in Apoſtolis imperitiam, & ſtili barbariem, in ſcriptis eorum obviam. Sed negatur recte, ſtilum Apoſtolorum tam eſſe incomtum & barbarum, qualem ſibi fingit Lamius. Sed quid de linguis igneis, vel quaſi igneis, in Apoſtolis viſis? Reſpondet Auctor, per ignem intelligi in Scriptura Sacra Evangelium de Chriſto inter gentes nuntiatum. *Luc. II, 44.* Chriſtus ipſe dicit, ſe veniſſe ignem in terram iniecturum, hoc eſt, veritates coeleſtes multa cum efficacia in animis hominum & divina quadam eloquentia propoſiturum, quod apparet ex Matth. VII, 29. Luc. IV, 32. Quanta vero poteſtate & Apoſtoli docuerint, ex Act. II. & ceteris capitibus conſtat. Quomodo autem eorum eloquentia cum igne comparari poſſit, ex eo intelligitur, quia, ut ignis lucet, illuminat, urit, accendit, conſumit, ita & Apoſtolorum orationes ſua luce radiant, hominum coecorum animos illuminant, & ad religionem Chriſtianam amplectendam permovent. Hac ratione Apoſtoli obtinebant finem,

Digitized by Google

quare a Deo varias ac peregrinas linguas loquendi facultatem acceperant. Nec dubitatio oriri inde poteſt, quod ὤφθησαν legitur a Luca relatum, quaſi eloquentia non oculis cerni, ſed auribus audiri debeat. Optime enim hoc vocabulum per *intelligi* explicari poſſe arbitratur Noſter, niſi & hoc dici poſſit, oratorem non ſolum mente intelligi, ſed & oculis loquentem videri. Completus itaque ſenſus hic eſt: Viſæ ſunt illis diſtributæ linguæ, hoc eſt, apparuerunt illis, & Apoſtolis, & reliquis auditoribus, linguæ diſtributæ, & cum oratoribus ſacris communicatæ, tanquam ignis; vel, omnes, qui huic conventui ſacro adfuerunt, oculis viderunt, & mente intellexerunt, Apoſtolis, in quos Spiritus S. illapſus erat, variis loquendi linguis facultatem conceſſam, & magnam & divinam, quamvis non artificialem & humanam, eloquentiam eſſe datam. Videri quidem poſſet, ignem pro ſymbolo eſſe habendum, ſed non opus fuiſſe tali ſigno autumat Noſter, quia Sp. S. in ſingulorum animis habitavit. Iudicio lectoris qualemcunque hanc commentatiunculam reliquendam eſſe, ſtatuimus omnino.

ATHANASII, ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE, Interpretatio Pſalmorum, ſive de Titulis Pſalmorum. Graece & latine.

Romæ, apud Ioſephum Collinum, Alph. 6. fol. 6. fol.

Operæ *Nicolai Antonelli*, ſacri Collegii Purpuratorum & Conſiſtorii a Secretis, debemus hanc Athanaſianam interpretationem, tanti ipſi viſam, quæ ſplendida editione nobis traderetur. Pauca ſunt, quæ hanc circa rem notatu digna erunt. Præfandi capeſſit initium *Antonellus* de præclaro eorum facinore, qui copioſas librorum collectiones munifice adornant, & vitæ ſubſidia hominum memoriæ tradunt. Hæc autem nominis gloria cum plurimis ſit propria, qui ſuperiori ætate floruerint, ita inter eos ſuum quoque locum obtinet Pater Purpuratus *Franciſcus*, aliique, e gente *Barberina*, quorum indefeſſo labore magna copia librorum

typis

Digitized by Google

typis impreſſorum, & manu exaratorum ſumma impenſa coacta, & in magnificentiſſima Bibliotheca collocata apparet. Inter alios autem pretioſos Codices, quos Barberina Bibliotheca ſervat, extat Codex Græcus, ea forma, quam quadripartitam dicunt, chartaceus, non calligraphia, ſeu characteris pulchritudine, qui recens atque rudis eſt, ſed re, quam continet, præſtantiſſimus. Continetur enim in illo interpretatio Græca Pſalmorum ſanctiſſimi Patris atque Archiepiſcopi Alexandrini *Athanaſii.* Codex eſt apographus, deſcriptus ab *Andrea Schotto*, Societatis Ieſu Alumno, non ſua quidem manu, ſed conſilio atque inſtituto eius. Putat *Antonellus*, hunc codicem poſtea veniſſe in poteſtatem *Lucae Holſtenii*, qui hæredem ex aſſe inſtituit clariſſimum Cardinalem Franciſcum Barberinum Seniorem, & deinde in Barberinam Bibliothecam, fuiſſe translatum. *Holſtenius* autem, ſeu *Andreas Schottus*, ipſe ſingulis paginis græcæ interpretationis S. Athanaſii paginam Pſalterii Græco-Latini, typis impreſſi, inſeruit. Præter ea *Holſtenius* in fronte Codicis inſcriptionem adiecit, quando in publicum, ut ſibi forte propoſuerat, ederetur, ut brevis Præfationis vices ſuppleret. Exhibetur hic epiſtola iſta Holſteniana, ne quid deſiderent Lectores de lucubratiuncula viri, in coetu Romano magni. Nihil tamen noſtro iudicio continet, quod præcipue his in tabulis ſit excerpendum. Pergit Noſter amplius commemorando, codicem Barberinum ex alio Bibliothecæ Auguſtanæ eſſe deſcriptum, qui quidem, ut compertum habet ipſe, non amplius ibi extet. E Græco vero idiomate in Latinum a ſe eſſe converſum, hortante Cardinale Franciſco Barberino. Quum autem præter ea complures ſint Pſalmorum expoſitiones, quæ S. Athanaſii nomen in fronte gerant, ſui duxit Noſter eſſe officii, amplius de illis aliquid diſſerere, quo magis compertum fiat, an ea, quam in lucem dedit, genuinum Athanaſii opus eſſe queat, nec ne. Mediolanum, in Bibliotheca Ambroſiana, & Venetiæ, in Bibliotheca Iuſtinianea, conſervant expoſitiones Pſalmorum Athanaſianas. Hanc autem S. Athanaſio abiudicat celeberrimus *Monteſalconius*, exiſtimans, vel falſo Athanaſii nomen eſſe inſcri-

Digitized by Google

ſcriptum, vel alius eſſe Athanaſii cuiusdam recentioris. Ab his diverſa eſt Pſalmorum expoſitio Athanaſiana, a celeberrimis Patribus Benedictinis cum aliis operibus Sanctiſſimi huius Archiepiſcopi in lucem edita. Sed ipſi monachi, Benedicti regulam obſervantes, admodum dubitarunt, num illa expoſitio ſit liber Athanaſianus de titulis Pſalmorum, monente Hieronymo, conſcriptus. Modo nominatus doctiſſimus *Montefalconius*, aliique doctiſſimi viri, de germano & genuino illo Athanaſii foetu dubitarunt. Idem *Oudinus* fecit, cuius tamen cenſuram inique tulit Noſter, cauſſam interſerens, quia a Catholicæ religionis caſtris transfuga ille & rebellis factus eſt. Præter hos exhibet coenobium Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononiæ, commentarium in Pſalmos, lingua Illyrica ſeu Slavica expreſſum, atque Athanaſii nomine inſcriptum *Montefalconius* vero per Bononiam, iter faciens, & Bibliothecæ iam dictæ clauſtra inviſens, negavit, opus eſſe Athanaſianum, ſed *Cyrilli* potius Alexandrini foetum. Specimen tamen Slavonici huius commentarii nobiſcum hic communicare, non inutile viſum eſt Noſtro. Hunc vero quem edidit, librum vere eſſe Athanaſii, affirmat *Antonellus* ex auctoritate potiſſimum quorundam doctiſſimorum virorum, *Andreae* ſcilicet *Schotti*, & *Lucae Holſtenii*. Exiſtimat etiam, librum eſſe eundem, quem, teſte Hieronymo, de *titulis Pſalmorum* conſcripſerit Athanaſius, quia uniuscuiusque Pſalmi inſcriptio accurate ac diligenter explicatur ibi, ac Pſalmus totus ſecundum titulum ſuum convenienter exponitur. Nec dubium eſſe inquit, quin Synodus Nicæna II. huius libri S. Athanaſii ſub titulo, *commentationis Pſalmorum*, mentionem faciat. Forte tamen quispiam de tanto Auctore dubitare queat, ſi relatum legat, illum pueriliter in explicandis titulis Pſalmorum nominumque Hebraicarum eſſe verſatum, & in omnibus fere Pſalmis ſenſum allegoricum venari. Quod ad prius attinet, excuſat Auctorem ſuum Noſter, *Philonem & Origenem* ſequentem, quorum prior Hebraica Veteris, poſterior Hebraica Novi Teſtamenti explicata dedit vocabula. Sed quod ad allegoricum ſpectat ſenſum, nihil eſt, quod incuſetur

ille,

ille, cum ante eum iam Schola Alexandrina, quod ex *Clementis* atque *Origenis* patet operibus, eo fuerit uſa. Sic etiam *Therapeutae*, quos Chriſtianos antiqui ducunt eccleſiæ doctores, & recentiores multi ſcriptores, eandem methodum amarunt. In Oriente allegorica ſcripturæ interpretatio obtinuit, eaque, dummodo in ea ſervetur modus, laudatur. Aſſeritur illa auctoritate Novi Teſtamenti, quin & patrum *Tertulliani & Cypriani.* Nec inficete dixiſſe affirmat Noſter Patrem Purpuratum *Thomaſium*, ſenſum allegoricum Pſalmorum eſſe ſenſum Chriſtianorum proprium. Quin veterem etiam Synagogam ſenſum ſpiritualem & literalem in ſanctioribus tabulis agnoviſſe, & Moſen, ceterosque Prophetas Vet. Teſt. arcanos & ſublimiores ſenſus verborum eſſe ſectatos, patet. Poſtea Ariana, aliæque hæreſes enatæ, in cauſſa fuerunt, cur deinde Patres ad ſenſum ſcripturæ literalem animum appulerint, qua in re maxime ſchola Antiochena videtur floruiſſe. Nihilo tamen minus allegorica interpretatio maxime convenit libro Pſalmorum, quorum tituli claves quaſi ſenſus allegorici & ſpiritualis recte, ex mente *Antonelli* ſcilicet, putantur. Ceterum vetuſtas huius operis ex diviſione Pſalmorum apparet, per verſiculos facta, in quos membratim diſtincti per cola & commata Pſalmi antiquitus ſcribi ſolebant, non autem per verſus longiores, ut in codicibus recentioribus reperiuntur, & in editis libris, quibus vulgo eccleſia utitur, retinentur. Accedit huic forma inſcriptionis per rubrum colorem, ſeu cinnabarim, facta in quolibet Pſalmi titulo, vetuſtatis interpres locupletiſſimus. Nec alia deſunt argumenta, S. Athanaſio hoc opus vindicantia, inter quæ illud potiſſimum eminet, quod magna rerum & argumenti in hoc commentario, cum aliis Athanaſianis operibus, eſt ſimilitudo atque exacta convenientia, cuius rei multa teſtimonia Noſter prolixe affert. De interpretatione ipſa nihil fere habemus amplius dicendum, ex ſuperioribus cum ſatis conſtet, interpretationes eſſe breves atque allegoricas. Sic v. g. *Pſalmi XIX.* titulus præpoſitus: *εἰς τὸ τέλος*, explicatur: In finem, Pſalmus David. Hoc autem ſignificat, quod de conſummatione Sæculi

pſalmus dictus ſit. Eadem eſt explicatio ſequentis tituli Odæ Davidicæ XX. ubi etiam adiicitur, quod in fine ſæculorum dictus ſit Pſalmus Dei filio, & populo ſancto eius. Davidis enim oratio de utroque explicatur, & de filio Deo dilecto, & populo ſancto, deſiderato a Domino. Verſiculi *ſecundi* verba: ἐπὶ τῷ σωτηρίῳ σου redduntur: τῷ σταυρῷ σου. Idem fit verſiculo nono. Habebunt lectores ſatis exemplorum, ex quibus, quid hic quærant atque inveniant, diſcant. Appendicis loco variæ lectiones e codice quodam Vaticanæ Bibliothecæ excerptæ adſcribuntur. Ubi plura quæ in ſuo Codice deerant, ſupplentur; multa alia, coniectura emendata, confirmantur; plurima prave, mendoſe, ac præpoſtero ordine ſcripta, corriguntur. Cuius generis ſtudium Athanaſianæ doctrinæ aſſeclis perquam gratum accidet. In epiſtola dedicatoria *Diaconibus*, inuſitato dicendi modo, dicitur. Forte ad ſtilum curiæ Romanæ hæc vocabuli flexio pertinet. Reliqua ſphalmata in rationes Typographicas transferre lectores ne graventur.

DUE DISSERTAZIONE &c.

i. e.

DISSERTATIO GEMINA IOSEPHI BARTOLI, quarum una notitiam perhibet Muſei inſcriptionum nuper Veronae inſtituti, ſimulque uſum veterum monumentorum in hiſtoria, cum uſu experimentorum in phyſica comparat; altera vero pulchritudinem graeci alicuius nunc primum ex eodem muſeo editi marmoris demonſtrat.

Veronæ, 1. Alphab. $5\frac{1}{2}$. plag. cum inſertis quinque vel ſex tabell. æneis.

Sereniſſima reſpublica Veneta, ſtudiorum incrementis ſtudioſa, ſua in ditione, Patavii quidem Theatrum experimentale pro hiſtoria naturæ excolenda, ſub auſpiciis ill. Poleni, Veronæ vero muſeum inſcriptionum, ex conſilio ill. Maffei, inſtituit. Huius hic poſterior paſſim in ſcriptis ſuis memi-

meminit, & alicubi promiſit quoque uberiorem deſcriptionem. Sed impeditus aliis negotiis, vacuam reliquit ſpartam quam cl. Bartoli occupavit; & quandoquidem ſunt hodie, qui ſcrutandæ naturæ dediti, ſtudium antiquitatis omne alto ſupercilio contemnunt, voluit, tanquam per præfationem, his demonſtrare, quod vel ex ipſo titulo modo allegato patet, vetuſta monumenta literata, qualia ſunt numi, gemmæ & marmora, idem hiſtoriæ veteri præſtare, quod experimenta ſtudio phyſico. Et primum quidem contra quosdam hiſtoriæ veteris contemtores, & præcipue contra Gallum nobiliſſimum d'Argens certitudinem eius aſſerit ex monumentis ut omnibus, ſic & haud parum e Veronenſibus. Deinde continuat inſtitutam comparationem: ut enim phyſicus e corporum phænomenis eorum naturam indagat & comperit: ſic etiam antiquarius, id eſt hiſtoriarum veterum ſtudioſus, diſcit ex antiquis monumentis veterum hominum indolem, mores & res geſtas; idque præcipue ex marmoribus & numis; minus ex libris, unde demonſtrare ſtudet, monumentorum proprie ſic dictorum fidem, fidei & auctoritati librorum præſtare. multarum enim rerum notitiam monumentis nos debere, quorum ne veſtigium quidem in ſcriptis appareat; cuius rei cauſſa ſit, vel quod ſcriptores ea prorſus tranſierint ſilentio; vel quod eorum autographa perierint, inde facta vero antigrapha aut corrupta fuerint, aut lateant. Latius hæc deinceps perſequitur. Veteres de multis rebus nihil tradidiſſe, vel quod vilia eſſent, & quæ in ſcripta referrentur, indigna; ut ſunt res domeſticæ, & privatæ: vel quod in omnium oculis & uſu quotidiano eſſent; quorum vel ſola nomina cuivis audienti legentive clarum ſui conceptum dederint; nobis autem maximas offundant tenebras, qui nunc aliis moribus, alia ſupellectile, utamur. Scriptum ſermonem obſcurum nobis non poſſe non eſſe. At figuratum illum, qui in ſaxis, gemmis, numis, deſignatarum rerum imagines exhibeat, eum nulli obſcurum eſſe poſſe, ſed in ſenſus incurrere. De multis illos procul dubio memoraſſe, at eas quidem memorias temporum iniuria periiſſe. commode autem hanc quorundam iacturam

ex

ex publicis monumentis ſuppleri poſſe; ita e. c. partem Livii deperditam, quo reportatam a Duillio de Carthaginenſibus victoriam deſcripſit, ſuppleri poſſe ex eius columna, quæ adhucdum ſupereſt, omnium, quotquot hodie exſtant, vetuſti ævi monumentorum vetuſtiſſimo. Monumentum Ancyranum ſupplere & emendare haud pauca de rebus Auguſti ſcriptorum; columnam Traiani pariter Dioni Caſſio, eiusque de ponte, quo Traianus Danubii ripas iunxit, ſcriptis, prodeſſe. Ipſos veteres ſcriptores fateri, ex talibus publicis monumentis ſuas ſe relationes hauſiſſe; id antiquiſſimum orbis terrarum inſtitutum fuiſſe, rerum geſtarum memoriam lapidibus incidere; qua occaſione diſquirit Auctor, Aegyptiorum obeliſci hiſtoricumne, an philoſophicum argumentum, aliudve continuerint. Porro ait, numos & marmora plerumque ſtatim poſt geſtas illas res, quarum memoriam tradunt, auctoritate publica cuſos illos, hæc erecta fuiſſe, quum libri profecti ſint ab hominibus, quos aut adulatio, aut alii affectus animi, a vero tradendo retinuerint, aut ab ipſis rebus geſtis multum ſua tempora removerint, ideoque omnia exacte noſſe & explorare non permiſerint. Librarios quoque ſcripta corrupiſſe ſtudio, ſocordia, ſtupore, dum omitterent, coniungerent, diſcerperent, quæ non debebant. Ex his antigraphis facta nova alia ſecundi ordinis, tertiique haud raro, & quarti, & ſic deinceps, non potuiſſe corruptiora primis non eſſe, typos adhuc magis auxiſſe corruptelam, criticis, ſive ob animi levitatem, ſive ob præcipitantiam, ſive ob ignorantiam, plus iuſto ſibi permittentibus. quod exemplis probat; quæ inter locum illum vexatum Catulli IX. 1. *Verrani, omnibus e meis amicis, Antiſtans mihi millibus trecentis,* agitat, & putat ſe novam & aptiſſimam eius interpretandi rationem, quæ difficultates omnes tollat, excogitaſſe. Interpretatur namque, *tu, qui omnibus meis amicis antiſtas trecentis milliaribus,* & comparat cum illo Ariſtophaneo *μειρακύλλια, εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα.* Viderint alii num poetæ phraſis, *omnibus e meis amicis,* hanc interpretationem ferat, quæ admitti poſſet, ſi is, omiſſa particula, dixiſſet: *antiſtas omnibus meis amicis.* Hæc

primis

primis novem paragraphis diſſerit. A decimo deinceps uſque ad finem, obiectiones oſorum antiquitatis, ut Petri *Baylii*, pyrrhoniſtas inter hiſtoricos maximi, & Anonymi Angli, qui de vanitate ſcientiarum ſcripſit, proponit & diluit. Iis, qui obiiciunt, multas figuras in ſaxis & numis occurrere, quas intelligere & interpretari nemo poſſit, reſpondet, maximam earum partem a doctorum hominum diligentia iam expeditam eſſe, quod, ut cæteris etiam contingat aliquando, ſpem adeſſe. Aliis, qui obiiciunt, nos veterum monumentorum originem & valorem non comprehendere, id eſt, qua de cauſſa & occaſione, quem in finem, condita fuerint? reſpondet, in phyſica idem obtinere, in qua longe plurima occurrant, quorum exiſtentia ſingulis pæne momentis ſe prodit, cauſſa tamen latet. Sæpe poſſe cauſſam ex effectis elici. Semper gratum eſſe hiſtoriarum amanti, veterum facta videre. relinqui etiam aliquid debere poſteris, quod veritati conferant. Baylio, qui urget, veteres æque fraudulenter monumentis ſuis abuſos olim fuiſſe, atque nos nunc abutimur, id eſt ſuppoſitos eſſe numos & inſcriptiones: huic igitur reſpondet, fraudem tantum in materia numorum factam eſſe a lucri cupidis, non in eorum inſcriptionibus, e quibus tamen tantum hiſtoricus ſapit; marmora non fuiſſe adulterata, ſed alienis tantum alienos & incongruos titulos inſcriptos. Obiecerat Anglus, hæc monumenta fabrilibus erratis ſcatere, quæ ſenſum omnem & chronologiam turbent: noſter autem, tam momentoſos & enormes errores a lapidariis & monetariis commiſſos fuiſſe, aperte negat, idque eo ſecurius, quod adverſarius aſſertioni ſuæ documenta nulla addidit. Adulatos fuiſſe veteres in inſcriptionibus numorum & marmorum, hoc non negat, at non quæri, quam recte fecerint illi, ſed quid fecerint. Negat, e Domitiani numis eraſum fuiſſe tyranni nomen, quum multi eius paſſim adhuc ſuperſint: &, ſi vel maxime fuiſſet, non tamen ex eo effici, numis illis falſum olim & fictum nomen inſcriptum fuiſſe. Summa cura ſtudioque Romanos veritatem & ius in talibus monumentis affectatos fuiſſe. Sunt qui antiqua, quæ talia reputantur, opera eſſe negant. His A. reſpondet,

ex vere ſuppoſitis apparere & demonſtrari cæterorum γνησιότητα. Credulitatem & impoſturam in antiquariis miram non eſſe; adhærere hæc vitia toti humano generi, phyſices quoque ſtudioſis. Vera diſcerni a falſis poſſe & debere, in hiſtoria & in phyſica pariter. Ultimo loco ſatisfacit illis, qui vetera monumenta, & ſaxa præcipue, tam negligenter & parum exacte, tam diverſe a diverſis, edita cauſſantur, ſic ut apud hunc editorem manca ſint, apud alterum plus quam integra eadem. Reſpondet enim, neque phyſica experimenta ſemper accurata fieri & tradi; etiam in his inſtituendis & conſignandis negligentiæ, ſtudio ſyſtematico, & impoſturæ, partem eſſe non exiguam.

His expoſitis, iam parte altera primæ diſſertationis, id eſt a p. 83. inde hiſtoriam, ordinem, & monumenta exſtantiora Muſei Veronenſis exponit. Natales ei dedit muſeum, viginti octo lapidibus dives, quod Cæſar Nicheſola Pantone olim habuit, unde translatum Veronam fuit. Inter alia muſei Veronenſis monumenta memorat admirabilem proceritate & ſtructuræ firmitate portam, cuius inſcriptio TI. FLAVII. P. F. NORICI. IIII VIRI. I. D. id eſt *quatuorviri iuri dicundo*, iam publicata fuit a Grutero. p. 97. tradit græcas inſcriptiones ſeorſim ibi collocatas, & centenario plures eſſe; easque inter illam admodum prolixam, quæ apud Gruterum quatuor paginas a p. CCXVI. inde occupat, & teſtamentum Epictetæ continet, uxoris Phoenicis; cuius nominis occaſione græcam inſcriptionem nuper, id eſt initio anni 1745. Aquileiæ erutam producit, in notis, unde nobis eam apponere, quandoquidem brevis eſt, liceat.

D. M.
ΦΛΑΒ. ΕΥΤΥΧΙ
ΑΝΗ. ΤΩΙ. ΙΔΙΩΙ. ΑΝΔΡΙ.
ΑΥΡ. ΦΟΙΝΙΚΙ.
ΜΝΗΜ. ΧΑΡΙΝ.

P. 98. vexatam illam inſcriptionem Græcam, Veronæ pariter conſpicuam, tractat, quam ex agro Troiano erutam, primus edidit P. Angelus Calogiera, in opuſculis ſcientificis & philologicis,

Digitized by Google

gicis, unde deinceps repetierunt Muratorius Tom. II. Theſ. Inſcr. p. LXXXV. n. 9. & editores marmorum Taurinenſium p. 222. Negotium ſcilicet faceſſit interpretibus vox KAI ΜΟΞΥΝΕΙΤΑΙΣ, in iſtis: Ἀγαθῇ τύχῃ, Σμινθεῖ Ἀπόλλωνι καὶ Ἀσκληπίῳ Σωτῆρι και μοξυνείταις Κλ. Φλωρῖνος Μακρῖνος &c. Abbas Dominicus Giorgi vocem derivaverat vel a ξυνετὸς, vel a ξύναος. Muratorius deas hic intelligi putaverat Moſynitarum, veteris Græcæ gentis, a Nicolao Damaſceno memoratæ. Taurinenſes χ' αἱμοξυνείταις, id eſt *conſanguineis*, legi, eaque voce liberos Aeſculapii, ut Hygieam & Iaſonem, intelligi ſuaſerant: quæ interpretatio poſſitne cum grammatica græca conſiſtere, viderint alii. Tandem memorat noſter aliquem Anglum, quem tamen non nominat, qui ſuam in iſtum lapidem commentationem priori eius poſſeſſori, id eſt illuſtri Ioanni Emo, Procuratori S. Marci, transmiſerit, ſed quæ undis merſa perierit. Pag. 100. indicat ſtrictim ordinem, quo diſpoſita ſunt Muſei Veronenſis ſaxa. Prima ſunt votiva, numero ferme ſexaginta; ſequuntur imperatoria, fere triginta; inde militaria, & quæ geſtos magiſtratus urbanos & municipales, aliave munera publica & privata commemorant. Hæc excipiunt quæ ludos & ſpectacula publica ſpectant. Agmen claudunt ſepulcralia. Pag. 103. de anaglyphis muſei huius diſſerit, & p. 104. ſqq. in ſpecie de uno quodam, in quo Muſarum effigies ſiſtitur, quarum quæ in medio ſtat pennas in capite gerit. Ea occaſione de certamine Muſarum & Sirenum, itemque de perſonis, ſeu maſcheris Muſarum, diſputat.

Secunda diſſertatione pulchritudinem alicuius græcæ inſcriptionis, quam primus e Muſeo Veronenſi producit Noſter, demonſtrat a p. 119. ad 223. quæ libro finem facit, & ipſam inſcriptionem Græcam ad marmor expreſſam, duasque literas in ſua magnitudine naturali quam iis lapidarius dedit, exhibet. Pulchræ ſunt omnino, ſuique ſeculi morem ſcribendi monſtrant. Procul dubio multas egregias novasque res exſpectabunt plurimi a tractatione, quæ plus quatuordecim plagulas implet. Sed fallentur, noſtra quidem ex opinione. Poterant unica pla-

Digitized by Google

plagula comprehendi ea omnia, quæ ad illuſtrandum hoc marmor proprie faciunt. Noſter autem maluit ambagibus uti, & a priori demonſtrare coniecturis ambitioſis, id, quod a poſteriori per ſe clarum eſt. Ita demonſtrare ſtuduit, potuiſſe probabiliter hunc lapidem eius viri honori & memoriæ dicari, cui dicatum eum eſſe ipſe lapis claris verbis loquitur. Opera, ut nobis quidem videtur, inutilis, prædicatoribus digna, quæ auctoris ſui prodit ingenium, optime gnari de ſicco & ſterili argumento longum ſermonem nectere.

Nobis ſufficiat ipſum egregium marmor apponere, gratiasque ſimul clariſſimo viro habere, quod beare nos illuſtri monumento voluit, quo vetuſtas meritorum ſcita æſtimatrix virum decoravit, quem vel hodienum quoque, quisquis græce callet, tanquam alterum Demoſthenem, veneratur & amat. Quæ vero ille de pulchri natura, de pulchritudine ſaxi characteribus inſtructi, de diviſione Aegypti, de Antinoo, de Ariſtidis vita rebusque geſtis, ambitioſe diſputavit & compilavit, ea ipſi relinquemus. Habet itaque marmor, quod felicitati noſtrorum temporum, & liberalitati Ampliſſimi Contareni, Patricii Veneti, debemus, hunc in modum.

Η. ΠΟΛΙΣ. Η. ΤΩΝ. ΑΛΕΞΑΝ
ΔΡΕΩΝ. ΚΑΙ. ΕΡΜΟΥΠΟ
ΛΙΣ. Η. ΜΕΓΑΛΗ. ΚΑΙ. Η. ΒΟΥ
ΛΗ. Η. ΑΝΤΙΝΟΕΩΝ. ΝΕ
ΩΝ. ΕΛΛΗΝΩΝ. ΚΑΙ. ΟΙ.
ΕΝ. ΤΩΙ. ΔΕΛΤΑ. ΤΗΣ. ΑΙ
ΓΥΠΤΟΥ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΤΟΝ. ΘΗ
ΒΑΙΚΟΝ. ΝΟΜΟΝ. ΟΙΚΟΥΝ
ΤΕΣ. ΕΛΛΗΝΕΣ. ΕΤΙΜΗ
ΣΑΝ. ΠΟΠΛΙΟΝ. ΑΙΛΙΟΝ.
ΑΡΙΣΤΕΙΔΗΝ. ΘΕΟΔΩΡΟΝ.
ΕΠ. ΑΝΔΡΑΓΑΘΙΑ. ΚΑΙ.
ΛΟΓΟΙΣ.

NO-

Digitized by Google

NOVA LITTERARIA.

ULPHILAE VERSIONEM GOTHICAM NONNULLORUM CAPITUM EPISTOLAE PAULI AD ROMANOS, venerandum antiquitatis monumentum, pro amiſſo omnino atque adeo deperdito per multa ſaecula ad hunc usque diem habitum, & DUO IV. EVANGELIORUM FRAGMENTA GRAECA, SAECULO VI. SCRIPTA, incognita hucusque litteratiſſimis hominibus, propterque lectiones variantes lectu digniſſima: tres has remotiſſimae aetatis reliquias e litura codicis cuiusdam manuſcripti reſcripti Auguſtae, quae Guelpherbyti floret, Bibliothecae, erutas, dandasque propediem foras, orbi litterato annuntiat, & de indole atque conditionibus, quibus ſplendidiſſima horum monumentorum editio prodibit in publicum, nonnulla praefatur FRANCISCUS ANTONIUS KNITTEL, Metropolitanae Eccleſiae apud Guelpherbytanos Archidiaconus.

Sola IV. Evangelia, ex omni totius ſacri codicis verſione Gothica, quæ auctore Ulphila e græco fiebat, ætatem tuliſſe, & ne integra quidem, ſed manca nimis valdeque mutila, ſupereſſe; omnium vero reliquarum præclari huius operis partium, iniuria temporis, hominumque latinorum, qui hæc barbara parum curarunt, negligentia, iacturam feciſſe orbem litteratum, quotus quisque eruditorum eſt, qui ignorat? Fuere, fateor, qui quaſi digitum ad bibliothecas, in quibus amiſſos hos Ulphilanos theſauros latere arbitrabantur, confidentiſſime intendebant; ut *Iac. Uſſerius* in Fr. Iunii Gloſſario Gothico, p. 14. nihil tamen ad hunc usque diem hæc, tam confidenter indicata reconditarum litterarum armamentaria elargita ſunt, quo inopia, qua hoc in genere per multa ſæcula ſanctior laborat litteratura, levari poſſet. Decepti, ſi quid video, ſunt harum rerum arbitri & teſtes ambiguitate, cui vis atque poteſtas nominis *Gothici*

ſubiecta eſt. Quo quidem nomine venire ſæpius apud recentioris ævi ſcriptores ſolet, quicquid locupletiſſimæ *Germanorum* linguæ antiquitatem redolet. Errans ſane & vaga notio! Alii, opinione ſatis probabili ducti, amiſſas has de manibus eruditorum prædas gothicas e *Germanorum* bibliothecis recuperandas eſſe, ſolisque fortaſſis noſtratibus harum inveſtigationis gloriam relictam fore, augurabantur; *Tho. Mareſchallus* inprimis, in Obſerv. de verſ. Gothica, pag. 485.

Experti nunc tandem aliquando, quod felix fauſtumque toti eruditorum ſit reipublicæ, vident Germani noſtri, quod hi perſpicaciſſimi viri exteri feliciſſima proſpiciebant coniectura.

Duo enim, & quod excurrit, anni ſunt, cum incidi in *codicem* quendam *Manuſcriptum Reſcriptum*, membranaceum, pervetuſtum, Iſidori, Epiſcopi olim Hiſpalenſis, Originum libros, textu, ut cum diplomaticis loquar, ſuperſcripto, continentem, qui quidem textus iisdem priſcarum litterarum notis, quas in aere incidendas curavit *Mabillonius* in *Re* ſua *diplomatica* p. 351. Tab. IV. ſub titulo I. ex codice Corb. n. 257. ſcriptus eſt.

Habet hunc codicem ſub ſigno ſuo, ſervatque poſteritati celeberrima apud Guelpherbytanos bibliotheca Auguſta. Eſt litura eius vel textus antea ſcriptus, nunc raſura interruptus maleque adflictus, ubi obrutum *Iſidori* ſcriptura, avaraque recentioris librarii manu defoſſum, invenimus theſaurum noſtrum gothicum. *Exhibet enim huius codicis reſcripti textus antea ſcriptus, inter alia veneranda antiquitatis monumenta, verſionem nonnullorum capitum epiſtolae Pauli ad Romanos, ſcriptam eadem lingua, iisdemque litteris, qua utitur e quibusque conſtat* CODEX ARGENTEVS, unicum illud huc usque verſionis Ulphilæ monumentum, magnaque famæ ſuæ celebritate etiam mediocriter litteratis notum. *)

Diſ-

*) Imaginem huius fragmenti adcuratiſſimam, in calce programmatis ſui, radio exſcriptam excuſamque oſtendit Vir Doct. quam nos rectius, ubi ipſa editio prodierit, quam hoc loco, repetemus. Nunc ſuffecerit, ipſius operis ideam, lectoribus, verbis editoris proponere.

Digitized by Google

Diſcrepat hæc magni, quam eruimus, Gothorum Epiſcopi verſio, nonnullis in locis a græco, quem ad cetera vehementer ſequitur, totidemque fere transfert verbis, variantesque, ut vocant, lectiones prodit, nec Millio, nec Wetſteinio, at quantis hoc in genere viris, unquam lectas, lectuque ſane digniſſimas.

Occurrunt in ea vocabula quædam gothica, quibus Argenteus Codex omnino caret, quorumque arguta ſignificatio digna ſane magni interpretis prudentia eſt, multum, mea quidem ſententia, & Gothorum & Germanorum linguæ indagatoribus profutura.

Quid multa? Scatent hæ Gothorum reliquiæ antiquitatis documentis, quæ dudum effuſam novitatis gratiam his noſtris temporibus denuo conſequuntur, quæque non modo videbit, ſed etiam ſtudio omni viſenda putabit, quivis communium litterarum politiorisque humanitatis amator.

Verſio latina ad latus Ulphilanæ ſcripta, in qua plurima antiquitatis effigies, ad computandos annos, quos habet codex noſter gothicus, perutilis atque adeo perneceſſaria eſt.

Ex eadem, qua gothica invenimus, litura codicis noſtri, (compilavit enim, ne ſibi membranæ deeſſent, Iſidori librarius varios ſummæ antiquitatis codices,) eruimus *magnum fragmentum duorum, IV. Evangelia exhibentium, codicum graecorum.* Litteræ, quibus horum alter ſcriptus eſt, quam prope accedunt ad ſimilitudinem earum, quas David Casley in libro ſuo, qui inſcribitur: A catalogue of the Manuſcripts of the King's library, profert Tab. XI. ſub titulo: Titus cxv. Ioh. xiv, 6. Alter vero eadem, qua Codex Alexandrinus, videtur eſſe manu.

Lectiones variantes, quas in utroque codice invenimus, ſunt circiter ccc. numero. Dantur inter illas, quæ nullis codicibus, aut ſolis modo verſionibus, quorum copia eruditis huc usque facta eſt, propriæ ſunt.

Maxi-

Maxima vero earum pars codices ſequitur vetuſtiſſimos, & quidem græcos probatæ fidei, meliorisque notæ.

Taceo orthographiam, quæ ad conſuetudinem monumentorum antiquiſſimorum compoſita eſt; taceo litterarum compendia, & quæ ſunt generis eiusdem, quorum notitia criticorum rationibus valde conducit.

Hæc de argumento operis noſtri deguſtare, e re lectorum eſſe arbitrati ſumus.

Age vero, formam ipſam, qua tria hæc veneranda antiquitatis monumenta propediem in publicum prodibunt, explicabimus nunc enodatius, eo animo atque conſilio, ut libri noſtri inſtitutum quoddam, quædamque adumbratio, lectoribus opportune quaſi obviam veniat, ex qua fingere poſſint atque præmeditari, quale ædificium ex his græcis gothicisque ruinis futurum ſit.

I. Præfatio operis, quod latine ſcripſimus, aperte & breviter inveſtigationis monumentorum fortunam, & quicquid ſubſidii, difficultatis, atque laboris, in iis e tenebris revocandis habuimus, enarrabit, grataque colet memoria, quicquid a viris doctiſſimis, quos inter illuſtri loco poſitos veneramur, ad hoc noſtrum opus augendum, ornandum, & promovendum profectum eſt.

II. Sub præfationem apparebit, ſuoque iure primum locum occupabit, ipſe fragmenti gothici textus, litterarum typis, gothicæ linguæ propriis, exſcriptus, & integer quidem, nullisque lacunis hians, ut eum, quod Dei erat beneficium, in lituris, ut nunc ſe quidem habent, invenimus. Exſcripſimus eum ſumma fide, accurateque, omniaque eius verba, atque adeo litteras ſingulas, novies, & tam diu contulimus cum tabulis authenticis, dum in omnibus his ſuis partibus cum ſcriptura exemplaris noſtri congrueret. Delapſis vero hoc in negotio nobis in difficultates, regulæ, quibus uſus eſt Ulphilas, grammaticæ, erant ſubſidio. Hæſiſſemus ſæpius, niſi hæ nos expediſſent. Non diffitebor quidem, exaruiſſe paucis in locis partim, partimque abraſas eſſe litteras eius ita, vix iam ut appareant: at ſumma oculorum intentione, quorum acerrimum,

rimum, qui in nobis eſt, ſenſum, Deo grata mente acceptum referimus, hac igitur effecimus, ut nihil earum effugeret obtutum noſtrum.

III. Gothicum, uterque IV. Evangeliorum textus græcus excipiet, eadem cura atque ſollertia a nobis transſcriptus, lacunarumque fere expers, ſi paucos exceperis locos, in quibus violenta Iſidori ſcriptoris manus radicitus eum ſuſtulit atque extraxit.

IV. Venio ad commentarium noſtrum, cui tertium in opere ipſo dedimus locum.

Primum eius *Caput* agit de magno Manuſcriptorum Reſcriptorum uſu in re diplomatica, viasque tradit, tritas nondum nec celebratas, quæ deducunt ad ulteriorem variantium Novi Teſtamenti lectionum, quæ latuerunt hucusque, & abſconditæ fuerunt, indagationem.

Secundum Caput indolem Codicis Reſcripti Iſidori ſummatim pertractat, diſſeritque *de duobus textibus*, *quos litura eius praeter eos, quos iam deſcripſimus, continet. Horum alter eſt graecus Phyſici cuiusdam antiquiſſimi*, qui de fructibus arborum agit. Ignotum ſane eruditis opus, cuius mentionem & veſtigia in bibliotheca Fabricii græca, & alibi, fruſtra quæſivimus. *Alter conſtat ex verſione ſacrae ſcripturae latina*, quæ magnam ſane præ ſe fert antiquitatem.

Tertium & quartum Caput, tum gothicum, tum græcos IV. Evangeliorum utrosque textus, ponderibus criticis examinant, lectionesque eorum variantes, cum illis, quas Millio & Wetſtenio debemus, collatas, recenſent.

Quintum Caput affert argumenta, e quibus elicitur, gothicam, & eam quidem, quæ auctore Ulphila e græco fiebat, eſſe verſionem, quam & in noſtro, & in Argenteo Codice legimus.

Digitized by Google

Sextum Caput id, quod hoc in genere contra dictum eſt a Viro doctiſſimo, Maturino Veyſſiere de la Croze, refellere conatur.

Septimum denique & ultimum *Caput* docet, quam lætos & uberes fructus ex hac Ulphilæ verſione gothica res capiat criticorum ſacra, quamque late monumenti huius pateat utilitas.

V. In collectione documentorum, ad quorum auctoritatem in commentario noſtro provocavimus, commendabunt ſeſe in primis lectoribus:

a) *Ioh. Georgii Eccardi epiſtola, de numis quibusdam ſub regimine Theodorici Oſtrogothorum regis, in honorem Imperatorum Zenonis & Anaſtaſii cuſis*, ad maxime reverendum D. Anſelmum Bandurium, Monachum Benedictinum, & magni Etruriæ ducis Bibliothecæ præfectum.

b) Item *Catalogus omnium Manuſcriptorum Reſcriptorum Auguſtae, quae Guelpherbyti floret, bibliothecae*, quem primum hoc noſtro opere publici iuris facimus.

VI. En denique tabularum argumentum, in quibus textuum nummorumque quorundam imagines incidendas curabimus, quas elaboratas ſumma artificis induſtria, &, quod caput hoc in genere eſt, ad tenue elimatas, tibi, emtor future, promittimus.

Tabula I. ſiſtit unam paginam textus gothici, una cum textu ſuperſcripto.

Tab. II. eandem ſine textu ſuperſcripto, ad imaginem eius diſtinctius repræſentandam.

Tab. III. exhibet unam paginam textus A IV. Evangeliorum græci, una cum textu ſuperſcripto.

Tab.

Digitized by Google

Tab. IV. eandem ſine textu ſuperſcripto.

Tab. V. refert unam paginam textus B IV. Evangeliorum græci, una cum ſuperſcripto.

Tab. VI. eandem ſine textu ſuperſcripto.

Tab. VII. continet nonnullos verſiculos textus græci Phyſici antiquiſſimi, una cum textu ſuperſcripto.

Tab. VIII. apparent nonnulli verſiculi antiquiſſimæ verſionis S. S. latinæ, una cum textu ſuperſcripto.

Tab. IX. exſtat textus Codicis Argentei, ad exemplum, quod in *Ulphila* ſuo *illuſtrato* dedit in aere inſculptum Cl. Ioh. Ihre, vir de verſione Ulphilæ optime immortaliterque meritus, accurate expreſſus.

Tab. X. dabitur imago vetuſtiſſimæ ſubſcriptionis cuiusdam gothicæ, quæ in Ioh. Bapt. Donii inſcriptionibus antiquis, ab Ant. Franc. Gorio Florent. CIↃIↃCCXXXI. editis, p. CCCLXXXXVI. occurrit, cuiusque ſenſum doctiſſimus ſagaciſſimusque Anglus, Edwardus Lye, Editor ſacrorum Evangeliorum verſionis gothicæ, ex codice Argenteo emendatæ atque ſuppletæ, cum interpretatione latina & annotationibus Erici Benzelii, in præfatione ſua p. XXXV. feliciſſime exputavit; quam quidem interpretationem foenerari, eique novam afferre lucem, conabimur in commentario noſtro.

Tab. XI. inſculpta eſt Imago textus Codicis Alexandrini, ad exemplar, quod Casley in opere ſuo Tab. XI. dedit.

Tab. XII. inciſi ſunt nummi, quos Eccardus in epiſtola ſua deſcripſit.

Dicamus poſtremo paucis, in quam figuram habitumque librarium formata, & ſub quibus conditionibus, hæc monu-

mentorum editio propediem, favente ſummi numinis gratia, prodibit in publicum.

I.

Imprimitur opus novis elegantiſſimisque typis, in ſchedis melioris notæ, quater plicatis, ſuetisque paullo maioribus, ſumtibus maioris, quod Brunſuigæ floret, Orphanotrophei, ſub auſpiciis atque auctoritate Sereniſſimi Brunſuicenſium ac Luneburgenſium Ducis CAROLI, indulgentiſſimi patriæ bonarumque artium Patris, Statorisque.

II.

Exibit, atque in vulgus emanabit liber, via, quam vocant alii prænumerationis, alii ſubſcriptionis.

III.

Conſtabit Exemplar prænumerantibus uno ducatu aureo (un ducat) i. e. 3. thaleris imperii german.

IV.

Proſtabit, omnibusque ſuis numeris & partibus perfectum expletumque erit totum opus, tertiis, quæ a. r. ſ. CIϽIϽCC. LIX. celebrabuntur Lipſiæ, nundinis, id eſt calendis Octobris imminentis CIϽIϽCCLIX. anni.

V.

Quæ quidem nundinæ & prænumerationis erunt terminus.

VI.

Decurſo prænumerationis tempore, maiori pretio, nempe 1½. ducatu, vendet exemplar orphanotropheum.

VII.

Priusquam vero operi edendo manus admovemus, præſto nobis ſit oportet certus prænumerantium numerus, quo-

quorum pecuniæ ſufficiant ad ſumtus ſuppeditandos, qui in opus excudendum neceſſario impendendi ſunt. At enim, ſi præter omnem, qua ducimur, ſpem, exiguus, vixque hoc in genere in numerum veniens, Subſcribentium numerus nos doceret, quam parum labores noſtri huius arrideant ſæculi genio: cedemus tempori ſine ulla mora, deponemus de manibus inchoatam telam, eamque poſteritati, ſi qua fuerit, fortunatiori, pertexendam relinquemus. Quo quidem caſu, ſimul ac nos fortuna in eum demiſerit, remiſſuros nos eſſe ſtatim, & ſine ulla recuſatione, unicuique prænumerantium ſuam nobis ante diem numeratam pecuniam, ſancte promittimus, inque nos recipimus.

VIII.

Stat autem, quo res cunque demum cadent, ſententia, grata, ut par eſt, publicaque memoria colere nomina eorum, quos inſtituti noſtri ſtudioſos, fautores, cupidosque cognoverimus. Valeant e contrario, ſibique ſapiant, ſi fortaſſis dabuntur, (quis enim & hoc in genere fortunam præſtare poteſt?) qui invidia, aut alio mentis morbo calentes, ita a rationibus noſtris alienati ſunt, ut inſtitutum noſtrum prope iam explicatum perturbare, atque impedire ſuarum eſſe arbitrentur partium.

Valeant, inquam,

queis ſordent munera noſtra!

Nulla orietur hac de re nobis altercatio cum illis, nec eorum gememus unquam præſtigiis. Malevolorum enim odia concoquere, generoſoque vindicare ſilentio, prudentis & chriſtiani eſt; iis excandeſcere, non noſtrum.

Habes hic, Lector, doctiſſimi Viri inſtitutum, & reipublicae litterariae in univerſum, & Germaniae inprimis noſtrae, perhonorificum, quod totidem eius verbis huc tranſtulimus. Neque ullum

ullum eſt dubium, (verſamur enim in luce litterarum, quae omnem debet animis noſtris in re tali dubitationem eximere,) quin futuri ſint, magna copia, qui laudatiſſimum iuvandi bonas litteras ſtudium doctiſſimi Knittelii, favore atque promtitudine ſuſtentent, eaque re efficiant, ut lucem videat Codex, quem turpe fuerit, doctorum virorum ſocordia, neglectum queri apud poſteros.

ELISABETA AVGVSTA, Scientiarum atque Artium Promotrix, Optima, Maxima, in legibus Academiæ Imperialis Petropolitanæ, a Se inſtauratæ, clementiſſime prudentiſſimeque iuſſit, *ut Praeſes publicari quotannis curet problema erudito orbi ſolvendum, praemio centum aureorum propoſito illi, qui feliciorem prae caeteris ſolutionem illius argumenti exhibuerit.* Huic munificentiæ, Scientiarum incremento inſigniter profuturæ, ea, qua ſolet, ſolertia reſponſurus *Excellentiſſimus Academiae Praeſes, Praepotens minoris Ruſſiae Hetmannus,* AVGVSTAE *Camerarius ordinarius, Legionis Praetorianae Iſmailovicae Protribunus, Ordinum Equeſtrium S. Andreae, Aquilae albae, S. Alexandri & S. Annae Eques,* CYRILLVS COMES A RASVMOWSKI, ab anno 1749. quotannis quæſtiones curavit proponi, ſub præfata conditione Eruditis ſolvendas.

Accidit autem, ut neque ſuperiori anno CIↃIↃCCLVII. de quæſtione:

Motus diurnos planetarum circum axes proprios, inprimis Veneris vertiginem, accuratius obſervare, & inconcuſſis obſervationibus, iisque novis, una cum poſitione aequatorum, demonſtrare atque definire.

neque hoc CIↃIↃCCLVIII. anno de hac:

1.) *Qua praerogativa conſtent magnetes artificiales prae naturalibus?* 2.) *Quae ſit optima eos conficiendi methodus?*

dus? 3.) *Utrum phaenomena nova, per magnetes artificiales detecta, theoriae magneticae adhuc propoſitae ſatisfaciant? Si minus, ut quis novam eorum phaenomenorum explicationem ſuppeditet:*

tractationes, ſcopum quæſtionum exhaurientes, ſufficientique ad delectum numero, Academiæ fuerint exhibitæ. Hinc eædem quæſtiones in poſterum quoque manent propoſitæ, præmiaque eo tempore conferentur, quo de quaque materia diſſertationes aderunt, quæ iure ſuo ad certamen concurrere poſſunt.

Præterea in annum CIↃIↃCCLIX. propoſita eſt quæſtio:

Sexum plantarum argumentis & experimentis novis, praeter adhuc iam cognita, vel corroborare, vel impugnare, praemiſſa expoſitione hiſtorica & phyſica omnium plantae partium, quae aliquid ad foecundationem & perfectionem ſeminis & fructus conferre creduntur. Praemium itaque, & ſexum plantarum defendentibus, & impugnantibus, offertur.

In annum autem CIↃIↃCCLX. proponitur quæſtio:

Indagare experimentis refractionem radiorum lucis in diverſis corporibus, tam ſolidis, quam fluidis, indeque eruere, quantum diverſae gravitati ſpecificae corporum, quantumque variae particularum cohaeſioni, aut principiis corpora conſtituentibus, magnitudo refractionis debeat; idque omne per theoriam, quae inſtitutis experimentis reſpondeat, explicare.

More autem conſueto, pro ſolutione cuiusque quæſtionis optima, præmium *centum aureorum* promittitur, ſub iisdem conditionibus, quæ adhuc obtinuerunt.

Invi-

Digitized by Google

Invitantur ergo omnium gentium Viri docti, ut æque de hac, ac de prioribus quæſtionibus, cogitata ſua atque obſervata ante diem I. Iunii cuiusque anni cum Academia communicent.

Publicatum Petropoli, in conventu Academiæ ſolemni die VII. Septembris CIƆIƆCCLVIII.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLVIII.

DICTIONNAIRE HISTORIQUE, OU MEMOIRES CRItiques & litteraires, concernant la Vie & les Ouvrages de divers perſonnages diſtingués, particuliérement dans la Republique des Lettres. Par PROSPER MARCHAND. TOME PREMIER.

i. e.

DE VITA ET OPERIBUS VIRORUM ILluſtrium, maxima pars doctrina & litteris claruere, Commentarii critici. Ad Litterarum ordinem ſcripſit PROSPER MERCATOR. PARS PRIMA.

Hagæ Comit. 1758. apud Pet. Hondium, binis, pl. 88. inſuper ornata eſt lineis nonnullis ex aere ductis.

Inter eruditos adeo Proſperi Mercatoris, *Marchand* dicitur Francogallice, nomen eſt clarum, ut vel minimum hodie verſatus in litteris, ſtatim, vel nomine eius audito, in memoriam revocet illius de noſtris ſtudiis, re cognoſcenda libraria præcipue, optime merita.

Pauca ſuper eius vita hic præmittenda duximus, quod æqui boni facias, Lector. Noſter natus eſt Lutetiæ Pariſiorum, ubi, mercaturæ addiſcendæ librariæ a pueris cum navaſſet operam, quod dabatur otium, inprimis rei cognoſcendæ librariæ impendit. Quod ſtudium deinde, in dies in eo auctum, inſignes ſane ad uſum eruditorum communem uberri-

me protulit fructus. Mercatori enim Noſtro fere tribuenda ſunt, ἀνέκδοτα Graece dicunt, omnia, quae Bernardus in Commentariis de re litteraria novis (*Nouvelles de la Republique des lettres*), de ſtatu litterarum in Gallia, uti tunc erat, edidit.

Poſtea Noſter, ut libere, quemadmodum fieri oportet, ſua, quibus initiatus eſſet, facere poſſet ſacra, reformata appellantur vulgo, commigravit ad Belgas, ibique primo, ut antea fecit, mercaturam exercuit librariam. Sed poſtquam in eiusdem mercaturae ſodalibus parum ſenſerat fidei, is maluit, viri boni atque honeſti narramus exemplum, cum rei familiaris detrimento ſe unice dare litteris, quam ad ſodalium morem mala fide, aliter per iſtos non licebat, facere rem.

Neque autem habuit, quod ipſum talis ſtudii, non omnino novi atque inſoliti, poeniteret. Conſecutus enim eſt eo, nec immerito, ut primas fere partes haberet in iis, qui Commentarios de litterarum artiumque ſtatu, qui nunc eſt, (*le Iournal litteraire*) opitulabantur utiliter. Ingenii & doctrinae etiam haud leve documentum edidit, opere de Hiſtoria artis libros deſcribendi machinis (*Hiſtoire de l' Imprimerie*) evulgato. Neque alienis bonis omnino ingenii operibus multis induſtria ac dexteritas deſtitit eius, quin eorum partem ornaret anteloquiis, aut, quod plus eſt, ſuper aliis commentaretur, quae inſtruerent legentes mirifice.

Inſtituit Pet. Bailius (*Bayle,*) audacis an fortis id dicamus animi fuiſſe, neſcimus, opus de Vita virorum illuſtrium, adhibito cum iudicio, ut fertur, ſecundum litterarum contexere ordinem (*Dictionaire hiſtorique & critique.*) Cui inſtituto Noſter adeo favit, ac, quos magnae profecto molis ſuper ea re ediderat Bailius, libros diu fere noctuque lectitavit, ut iis operam poſtea daret ornatius denuo deſcribendis machinarum ope, ſimulque hac lectione adſidua ſtudio veluti adſpiraretur pari.

Conquiſivit igitur, qua maxima potuit diligentia, ad vitam quae pertinebant, ab aliis vero omiſſa, excellentium genere, virtute, litteris artibusve, ad rem librariam quae ſpectabant cogno-

cognoſcendam, maxime. Quod eius ſtudium magnopere adiutum eſt litterarum commercio, quod pæne cum omnibus, in Europa qui tunc florebant litteris ac doctrina, viris, ad mortem habuit usque, quæ a C. n. huius ſæculi anno LVI. evenit. At maiorem, ut ſit, ipſi tulit opem docta librorum ſupellex ad hiſtoriam quod attinet litterariam copioſiſſima, quam non mediocri ſumtu atque iudicio comparaverat ſibi. Hanc teſtamento legavit litterarum artiumque Univerſitati, Lugduni Batavorum habetur, una cum omnibus a ſe ſcriptis, quæ nondum eſſent edita.

In his maximæ utilitatis fore putabat Noſter hoc a nobis ſupra indicatum opus, in quod annorum XL. fere impenderat tempus, ut itaque, quod ipſi denegare videretur mors, edere vellet amicus eius Alamanus (*Allamand*) V. C. rogaverit moriens. En impetravit. Alamanus, vir modo laudatus, adiit Univerſitatis moderatores illuſtres: ei conceſſum eſt facile, ut ab eo ederetur hoc Mercatoris opus. Ille promiſſum ſolvit: eiusdem cura & ſollicitudine nuper prima pars machinis deſcripta prodiit, altera ſequetur mox.

Ne vero id, qui legas hæc, te ſinamus fugere, Noſtri opus, quod nunc enarraturi ſumus paucis, forma & ratione plane reſpondet Bailii libris, ſuper re ſimili editis ac Coſepiei (*Chauffepié*,) qui illius argumentum admodum ampliavit, item ad litterarum ordinem: ſed alia, quæ argumenti eſt largitas, ab iſtis omiſſa, continet.

Primus omnium, quorum vitam illuſtravit Noſter, eſt *Eraſmus Alberus*, quem nonnulli falſo Albertum nominant. De eo id memoratu eſt dignum, quod, cum Ioachimus II. Imperatori eligendo Septemvir Brandeburgicus eum ornaviſſet munere ſibi dicendi de ſacris, eoque ille per aliquod tempus functus eſſet laudabiliter, idem deinde ſe contulerit Vitebergam, ibique Lutheri uſus ſit diſciplina. Inter ſcripta eius plurima inprimis recenſeri debet illud famoſiſſimum, cuius index eſt: *Der Barfüſſer Münch Eulenſpiegel und Alcoran*, editum primo Vitebergæ cum anteloquio Lutheri, per Ioh. Lufft A. C. n. CIↃIↃXLII. quaternis.

Digitized by Google

II. *Bartolomaeus Albitius*, cognomine Piſanus, (*Barthelemi Albizi ou de Albizis, ſurnommé de Piſe*) monachus ex iſtis, qui ad regulam Franciſci vivere obſtricti ſunt, vixit ſub finem ſæculi XIV. Is unice fere nobilis fuit libro, cui indicem fecit: *de Conformitate beati Franciſci ad vitam Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Magno tunc applauſu hic a ſuo gregi præfectis exceptus eſt liber, cuius nunc vel iſtos poenitet ipſos, poſtquam in eo certiſſima ſuperſtitionis & impietatis documenta detexit Eraſ. Alberus, libro, quem ſupra indicavimus.

III. *Alaſius*, ſive potius Aleſius (*le Sieur D. V. d' Allais*) nobiliſſimo genere natus in Galliæ parte, Languedocia dicitur vulgo. De cauſſa nominis eius ambigeunt eruditi; alii volunt, id nominis eum accepiſſe ab Aleſia oppido Languedociæ, quod ibi eſſet natus: alii, quorum opinio nobis veriſimilis eſſe videtur, contendunt contra, iam ante hunc Aleſiorum familiam in eadem claruiſſe terra. Varia edidit ſcripta, ex quibus præcipue hic memorari debet fabula iſta affabre ficta, de Populis terræ auſtralis incognitæ, (*Hiſtoire des Sevarambes*). Opus eſt elegantiſſime ſcriptum, ſed anguis latet, ut aiunt, in herba: quædam enim inſunt loca, ex quibus veluti per cuniculos doctrinam de re chriſtiana petere videtur, ut itaque magnos excitaverit clamores apud eius rei ſcientes. Ceterum hic non confundendus eſt cum alio eiusdem temporis Gallo, cuius nomen eſt Ioh. Baptiſta Alaſius.

IV. *Ioh. Andreas Mediolanenſis*, qui floruit ſub finem Sæculi XV. magis recognitione librorum, qui machinis deſcribebantur, quam ſcriptoris nomine. Hic educatus eſt ac litteris inſtructus a Victorino Feltrenſi, qui tunc publice profeſſus eſt litteras in artium litterarumque Univerſitate Mantuana. Præter ceteros honores etiam a Bibliotheca Pontifici maximo fuit. Venerunt eo tempore Germani duo (*Conrad Schwenheym und Arnold Pannartz*) Romam, atque artem deſcribendi machinis libros eo deportavere una; quibus Andreas ex Bibliotheca Pontificia codices exaratos calamo præbuit deſcribendos machinis, ipſe epiſtolas dedicatorias ac præfationes addidit, & curam recognoſcendi inter deſcribendum libros ac pur-

purgandi, ſi quid pravi excidiſſet machinis, ſuſcepit. Andreæ igitur debemus curæ T. Livii editionem Romæ factam A. C. n. cIↃcccccLXIX. folio; item Gellii eodem anno; Plinii maioris inſequente anno; Strabonis eiusdem ſæculi A. C. n. LXXI. atque id genus aliorum.

V. Iacobus Angelus (*Giacomo Angelo, Angelico ou Angioli*) Florentinus, vixit ſub finem ſæculi XIV. & initium XV. Hic præcipuo notus eſt eo, quod Claudii Ptolomæi Geographiam vertit latine.

VI. De Satyra iſta acerba contra Garaſſum (*Anti-Garaſſe*) agit Mercator, qui incuſat Balietum (*Baillet*), eiusque commentatorem, negligentiæ atque incuriæ, ille quod nihil præter annum, quo iſta ſatyra edita eſſet, (nempe Lutetiæ Pariſiorum a C. n. cIↃIↃcXXVI.) tradiderit certi; hic autem dubitet, an unquam hoc indice apparuerit liber. Noſter, hanc cum occaſionem cepiſſet, ſimul Balietum auxit in enarrandis libris, quorum indices ab *ἀντί* Græcorum incipiunt, quales ſunt Ant-Abſynthium, Anti-Academici, Ant-Agonia, & quæ ſequuntur.

VII. *Archelaus*, Apollonii filius, ſculptor olim in marmore nobilis, vixit Imperatoris Claudii temporibus, quippe qui, ut eruditorum nonnulli volunt, amore percitus erga Homerum, Archelao fuit auctor, ut in marmore faceret Homeri Apotheoſin celeberrimam, cuius Noſter imaginem quoque pictura lineari ex lamina ænea hic exhiberi curavit.

VIII. De vita Theodori Agrippæ Albinæi (*d' Aubigne*) ſequitur commentarius ſatis largus, quem Noſter cum condidiſſet, edita eſt ab alio Albinæi Hiſtoria ſecreta, ab ipſo ſcripta, ſuisque liberis dedicata. Quod poſtquam cognoverat Noſter, hunc cum alio commentario commutare voluit, ſed morte prohibitus eſt.

IX. *Conradus Badius*, qui artem libros deſcribendi machinis Lutetiæ Pariſiorum primo, ac deinde Genevæ, ſæculo XVI. medio exercuit ſatis cum laude, filius fuit Iodoci Badii, qui fere maius conſecutus erat nomen arte eadem Lugduni & Lutetiæ, ſub finem ſæculi XV. atque initio inſequentis.

Digitized by Google

X. Seraſinus Bancus (*Banchi*), Florentinus, fuit unus ex iſtis rei pontificiæ ſodalibus, qui prædicatores vocantur vulgo. Huius factum eſt conſilio, ut Henricus IV. Galliæ rex a peſtiferis Pet. Barrerii manibus ſervaretur incolumis. Cuius rei hiſtoriam Bancus poſtea litteris tradidit vulgaribus: edita ea eſt Lutetiæ Pariſiorum a C. n. CIↃIↃXCIV. octonis.

XI. Nicolaus Barnaudus ſive Bernaudus (*Bernaud*), Delphinas, artis medicæ ſive chemiæ potius ſcriptor non admodum nobilis ſub finem ſæculi XVI. atque ineunte ſequenti ſæculo. Eius ſcripta invenies pleraque in Theatro chemico ab anno a C. n. CIↃIↃCII. usque ad annum eiusdem ſæculi LIX. Argentinæ codicibus omnino VI. edito octonis.

XII. Bartholomæus Piſanus. Tres ſunt eiusdem nominis Scriptores diverſi, de quibus ſingulis carptim Noſter agit in Obſervationibus: unius ex iſtis iam ſupra facta eſt mentio.

XIII. Iacobus Baſſotus (*Baſſot*) vixit ſub initium ſæculi XVII. Hic ne nomine quidem eſſet notus, niſi ipſe ut recenſeatur eorum in numero, qui eruditis falſa fictaque vendant pro veris, ſua feciſſet hiſtoria, quam prædicat veram, de Teutobocho gigante Teutonum rege, edita Lutetiæ Pariſiorum a C. n. CIↃIↃCXIII. octonis.

XIV. Claudius Bernardus. Huius vita adeo eſt ſingularis miraque, ut eam legendo facile ſpatioſam noctem fallere poſſis; vix tenebis riſum, etſi Catoni ſimillimus ſis.

XV. Bibliotheca Belgica. Liber ſatis eſt notus, quem Noſter auxit, ſubinde emendavit ac correxit, ſimulque enarravit plurimos eodem conſilio compoſitos libros.

XVI. Ioh. Boſcius, vulgo Ioh. a Boſco (*Iean du Bois*). Eius nomen indicaſſe, eum vixiſſe circa annum a C. n. CIↃCCCCLXXVIII. nec fuiſſe eundem, qui ordine ſequitur, hic quidem dixiſſe ſufficiat.

XVII. Ioh. Boſcius, ſive a Boſco, cognomine Olivarius, vixit ſub finem ſæculi XVI. atque initium ſequentis. Hic utramque militiam exercuit, & a Servatoris hominum partibus ſtetiſſe dicitur, & deinde Regis Gallorum etiam. Eius doctrinæ atque ingenii documenta litteris conſignata enumerantur a Noſtro.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Guido Bonatus (*Bonatti*), Florentinus, vixit ſæculo XIII. ſecundum alios medio; alii contendunt extremo. Hic aſtrologiæ ſtudio maxime deditus, cuius etiam quædam monumenta litteris mandata reliquit, ut Librum Aſtronomicum, qui editus eſt primum Auguſtæ Vindelicorum per Erardum Ratdolt a C. n. CIϽCCCCXCI. quaternis, & aliis poſtea in locis ſæpius.

XIX. Nicolaus Bonetus (*Bonet*), cognomine Doctor Proficuus. De eius patria certant eruditi, alii Hiſpanum eum exhibent, alii Siculum, Gallum alii. Hoc certo affirmari poteſt, eum ſecundum Franciſci regulam inſtituiſſe vitam, atque varia de ſua re ſcripta exaraſſe ſub medium ſæculum XIV. Ioh. Albertus Fabricius eius nullam, quod mirum eſt, fecit mentionem in ſua Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis.

XX. Almaricus, ſive Almericus Bocardus, (*Amaulry Bouchard*), Angeliacus. Hic publicis in rebus verſatus magnos adeptus eſt honores, ſimul etiam vacavit litteris. Quid profecerit in his, ſcripta eius oſtendunt varia, ut Apologia feminei ſexus contra And. Tiraquellum, edita Lutetiæ apud Iodocum Badium a C. n. CIϽIϽXXII. quaternis; porro de Architectura Orbis libellus, aliique.

XXI. Andreas Bolangerus, (*Boulanger*), vulgo appellatur Pater parvus Andreas, (*le petit Pere André,*) quo nomine magis eſt notus, quam illo, quod primum dedimus.

XXII. Ludovicus Borbonius Condæus, (*Louis de Bourbon, Prince de Condé*). Quo magis eius vita memoratu eſt dignior, eo minus inſtitutum noſtrum patitur, vel hinc inde carpere quædam: namque ſic, qui nobis propoſitus eſt modus, excederetur tamen.

XXIII. Henricus Borbonius, prioris filius, patrem fere ſuperavit laude. Noſter autem non denuo eum laudare adgreſſus eſt, quoniam id argumentum iam ab aliis antea fuiſſe occupatum viderat, ſed agit potius de morte illius triſti ac funeſta.

XXIV. Ludovicus Borbonius Veromanduanus (*Comte de Vermandois*), filius naturalis Ludovici XIV. Regis Galliæ. De hoc

hoc accipienda ſunt, quæcunque de Giafro (*Giafer*) perſonato in iſta ſatyra ſatis nota, cuius index eſt litteris francogallicis, *Memoires ſecretes pour ſervir a l'Hiſtoire de Perſe*, narrantur.

XXV. Ioh. Botellerius (*Boutiller*). De eius neque patria, neque quo tempore vixerit, inter ſe conveniunt eruditi; pars eum Belgam ferunt; Gallum alii. Neque certo ſciri poteſt in tanta diſſenſione, utrum vixerit ſub finem ſæculi XIV. an XV. Ceterum Iureconſultus fuit non contemnendus, cuius in foro uſus ac doctrinæ documentum litteris conſignatum ad nos pervenit unum, cum hoc indice: *Summa ruralis*, quám melius poſſis cum Dionyſio Gothofredo *civilem* appellare: machinis deſcripta eſt primum Abbavillæ a C. n. CIↃCCCCLXXXVI. binis.

XXVI. Ioh. Campanus Novaricenſis, Mathematicus celebris, vixit primo atque medio ſæculo XIII. Hic vertit Euclidis Elementa geometrica ex Arabico latine, atque expoſitionem addidit. Edita ſunt Venetiis a C. n. CIↃCCCCLXXXII. binis. Invenies alia eiusdem opera enarrata apud Noſtrum.

XXVII. Robertus Caraciolus (*Caracciolo*), vulgo appellatur Robertus de Licio, a patria, quam *Lezé* aut *Leccé* Itali vocant. Hic natus a C. n. CIↃCCCCXXV. Franciſci regulam ſecutus eſt vita. Sed tantum de hoc.

XXVIII. Ioh. Caſa, Italus, vixit ſæculo XVI. Hic inprimis nobilis eſt peſſimi ſane argumenti carmine, quod ei tribuitur, ſcilicet *de Laudibus Sodomiae ſive Paederaſtiae*. O abominandæ rei vocabula!

XXIX. Catharina Medicea. Huius vitam iam alii illuſtraverunt vario modo, & plane diverſo, ut Noſter igitur nonniſi de duabus rebus, quibus illa ſuperſtitione magiæ illicitæ ſuſpecta fuerit, in præſentia ageret. Ad alteram quod attinet, huius reginæ exhibet lineis ex aere ductis amuletum fortaſſis dicas, quod ſpeciem numi oblongi, miro ſane atque obſcuro argumento ſignati, præbet; res autem altera eſt, quod quidam magus ipſi oſtendiſſe dicitur omnes futuros reges Galliæ. Sed Noſter illi in hoc crimine defenſor exſtitit. Viderint alii, quo iure, quave iniuria.

Digitized by Google

XXX. Cato ſuppoſititius, cuius feruntur diſticha moralia, quæ apud maiores magno fuere pretio, nec ullam, quare item non æſtimentur a noſtris hominibus, cum Ioſe. Scaligero comminiſci poſſumus cauſſam, quam noſtri ſæculi faſtidium. Noſter in præſentia agit de iis tantum, qui illa Catonis diſticha verterunt francogallice.

XXXI. Minos Celſus Senenſis. Hunc multi ignorabant adeo, ut fictum nomen putarent, ſub quo Lælius ſive Fauſtus lateret Socinus. Noſter autem probavit contra, Celſum non eſſe perſonatum, ſed verum.

XXXII. Iacobus de Ceſſolis. Hoc eius verum eſſe nomen, quamvis id varie indicetur ab aliis, Noſter contendit. Hic inprimis memorari meretur propter librum de Moribus hominum, & de Officiis nobilium, ſuper Scaccorum ludo a ſe ſcriptum.

XXXIII. Gregorius, aut, ut alii volunt, Robertus Callius (*Challe*). Hic notus itineribus eſt, quæ per omnes fere terrarum regiones fecit, & ſuis quæ inde provenere ſcriptis.

XXXIV. De libro ſingularis omnino indicis atque argumenti agit Noſter. Index eſt italicis litteris, *Chaos del Tri per uno:* Scriptor vero Theophilus Folengus (*Folengi*), Mantuanus, qui mortuus eſt a C. n. CIↃIↃXLIV.

XXXV. Alfonſus Ciaconius, Hiſpanus, natus eſt circa annum a C. n. CIↃIↃXL. Noſter hic tantum agit de opere, quod collegit, & cui indicem dedit Bibliothecæ univerſalis. Inter plagiarios inſignes hic recenſeri meretur, quod ex quamplurimis Scriptoribus, quos laudavit minime, quibus ſuam Bibliothecam inſtrueret, ſumſit.

XXXVI. Nicolaus Cloperus (*Clopper*), vixit ſub finem ſæculi XV. Notum eſt eius Chronicon univerſale, cui indicem fecit: Florarius temporum. Sed Noſter ignorat, an unquam machinis ſit deſcriptum.

XXXVII. Franciſcus Columna (*Colonna*), Venetus, vixit ultimo ſæculo XV. & primo XVI. Conſtat eum ſcripſiſſe Hypnerotomachiam Poliphili, lepidi argumenti librum.

Digitized by Google

XXXVIII. Permiſſionis Comes, dabis L. veniam verbis, (*le Comte de Permiſſion,*) libri hic index, an hominis nomen ſit, dubitatur a multis. Noſter prius affirmat, ibique contineri varias hominum deſcriptiones ſatyricas, qui in regia, & Henrici IV. Galliæ regis tempore, vitam elegerint.

XXXIX. Conradus Leontorius. Cognomen accepit ab oppido in Suevia, qua Virtebergenſi Duci paret, ubi natus eſt a C. n. CIↃCCCCLX. Hic varia ſcripſit, & oratione proſa & verſa, ut Epiſtolarum volumen ad diverſos, Orationes, Carmina multa, aliaque.

XL. Ioh. de Gradibus (*Iean Dégrés*), vixit ſub finem ſæculi XV. & initium XVI. Utilia & rerum ſacrarum interpretibus & iureconſultis edidit opera, ut mirum ſit, quare eius nomen parum notum ſit utriusque conditionis viris.

XLI. De Vita, Factis, ac Moribus Catharinæ Mediceæ ſermones miri, (*Diſcours merveilleux de la Vie, Actions, & Deportemens de Catherine de Medicis*). In hoc libro Catharina Medicea ut peſſima omnium, quæ unquam exſtiterint, feminarum, deſcribitur.

XLII. Antonius Franciſcus Donius (*Doni*). De huius vita ac ſcriptis iam egerat Bailius. Noſter tantum hic aliquot obſervationes lectu dignas addidit ſuper quibusdam illius ſcriptis, quibus nomen ſibi adquiſivit magnum. Accedit, quod etiam illud hic obſervavit ſingulare, duos nempe ex familia Donia Pontifices maximos, Papas vocant, eſſe electos.

At quoniam vidimus, nos iamiam modum noſtri exceſſiſſe inſtituti, his adquieſcemus, & reliquorum, quæ prima hac parte continentur, nomina indicabimus tantum.

Sequuntur igitur XLIII. Matthias Doringius (*Döringk*). XLIV. Ioh. Drovinus (*Droyn*). XLV. Franciſcus Encinaſius ſive a Quercibus (*de Enzinas*). XLVI. Robertus Stephanus pater. XLVII. Roberti Stephani filius, nepos, & pronepos. XLVIII. Gothofredus a Viis Stratis (*Comes d' Eſtrades*). XLIX. Albertus ab Eyb. L. Petrus Fargetus (*Farget* ſive *Ferget*). LI. Ioh. Fuſtus, qui vulgo dicitur Doctor Fauſtus. LII. Iacobus Faber (*le Fevre*). LIII. Gaſto de Foyx tertius, cogno-

Digitized by Google

cognomine Phoebus. LIV. Matthias Flacius (*Francowitz*) Illyricus. LV. Nicolaus a Fraxinis (*de Frenes*). LVI. Gerardus Subloneta (*de Sabionetta*), ſæpius dicitur cognomine Cremonenſis. LVII. Iacomarus Gieleius (*Gielée*). LVIII. Arnulfus & Simon Grebani fratres. LIX. Ioh. Reinardus, alias Grunninger. LX. Ludovicus Guicciardinus (*Guicciardin*). LXI. Armandus Guicenus (*Comes de Guiche*). LXII. Iac. Guiſius. LXIII. Hermaphroditi, index ſatyræ contra Henricum III. Galliæ regem. LXIV. David Homius (*Home*). LXV. Ioh. a Capua. LXVI. Liber de tribus Impoſtoribus. LXVII. Ingoldus.

Ut tandem paucis noſtrum iudicium de hoc libro, cuius argumenti partes enumeravimus, pro noſtri inſtituti ratione edamus, nobis non ubivis principes auctores Noſter ſecutus eſſe videtur: tum multa affirmare, nonnulla negare, quæ amplius indagare debuiſſet: tandem iniquus forte ſit in multis adverſus aliorum ſacrorum ſectatores, Pontificios præcipue. Tantum.

RECUEIL HISTORIQUE ET CRITIQUE DE TOUT ce qui a été publié de plus rare ſur la Ville d' Herculane.

i. e.

COLLECTIO HISTORICO CRITICA EORUM omnium, quae adhuc memorabilia publicata ſunt de Civitate Herculano. Per Dn. REQUIER.

Pariſiis 1754. plagg. $11\frac{1}{2}$. in 8.

Repetuntur hic, quæ antea ab Italis, Venuto, Maffeio, Quirino, Belgradio, Gorio, & aliis, de Antiquitatibus Herculanenſibus memoriæ tradita fuerunt. Præmittitur deſcriptio Veſuvii, & eius incendiorum. Eius tempore, quo Herculanum periit, fato quoque functus eſt Plinius maior. Obitum eius deſcribit minor Plinius L. VI. epiſt. 16. Contigit

 id

Digitized by Google

id anno Titi primo, aeræ Chriſtianæ 76. Ab hoc tempore 26. incendia Veſuvii facta eſſe dicuntur. Eorum, quæ antea obvenerunt, nemo rationem habuit. Quina hauſtum dicitur Herculanum, quum populus aſſideret in Theatro, ſpectaculi cuiusdam cauſſa. Fundatum idem Municipium fuit ab Hercule Phoenicio, qui occiſis in Hiſpania Geryone, in Italia Caco, hic clavam Mercurio dedicavit. Detectio ruderum eius, quando, & qua occaſione coeperit, A. deinceps narrat.

Antiquum marmor requirebat Princeps d' Elboeuf, ædificaturus ſibi Prætorium, anno 1713. Offert ei ruſticus fragmentum marmoris antiqui, quod in ſuo agro invenerat, ſed illud valde modicum. Fodi iubet Princeps ulterius, ut eiusdem generis marmor in maiori quantitate inveniretur: quod dum fit, detegitur Herculis ſtatua, ſculpturæ Græcæ. Creſcente inde ardore fodiendi, inventa ſtatua Cleopatræ, frontiſpicium portæ, ſtatuæ ſeptem virginum Veſtalium, quæ quidem omnes deinde a Principe d' Elboeuf in Galliam miſſæ fuerunt. Veſtigia tandem templi comparuerunt, ornati 24. columnis, & totidem ſtatuis e marmore Græco, quæ poſtremæ Viennam Principi Eugenio Sabaudo dono miſſæ ſunt. Tunc Fiſcus ceſſare has fodinas iuſſit, quæ etiam quieverunt, donec iuſſu Sereniſſ. & Potentiſſ. Regis hodierni, Caroli Bourbonii, Amatoris artium, detectum eſt ſolum totius Municipii, quod per ſedecim ſæcula delituerat in viſceribus terræ. Inveniebantur ibi Theatra, Templa, Picturæ, Statuæ coloſſales & equeſtres, & alia monimenta miræ pulcritudinis, aerea & marmorea. Statua Iovis, inter ceteras, in Templo comparuit, cui inſcripta ſæpius eſſent verba, *ex voto*. Ope funis intro demiſſus Venutus, deprehendit gradus Theatri, in quibus ſedere populus ſolebat, numero 15. & ex reliquiis Inſcriptionis veteris intellexit, hoc Theatrum exſtructum fuiſſe ſumtibus Mammiani Rufi. Scalæ quoque repertæ ſunt, & Vomitorium, per quod ingredi & egredi populus ſoleret. Forma eius figuram ſoleæ equi ferreæ ſiſtit, aut ſi mavis ſemicirculi. Habebat hoc Theatrum & Proſcenium, & Poſtſcenium, præter Orcheſtram. Panem & Circenſes poſcebat populus Ro-

Romanus; panem & Circenſes popoſciſſe etiam videntur Herculanenſes.

Sceleton hominis, inventum in ſcalis domus privatæ, adhuc tenebat marſupium numis fere repletum. Inventi cibi in patinis, inventæ placentæ. Priſtinam hæc ſervabant formam, ſed tacta ibant in cineres. Inter reliquas ſtatuas notabiles ſunt Auguſtæ & Liviæ, ex aere. Sunt etiam quarum brachia & manus ex alio aere conſtant, quam reliquum corpus. Potuit ſtatuarius opus ſuum perficere ad certam usque partem, quam deinde ad lubitum emtoris aptaret. Potuit quoque portio marmoris nimis exigua tale requirere ſupplementum. Aedificia privata ſtructuræ fuiſſe videntur ſatis uniformis.

Sed pergimus ad Picturas. Excellit inter has Theſeus, occiſo Minotauro. Monſtrum ad pedes eius exſtinctum iacet. Adſunt tres iuvenes Græci. Primus genu Herois ſiniſtrum amplectitur. Alter manum eius dextram oſculatur; tertio brachium eius leniter comprimente. Inter hæc puella clavam eius comiter tangit. Inter reliquas picturas nobilis Virginia, comitante patre, & ſponſo Icilio, coram Appio Decemviro. Sedet is in Tribunali, ſimilis iudici, dicturo ſententiam. Multarum interpretatio coniecturis nititur.

Quod ad colores attinet harum picturarum, nimis ruber ſæpe eſt: color, qui frequentius reliquis adhibetur, rubeus. Fundus picturæ uno ſæpe colore ſiſtitur. Tota utplurimum duobus abſolvitur coloribus. Dantur tamen, in quibus tres, aut quatuor diſtinguas. Viridi & cæruleo quoque colori locus datus eſt in his tabulis: quem colorem utrumque veteribus incognitum fuiſſe, recentiores perperam crediderunt. Fruſtra dicunt igitur, quatuor tantum colores veteribus cognitos fuiſſe, album, croceum, rubrum, & nigrum. Optica & menſuris quoque uſi ſunt pictores iſti; quarum artium inventionem Petro della Franceſca, Hetruſco, præcipitanter tribuit Buonarottus. Artem etiam umbras proiiciendi non videntur ignoraviſſe. Præter hæc phiolæ ex cryſtallo, adhuc aqua plenæ, ova integra, nuces iuglandes & avellanæ, extus ſoliti coloris, intus carbo, oculos ſcrutantium ſubiere.

Vaſa vinaria pleraque ventruoſa fuerunt, cum collo arcto. Inventa quoque eſt lucerna ænea, cum duobus ellychniis, inventum auriſcalpium ex aere, & alia eiusmodi.

Interrupti fuerunt foſſorum labores béllo, quod ſuſceperat Rex potentiſſimus. Pace reſtituta, redintegratum opus, complura denuo exhibuit monimenta, in quorum numero fuere ſtatuæ aliquot equeſtres, & coloſſales. Inventus quoque panis eſt, qui veterem formam conſervaverat, & quem cryſtallo includi iuſſit Rex Sereniſſimus. Circa panem hunc hæc legebatur Inſcriptio:

Séligo C. Granii
e Cicere.

Forſitan eiusdem generis fuit cum eo, quem deſcribit Iuvenalis:

Et tener, & niveus, molli ſeligine factus,*
Servatur domino. —

Pſittacus, currum trahens, aurigante cicada, etiam in gemmis obvius eſt. Inter numos, qui hic inventi ſunt, eminent quidem ænei Vitellii, alii medii, alii maximi moduli. Numerantur alias numi Vitellii inter rariores. Ille hic præ ceteris notandus, in quo legitur: *Securitas p. Romani.* Magis obvius ille Veſpaſiani, ipſe quoque hic inventus, verba præferens: *Iudaea capta.* Inter lampades noviſſime inventas, una figuris Spintriis inſignis eſt. Memorat A. & Tripodem, cuius pedes tres totidem ſphynges alatas ſiſtunt, & quem inter ornamenta conclavium ſuorum Rex poni iuſſit, propter eximiam pulcritudinem. Fama quoque iam tum, quum finiretur hic liber, fuit, inventos Herculani eſſe Codices manuſcriptos, qui ſitim virorum eruditorum explere poſſint. Sed iſtarum rerum omnium deſcriptionem exactiſſimam, iconibus artificioſe ſculptis comitatam, promittit litterato orbi, CAROLI, Siciliæ Regis invictiſſimi & clementiſſimi, Litterarum Statoris & Vindicis, incomparabilis providentia, cui iam Primum *Antiquitatum Herculanenſium* Tomum, qui Picturas ibi loci repertas pulcre ſiſtit, opus immortale, & vere regium, grati debemus. De quo nos opere propediem, atque ita dicturi ſumus, ut ſimul Optimi Principis amorem in litteras,

teras, & qui eorum ſtudio tenentur omnes, proponamus exemplum poſteris, & collaudemus.

DISCOURS ET AUTRES OUVRAGES DE M. le Chancelier DAGUESSEAU.

i. e.

SERMONES ET ALIA OPERA CANCELLARII DAGUESSEAU. Tomi II.

Amſtel. 1757. 1. Alph. plag. 8. in 8.

Magiſtratum formant hæc Opuſcula, profecta ab ingenio Magiſtratus præcellentis. Præmittitur vita incluti Galliæ Cancellarii. Natus erat Lemovici 27. Novemb. 1668. Cancellarii munere fungi coepit 2. Februarii 1717. ſed anno poſt Sigilla Regni reddere coactus Principi Regenti. Biennio tamen exacto reſtitutus eſt priſtinæ dignitati. Octogenario maior mortuus eſt 9. Februar. 1751. A tenera inde iuventute aſſiduus lector S. Scripturæ, ſeverus tamen ſemper in Reformatos iudex fuerat. Sequitur ſermo Terraſſonii, habitus, quum epiſtolas Dagueſſovii Curiæ Subſidiorum exhiberet. Iam oculis hominum ſe ſubtraxerat ſermo Terraſſonii; dignus, qui hic iterum exhiberetur.

Sermo I. Dagueſſovii inſcribitur, de Philoſophiæ ſtudio cum ſtudio Eloquentiæ coniungendo. Excerpemus ex eo, ut & ex ſequentibus, ea loca, quæ legentibus præ ceteris placere poſſe videantur. „Traditos ab infantia præiudicatis opinionibus educationis & conſuetudinis, deſiderium gloriæ falſæ nos impedit, quo minus veram attingamus: & per ambitionem, quæ præcipitatur, dum tendit ad elevationem, rebus agendis vacare volumus ante, quam regendis nobis ipſis ſufficimus; iudicare ante, quam cognovimus; immo, ſi dicere fas eſt, loqui ante, quam cogitavimus (pag. 71.). — Magiſtratus non affectabit famam vaſtæ eruditionis, ſi occupationum, quibus par eſſe debet, multitudo, ei negavit acquiſitionem eius; quodſi vero eam omnino conſecutus eſt, non habebit in ore eius indolem

tam

tam ferocem & moleſtam, qua eam induerunt litterati, ſed dulcedinem & modeſtiam, qua natura gaudet, ſpirabit, & ingenioſa diſſimulatione virium ſuarum videbitur meruiſſe gloriam, quæ ſit ſuper omnem invidiam, & amabitur a reliquis, etiam quum eos ad admirationem quaſi adigat. (pag. 89.).

Sermo II. pronuntiatus 1698. agit de cauſſis cadentis eloquentiæ forenſis. „Celebris hæc columna, ad quam olim tot edebantur oracula, hodie fere muta eſt: ingemiſcit, imminere ſibi, ut ipſi tribunali, triſtem ſolitudinem: numerus exiguus ingeniorum nobilium, iudicio populi, ultima ſpes ſunt, & ultimum refugium, ut doctrinæ, ſic eloquentiæ; quæ ſi nobis eripiantur malo fato, inutiliter forſitan requiremus eandem mediocritatem, quam nunc contemnimus (pag. 113.). Artes neglectæ ſunt, deſertæ Muſæ, deſidia victrix eſt diligentiæ, labor conſideratur ut peculium eorum, qui ingenio deſtituuntur, & intermittitur ab omnibus iis, qui ingenio ſe præſtare credunt: ignorantia inſultat doctrinæ; artes timidæ & tremebundæ tenebras coguntur quærere & latibula. Qui primi eloquentiam forenſem ſtabilire ſategerunt, videri volebant omnia ſcire: nos gloriamur, ignorare omnia (pag. 124.)

Sermone III. deſcribitur Advocatorum Independentia. Præſtantiores divinitatis imagines, Reges, quos Scriptura deos terræ appellat, numquam maiores ſunt, quam cum iuſtitiæ ſubmittunt omnem maieſtatem ſuam, & cum, tamquam orbis domini, legum ſimul miniſtri ſunt (pag. 163.). Quæ vivendi ratio indignior eſſe poteſt gloria ordinis, qui felicitatem ſuam quærit in independentia, quam illa viri, qui ſemper agitatur voto & voluntate aliena, qui acquieſcit & irritatur ad nutum partium, & cuius eloquentia ancilla eſt dicteriorum ſcurrilium, quibus ſæpe odio, interdum etiam iis ipſis contemtui eſt, quorum plauſus meruit (pag. 172.).

Sermo IV. animi magnitudinem ſiſtit. „Non temere alia datur virtus rarior, & magis incognita noſtro ſæculo, quam vera animi magnitudo: vix eius ideam ſervamus, eamque imperfectam,

fectam, & imaginem confuſam. Conſideramus eam ſæpe tanquam illarum virtutum aliquam, quæ nuſpiam ſunt, niſi in imaginatione noſtra, quæ non exiſtunt, niſi in ſcriptis Philoſophorum; quam intelligimus, ſed fere exerceri videmus nuſpiam; quæ transgrediens denique fines humanitatis, admirationem magis ſterilem provocat, quam ut excitet ad utilem & laude dignam imitationem (pag. 178.). Dantur, quod certum eſt, heroes omni tempore, & omnium ordinum. Paci, ut bello, heroes ſunt; iique, quos iuſtitia conſecrat, ea potiſſimum laude fruuntur, quod generi humano utiliores ſint, quam quos fortitudo extollit. Deus, perfectiſſimum exemplum veræ magnitudinis, Deus ipſe, fons & plenitudo eius, magis delectatur nomine iuſti iudicis, quam Dei exercituum. Permittit bellum, ſed iubet pacem: & ſi victor imago terribilis Dei irritati & vindicis eſt, iuſtus iudex multo nobilius exemplum ſiſtit divinitatis benignæ & beneficæ (pag. 184.). Magiſtratus vera animi magnitudo deinceps graphice depingitur p. 187. „Nihil aliud negotii dare ingenio ad magna nato, quam ut ſcrupuloſe ſequatur ambages & meandros Proceſſus contorti; ut videat iuſtitiam gementem ſub pondere numeri immenſi formalitatum captioſarum, ita ut remedio omni impar ſit; ut erret & mergatur in dies magis & magis in vaſto Oceano legum antiquarum, & novarum, quarum multitudo a Sapientibus ſemper habita fuit pro indicio certiſſimo reipublicæ corruptæ; — — ut ſemper obſtrictus ſit ad puniendos homines, ſine ulla ſpe correctionis; ut ſuum cuique tribuat, etiam cum nihil exſpectandum eſt præter labores & odia, ita ut Magiſtratus certiſſima ad miſeriam via ſit: hoc vero primarium obiectum eſt, in quo elaborare animi magnitudo Magiſtratus debeat.

Sermo V. continet Elogium Procuratoris Generalis de la Briffe.

Tomum II. aperit Sermo VI. in quo commendatur amor ſuæ cuiusque vitæ rationis. „Homo ſemper æque miſer, & dum deſiderat, & dum deſiderata poſſidet. Aliis ſemper invidet, & ſemper invidiam patitur. Optat ſtatum mutare, ſed

ſed ſæpe eius precibus non annuit Deus, niſi ut puniat. Longe extra ſe raptus per deſideria ſua, ſenex in iuventute, contemnit præſentia,& proſequitur futura: cupit ſemper vivere, neque umquam vivit (pag. 4.).“ Non ſatis roboris habemus ad frænandas animi noſtri perturbationes, ne ſatis quidem ad ſequendum eas. Ecce vitium nobis non minus diſplicet, quam virtus ipſa (pag. 12.). „Perſuaſus, Magiſtratus, ſtatum feliciſſimum eum eſſe, in quo reapſe vivit, omnem induſtriam in eo ponet, ut ſit conſtans eo loco, quem ei Reſpublica concredidit: obediet ei lubens volens; pro ipſa depugnabit, non pro ſe. Reipublicæ eſt, locum deſignare, ubi ſervire ei debeas: tueare tu hunc locum ſemper, & cum dignitate (pag. 24.).

Sermo VII. neceſſitatem ſiſtit ſcientiarum. „Magiſtratus indoctus confundit facta, quæ diſtinguere debebat, & adhibet iudicata, quæ male applicat legibus, quas legit numquam (pag. 45.).“ Multitudo legum faciet, ut temerario conſilio inveſtiget earum plane nullam (pag. 49.). „Multitudo legum non tam fons luminis eſt, oculis inſerviens iudicum, quam velum, quod ignorantiæ ſuæ obtendunt. Iam diu leges manum dextram exſpectant, quæ liberet iuſtitiam a ſuperfluis, inter quas neceſſariæ iacent tanquam ſepultæ; quæ revocet veteres abolitas, ſi quæ laudabiles; quæ perficiat novas; quæ eis vim & vitam addat fideli & ſevera executione; quæ illuminet obſcura, recidat contraria; & quæ cogens eas intra iuſtos limites, excitet diligentiam, & in ruborem det pigritiam, reddatque ſcientiam facilem, ignorantiam contra inexcuſabilem (pag. 73.). Coeperant iuſtitiarii Præfecturæ Bar 1699. Ludovicum XIV, non ut reliqui Galli, ſimpliciter regem appellare velle, ſed addere elogium Chriſtianiſſimi, plane ac ſi extranei eſſent, & Rex Galliæ nihil ad eos pertineret. Hi in ordinem rediguntur Sermone XI. Quietiſmi ſuſpectus erat Fenelonius, Archiepiſcopus Cameracenſis. Eius *Regulas Sanctorum* damnaverat Pontifex. Sermo a noſtro habitus, quum litteræ regiæ patentes, quibus vis dabatur Conſtitutioni papali, inregiſtrandæ eſſent, hic legitur loco XIII. Sermonibus, quorum ſunt XIV. ſubiiciuntur Inſtructiones, pertinentes ad ſtudia eius, qui

munus

Digitized by Google

munus Advocati Regii obire velit. A tanto viro nihil exſpectes, quod non ſit probabile. Commendantur in Iure Civili Domatus; in Iure Eccleſiaſtico Abb. Fleury; in Hiſtoria Iuris Gallici Argovius; in Iure Conſuetudinario Molinæus; in arte Oratoria Demoſthenes & Cicero, inter Gallos Patru, Erardus, le Maitre; in Philoſophia Carteſius & Malebranchius, quibus adiungenda lectio Poetarum, Terentii, Virgilii, Horatii, reliquorum.

CASULAE S. STEPHANI, REGIS HUNGARIAE, vera imago & expoſitio, quas publica luce donavit P. ERASMUS FROELICH, S. I.

Viennæ Auſtriæ 1754. plagg. 8. in 4. cum icone caſulæ aeri inciſa.

Adſervatur hæc ſacra veſtis in rerum ſacrarum theſauro Auguſtæ gentis Auſtriacæ, Vindebonæ. Caſula erat, ſed mutata paulliſper antiqua forma, hodie pallium aut pluviale fere refert. Caſula a S. Stephano, primo Hungarorum Rege, Urbis Albæ Regalis Eccleſiæ oblata eſt anno aeræ Chriſtianæ 1031. Præmittitur hic explicatio Iconiſmi Caſulæ. Deinde agitur de Nomine, Uſu, Forma, & Materia veterum Caſularum. Eadem Caſula & Planeta dicitur. Indumentum autem hoc eſt veſtis cucullata, dicta per diminutionem a caſa, quod totum hominem tegat, quaſi minor caſa, unde & cuculla, quaſi minor eſt cella. Sic & Græci Planetas dictas volunt, quod oris errantibus evagantur. Nam Græcum Planetes, errorem latine reddimus.

Vel ex hac caſula p. 26. Rev. Auctor conſtare exiſtimat, veterem Eccleſiam ita ſpem ſalutis in Chriſto repoſitam habuiſſe, ut ſimul S. Deiparæ & Sanctorum imagines in Miſſa proponeret. Ridicula argumentatio. Alloquitur eam in rem Proteſtantes, ſequentibus verbis. *Quam cuperem, ut ſacrum hoc veſtimentum inſpicerent, ac citra obfirmati animi perturbationem conſiderarent Hungariae noſtrae proteſtantes illi, potiſſimum Reformatorum, uti ſe appellant nonnulli, qui S. Stephanum Regem tali religione fuiſſe*

 iactant,

iactant, qualem ipſi profitentur. Sed ex hoc ſacro veſtimento, irrefragabili religionis S. Stephani teſtimonio, alia condiſcant, & ad veteris Eccleſiae ſinum revertantur. Nollemus, abſurda hæc, & pæne puerilia ratiocinia, & ſi diis placet perſuaſoria argumenta, excidiſſe viro alioquin incomparabilis doctrinæ. Sed Ieſuitæ ſermo eſt. Sæculo XI. quo confecta eſt hæc Caſula, iam tot fæces adhæſerant religioni Chriſtianæ ex cultu Eccleſiæ Romanæ, ut ſpes omnis dudum decollaverit, quemquam e Proteſtantibus fore, qui hac Caſula moveatur, niſi forte ſtipes ſit.

In eadem linea, in hac Caſula, diphtongus eadem, & AE & Æ & E ſcribitur; quod non indicio eſt, eandem & hodie ſic ſcribi debere, ſed tum ſic ſcriptam fuiſſe. Exemplo enim Inſcriptionum vetuſtiſſimarum, rectius ambæ litteræ ſeparantur. Occurrunt hic etiam tria puncta. Sequitur ſchema Chronologicum Coronationis Regum Hungariæ, ubi mentio fit Pallii S. Stephani. De Coronatione Leopoldi, Theatrum Europæum conſulens A. Tom. VII. pag. 722. invenit, in actis eius Coronationis, minus accuratis, nullam mentionem Pallii fieri ante unctionem. Ceterum, Caſulam hanc inter Inſignia Regni Hungarici unquam fuiſſe, non credit Rev. Auctor. Verum hoc veſtimentum in Theſauro Eccleſiæ Albenſis, cui S. Stephanus illud dono dederat, permanſiſſe opinatur, donec ad theſaurum Vindobonenſem translatum ſit, quod eveniſſe ſuſpicatur anno 1543. Egerat de hac Caſula, ſed minus accurate, Petrus de Reva, Comes Turocenſis, in libro de S. Coronæ Regni Hungariæ ortu. Mentio quoque eius Caſulæ fit in Ludewigii reliquiis Manuſcriptorum Tom. VI. num. IX. pag. 339. Eſt autem c. l. hic titulus: Modi in Coronatione Regis Hungariæ obſervandi. Suppleri ex Noſtro poſſunt, quæ Notitiæ ibi allatæ deſunt.

REGIAE IN POLONIA DIGNITATIS ORIGINES Commentatione hiſtorico - critica requiſitae a WOLF BALTHAS. ADOLPHO de STEINWEHR.

Francofurti ad Viadrum 1758. plagg. $7\frac{1}{2}$. in 4to.

Gra-

Digitized by Google

Gravis eſt quæſtio, quo tempore Regum titulo & dignitate uti coeperint Duces Poloniæ: uti, quæ ad gentium ſplendorem principumque pertinent, vel exorientem primum, vel novis veluti radiis adauctum, ſunt omnes. Receptam ſententiam, qua Otto III. Imperator Ducem Poloniæ Boleslaum Chrobri, honore Regis auxiſſe fertur, noviſſime tueri ſategit Vir Ampliſſ. *Io. Gottl. Boehmius*, docta ſcriptione de Origine regiæ dignitatis in Polonia. In contrariam partem propendens Generoſiſſ. Auctor, retractandum ſibi hoc argumentum putavit. Expoſita inſtituti commendatione, oſtenditur Sectione II. originem regiæ dignitatis in Polonia nec ad Ottonem I. nec ad II. Impp. referendam eſſe, Miſiconi adeo non contigiſſe eſſe tam fortunato. Recenſetur dein nubes auctorum, qui Boleslaum Chrobrium ab Ottone III. regem appellatum perhibuerint. ea ſententia quam ob rem diſpliceat, generatim docetur in Sect. IV. Sequitur iter Ottonis III. in Poloniam; recenſentur eiusdem cauſſæ; notantur Sarnicius & Barrius. Proxima, ſplendoris ducalis documenta. Coronatio item, ut vulgo narratur. Notatur poſthæc Sarnicii confidentia, & accuſatur Lubienii protervitas, male ſibi conſtantis. Sed illud aſſerendæ Boleslao coronæ, a teſtium multitudine petitum, argumentum, tum generatim primum expenditur, eoque facto, Martini Galli, Kadlubkonis, Boguphali Poſnanienſis, antiquiſſimorum Poloniæ Hiſtoricorum, fides minus tuta eſſe arguitur in Sect. IX. Ditmarus dein Merſeburgenſis, aliter ac vulgo fit, explicatur, & negatur ſimul, formulæ, tributarium facere dominum, vim eandem eſſe ac Regem facere. Alius obſcurior Ditmari locus, quo Otto III. antiquam Romanorum conſuetudinem, iam magna ſui parte deletam, renovaſſe dicitur, de pompa, paratu, obſequii ſtudio, capitur in Sect. XI. Proximum eſt Epitaphium Boleslai, quod ad ævum Boleslao proximum referendum eſſe negatur; &, ſubſequenti tempore compoſitum, laudis, adulationis, communis ſi placet famæ multum, veri nihil continere, recte aſſeveratur. Poſt Curæum diinde a Ludewigio in transcurſu defenſum, urgetur ſilentium Ditmari, qui iter & reditum Imperatoris late deſcribit, de regia

gia vero appellatione ac coronatione omnino ſilet. Odio nihil dediſſe Merſeburgenſem, nec volentem occultaſſe quod factum eſſet, contenditur in Sect. XV. & XVI. ubi notabilia verba pag. 51. „Tantamne innatam vecordiam Ditmaro, ut coram oculis atque in conſpectu tot hominum acta non negare quidem auſus, qui enim id poſſit? attamen velut ænigma ſpargat in vulgus, iaciatque? Accedit in Sect. XVII. quod Boleslaum non Regem, ſed Ducem nominant Hermannus contractus, Chronographus Saxo, Marianus Scotus, Wippo, Otto Friſingenſis, Chronicon Quedlinburgenſe, Annaliſta Saxo, Gregorius VII. rel. unde Boleslai coronationem iam olim fabulis annumeraverat Franc. Marinius, ſive Ioannes Sachſius, Secretarius Thorunienſis, de Scopo Reip. Pol. p. 47. Utrum Boleslaus a Papa coronam rogarit, præeunte Vorburgio, dubitatur in Sect. XVIII. Tandem Sectione ultima probatur ſententia Vorburgii, qui in Hiſtor. Otton. Imperio & Germanicæ magnitudini non parum pernicioſum fuiſſe exiſtimat, Ducem Polonorum vel ſolo Regis nomine ac titulo condecorare, eaque ex re id factum negat.

Frantz Rothfiſchers Ablaß und Jubeljahr.

i. e.

FRANCISCI ROTFISCHERI, PHILOS. IN ACADEmia Iulio-Carolina, quae Helmſtadii floret, Prof. Publ. Indulgentiae, & annus iubilaeus. PARS II. de origine iurisdictionis eccleſiaſticae generatim, ſpeciatim pontificiae, tamquam introductio ad rationes proferendas, quibus ad eccleſiam evangelicam permotus eſt. Primae parti oppoſita.

Guelpherbyti 1754. ſumtibus Io. Chriſtophori Meiſneri, Alphab. 4. plag. 2½. in 4.

Primam partem operis huius, oppido memorabilis, in his ipſis Actis noſtris m. Iun. a. 1753. P. II. p. 342. ſ. enarravimus. In ea cum A. ita verſatus eſſet, ut veritatem ſolicite

Digitized by Google

ſolicite quæreret, per gratiam divinam aliter fieri non potuit, quin illam inveniret, eidem victas daret manus, atque, ſocietate eccleſiæ Romanæ miſſa, ſe Evangelico - Lutheranis publice adiungeret. Hinc labor, quem in ſecunda hac parte exantlavit, longe aliter cecidit, atque initio deſtinaverat: non Proteſtantium doctrinam refellit, ſed potius vindicem illius agit, probat, confirmat. Animus erat ſimul rationes tranſitus ſui exponere, ſed quoniam doctrina pontificiorum nititur ſuprema, & falli neſcia, uti ipſi putant, præſulis Romani auctoritate, conſultum videbatur ipſi, ex certis hiſtoriarum monumentis demonſtrare, qua via ad tantam potentiam fuerit graſſatus. Quæ tractatio cum præter opinionem creſceret, poſterius, ut ſc. rationes proferret, quæ ſuaſerunt priores partes ut relinqueret, in ſequentem tertiam partem reiicere eſt coactus. Simulatque acceſſus ipſius ad coetum puriorem innotuit, haud pauci ex prioribus ſociis in ipſum inſurrexerunt, eundemque omnis generis conviciis obruerunt; quibus ipſe tamen, cum iſtiusmodi armis veritas non egeat, paria non retulit, potius intra modeſtiæ terminos ſe continuit. Præſens pars, inſcripta illuſtriſſimo Principi, *Ioanni Baptiſtae,* Abbati S. Emmerami in urbe Ratisbonenſi, cui rationem mutationis ſuæ reddit, & cui pro acceptis beneficiis gratias perſolvit, IV. abſolvitur partibus: (I.) eſt *de origine poteſtatis eccleſiaſticae generatim, ſpeciatim epiſcopalis ac pontificiae* p. 1 - 92. (II.) *De origine epiſcoporum* p. 93 - 197. (III.) *De origine metropolitanorum & patriarcharum* p. 197 - 603. (IV.) *De origine ſuprematus pontificis,* p. 603 - 728.

Cap. I. rem ab ovo ducturus, docet, Chriſtum doctrinam ſuam ſolidis rationibus ſuperſtruxiſſe, ac miraculis confirmaſſe, non vim hominum animis intuliſſe: tantum abeſt ut dominium aliquod eccleſiaſticum ſtabilire voluerit. Idem iniunxit diſcipulis ſuis: nec illi ullum dominium in coetum ſacrum adfectarunt. Primi, qui doctrinam Chriſti amplectebantur, ex Iudæis erant; horum inſtituta, qualia in ſynagogis exercebantur, quod ad externam regiminis eccleſiaſtici formam, ſectabantur. Claves cælorum ius ipſis ad docendum, non dominandum, dabant.

In

In gravioribus negotiis, absque totius coetus conſenſu, nihil agebant: patet hoc ex electione Matthæi & ſeptem diaconorum. Apoſtoli denique epiſtolas ſuas ad integros coetus dirigebant. Apoſtoli ſacerdotum inſtar reliquis non eminebant: in ſynagogis tanquam ſapientes & doctores docebant: inter clerum & laicos diſcrimen erat nullum. Regiminis eccleſiaſtici formam Chriſtus non præſcripſit; neque apoſtoli certis eccleſiis erant adſtricti. Cum impoſitione manuum, qua primum ſic dicti diaconi Hieroſolymitani ornati ſunt, dona miraculoſa erant coniuncta: rationem ſacramenti ritus ille non habuit. Hos presbyteros ſive ſacerdotes habet cl. Auctor, qui apoſtolis a miniſterio fuerint, curam pauperum & viduarum omninoque bonorum eccleſiaſticorum geſſerint, ad quorum exemplar presbyteri, ſive ſacerdotes, in reliquis eccleſiis eſſent inſtituti. Apoſtoli quidem munus docendi ſibi ſervabant, non tamen alios ab illo arcebant; hinc presbyteri alii *docentes*, alii *non docentes* erant, qui generali nomine *ἐπισκόπων* veniunt Act. XX. 17-28. nam inter presbyteros & epiſcopos diſcrimen tum erat nullum. Qui in eccleſia primitiva erant diaconi, illi presbyteris in miniſterium erant addicti, quod etiam in ſynagoga obtinebat. Inter membra eccleſiæ, vi mutuæ conſociationis, ſubſiſtebat æqualitas, unde idem ius ad ſingula ſequebatur, ad eademque officia obſtringebantur; quæ conſociatio per ſigna externa confirmabatur. Nulla ſocietas absque diſciplina conſiſtere poteſt, hinc qui pacto non ſtabant, quique officio ſuo deerant, ſocietatis iuribus per excluſionem, quam excommunicationem vulgo adpellant, privabantur. Umbra aliqua illius conſpecta eſt apud paganos, dum populus a myſteriorum cognitione arceretur; item in diſciplina arcani. Apud Iudæos ſupplebat defectum poteſtatis civilis, nec conſiſtebat in omnimoda excluſione, ſynagogis interdicebantur, templum adire poterant: habebat igitur rationem poenæ civilis. Diſciplina hæc a Iudæis tranſiit ad Chriſtianos, & ex natura conſociationis ſequebatur, qua, quoniam illi, qui flagitioſe vivebant, ſacris excludebantur, ab illa Iudæorum diſtincta, adeoque eccleſiaſtica fuit. Illam non

eſſe

eſſe iuris divini, nec ex præcepto Chriſti inſtitutam fuiſſe, demonſtrat A. ſimulque ad obiectiones, quæ in contrarium ex Matth. XVIII. 15. ſeq. & aliis locis proferuntur, reſpondet. Poteſtas exercendæ diſciplinæ huius, initio reſidebat apud integrum coetum, deinde presbyteris eſt commiſſa, qui tamen propterea non ita ſupra plebem ſacram evecti ſunt, ut diſtinctum ordinem conſtituere inciperent.

Cap. II. eſt de *origine epiſcoporum*. Primi chriſtiani, ex Iudæis collecti, in ſynagogis cultum divinum exercebant, nec inde ſeceſſerunt ante, quam odio tribulium ſuorum excluderentur; quod primum, Luca memorante, Antiochiæ eſt factum. Iudæi Hieroſolymitani, diſciplinam Chriſti ſequentes, eccleſiam ſuam ad modum ſynagogarum inſtruebant: horum exemplum ſequebantur dein eccleſiæ ex gentilibus collectæ. Chriſtiani Hieroſolymitani, quod ex Act. XXI. 20. ſeqq. liquet, in ſynagogis conveniebant, ritibus Iudaicis adhærentes, usque dum ante urbis excidium Pellam ſecederent. Novellis eccleſiis, legati Chriſti, plures uno in maioribus urbibus præfecerunt. Ex his boni ordinis cauſſa aliquis fuit, qui reliquos convocaret, primus ſententiam proponeret, ſuffragia colligeret, atque concluderet; cui tamen in reliquos dominium competebat nullum. Ab hac conſtitutione deflexit *Diotrephes*, reprehenſus propterea a Ioanne, epiſtola III. 9. 10. Talis præfectus in eccleſia Hieroſolymitana fuit *Iacobus*, Act. XV. item *angeli eccleſiae*, ad quos epiſtolæ apocalypticæ directæ ſunt. Horum dignitas occaſione controverſiarum crevit; quas ut componerent, ad præſides eccleſiarum, ab apoſtolis fundatarum, recurrerunt, rati, hos ipſos veram doctrinam per traditionem tenere: ſicque illi controverſiarum iudices ſunt facti, & a reliquis presbyteris fuere diſtincti, quos reliqui eccleſiarum antiſtites dein imitabantur. Porro, eccleſia externa cum interna fuit confuſa, ita ut, qui ab eccleſia externa ſegregaretur, etiam ab interna ſeparatus cenſeretur. Inter eccleſias, ab apoſtolis fundatas, ſucceſſu temporis contentio eſt exorta, quæ alteri præferenda eſſet? Adparuit hoc in lite de tempore celebrationis paſchatis, itemque de baptiſmo hæreticorum. Primas tenuit ab initio eccleſia

cleſia Hieroſolymitana: verum urbe everſa, ob dignitatem imperii data eſt prærogativa hæc eccleſiæ Romanæ, ſed per conſenſum aliquem reliquarum eccleſiarum tantum, non ordinatione divina. A quo tempore, quæ eccleſiæ internæ propria erant, ac inter hæc, quod Spiritus S. illi perpetuo ſit adfuturus, & quod primi eccleſiarum miniſtri ſingularibus eiusdem donis exornarentur, ea externæ ſunt data. Eccleſia Romana hoc ſibi dein ſola vindicavit, ita ut, qui ab illius ſententia abiret, pro hæretico, ſaltim heterodoxo, haberetur. Ita illa ex particulari eccleſia ſenſim in univerſalem transformata eſt. Huius iamdum aliquid Sæc. II. animadverſum, nec tamen hæc regiminis forma, aut epiſcopalis, ſpeciatim eccleſiæ Romanæ, dignitas, uno eodemque tempore adparuit. In diſciplina eccleſiaſtica, excluſione & receptione certorum membrorum, epiſcopis ſuæ erant partes, utpote qui excommunicationis ſententiam pronuntiarent, ac reſipiſcentes, prævia manuum impoſitione, reciperent. Epiſcopos cum Iudæorum ſummis ſacerdotibus poſteaquam comparare coeperunt, fomes ambitioni & contentionibus epiſcoporum datus eſt. Epiſcopi in urbibus ſe ſuper reliquos presbyteros extulerunt, in urbibus minoribus & vicis, qui ſacris præerant, nomen ſuum retinuerunt, *chorepiſcopi* dicti, ſed qui & ipſi ab illis fuere ſubiugati. Origo utriusque dignitatis ab apoſtolis repetitur, cum tamen ſerius nomen, & Sæc. II. & III. demum, innotuerit. Porro, ratione initiationis diſcrimen aliquod erat. Illorum fiebat impoſitione manuum per tres epiſcopos; horum communiter unius: eadem tamen munia utrique obibant. Epiſcopi urbium maiorum, deſignati ab apoſtolis, oppidis atque vicis dederunt paſtores, hi igitur illis erant obſtricti. Dein, in urbibus conſtituebantur viri maioribus dotibus inſtructi, quos hi in gravioribus negotiis ſubinde conſulerent: ſuo igitur modo ab illis pendebant, quod illi in commodum ſuum verterunt, ita ut tandem in hos dominium adfectarent. Comparabant ipſos cum 70. diſcipulis Chriſti, atque argumentum ab ordinatione depromſerunt; unde factum, ut illorum iura imminuerentur, ipſique penitus aboliti; mentio

Digitized by Google

tio tamen illorum adhuc fit Sæc. IX. *periodeutis* in illorum locum ſuccedentibus, qui deinceps *ſuffraganeis* locum fecere. Hinc rationem A. indicat, qua, & quando, epiſcopi presbyterorum numero ſe exemerint. Plures aliquando uni urbi præerant epiſcopi, ſed vero & hi ſunt ſublati, ſubtili argumento, *unus Deus, unus Chriſtus, unus Spiritus ſanctus, unus epiſcopus:* quod Cyprianus iamdum ſuggeſſit, & in concilio Nicæno eſt ſtatutum, *ne in una urbe plures ſimul duo ſint epiſcopi*, a quo canone in diverſis eccleſiis Africanis & Aſiaticis diſceſſum.

Cap. III. *de origine metropolitanorum & patriarcharum*, præmittit A. quædam de viſitationibus eccleſiarum, factis ab apoſtolis & primis epiſcopis, quæ tamen *dioeceſanae* non erant: porro de conciliis provincialibus, quorum convocatio committebatur epiſcopo metropoleos, vel qui alios ætate & eximiis dotibus præcellebant communi conſenſu electis; hi vero ſecuto tempore ſua poteſtate ad multas parochias ſupprimendas ſunt abuſi, ut dioeceſin ſuam latius protenderent. Dum viſitarent eccleſias, iurisdictionem ſibi aliquam arrogabant, quod tamen procedente tempore rarius factum. Metropolitanorum dignitas, partim ad modum ἀρχιερέων, & ἀρχιεπισκόπων apud gentiles; partim, ut ſic eccleſia ad ſtatum civilem conformaretur, inſtituta fuit, eo conſilio, ut, quemadmodum præfecti in civilibus totam moderabantur provinciam, ſic metropolitani res eccleſiaſticas regerent. Aliquanto poſt exorti *titulares*, ſolo titulo ſuperbientes. Quo tempore metropolitani, (quorum iura, tum legitima, tum quæ ſibi vindicaverant, declaravit A.) orti fuerint, definiri nequit: id certum eſt, divinæ inſtitutionis non eſſe, nec ab apoſtolorum temporibus repeti deberi. Quam iis graves lites cum vicinis epiſcopis interceſſerint, exemplis confirmatur. In concilio Nicæno, dignitas patriarchæ Alexandrini cum auctoritate Romani epiſcopi æquata fuit: diſſerit igitur A. de illorum origine, electione, conſecratione, iurisdictione, eademque ampliſſima, de prærogativis denique In gravioribus negotiis, Alexandrini haud raro Romanum in conſilium adhibuerunt; & vice verſa hic illos: igitur inde iurisdictio Rom. Epiſcopi in Alexandr. Patriarcham derivari nullo modo poteſt; quin potius iſtud inſertur,

fertur, quatuor prioribus ſæculis Romano pontifici iurisdictionem in reliquos epiſcopos competiviſſe nullam. In concilio Nicæno, epiſcopus Romanus metropolitanus eſt declaratus. Hinc itum deinceps ad dignitatem patriarchalem. Nomen hoc maturius quidem innotuit, proprie autem dignitas illa ab a. 381. eſt repetenda, quo Alexandrinus patriarchæ nomine inſignitus fuit; a quo ad alios tranſiit, ut ita impediretur, ne alii in aliorum ius ac dioeceſin involarent: hi ipſi etiam archiepiſcopi nominabantur. Epiſcopo Romano, qua metropolitano, eccleſiæ ſuburbicariæ ſuberant, quæ certas tantum, non totius Italiæ, multo minus occidentis, eccleſias, ambitu ſuo complectebantur: Mediolanenſis, Aquileienſis, Cagliaritanus, cui Sardinia & inſulæ Baleares ſubiectæ erant, Flamentinus, Ep. Romano non parebant. Patriarchæ Alexandrino, in concilio Nicæno, proximus a Romano locus datus erat; ſed a quo tempore ſedes Conſtantinopolitana conſtituta fuit, huic cedere debuit. Quo tempore imperatores chriſtiani eſſe coeperunt, eccleſiæ ſtatus inſignem paſſus eſt mutationem; coetus Chriſtiani, qui ante collegia privata erant, publica eſſe coeperunt. Inde multum crevit dignitas Patriarchæ Alexandrini. Proximus erat imperatori; ab hoc qui aliquid exſpectaret, ad illum preces ſuas allegabat; per illum omnia, quæ ſtatum eccleſiaſticum ſpectabant, adminiſtrabantur: dioeceſin quidem tum habebat nullam, nihilo tamen minus epiſcopi magno in honore ipſum habebant. Sedem Alexandrinam aliquoties ſibi ſubiicere Romanus allaboravit, ſed conatus fuerunt irriti: Patriarchæ dignitatem ſuam ad a. usque 630. quo Saraceni Aegyptum occupavere, tuiti ſunt. Epiſcopus Antiochenus, licet provincia ipſius non ſatis ampla eſſet, ex ſententia concilii Nicæni tertium locum occupavit, & Romano æquatus eſt, nec a nutu eius umquam pependit. Sæc. IV. ſe illius rebus immiſcere quidem Romanus coepit, ſed conatu irrito. Tales inſultus & epiſcopi Hieroſolymitani fortiter repreſſerunt, ſtatumque ſuum ſervarunt, usque dum per Saracenos omnia turbarentur. Etiam epiſcopis Aſiæ, Thraciæ, Ponti & Cypri, iura ſua in concilio Conſtantinopolitano ſunt adſerta, ac

ipſi

ipſi αὐτοκέφαλοι declarati: ſed in hos poteſtatem ſibi vindicavit Conſtantinopolitanus, potiſſimum Chryſoſtomus, neque tamen ut vicarius epiſcopi Romani. Hoc ipſum in concilio Chalcedonenſi adprobatum fuit, Theodoſio a. 424. non ſolum adſtipulante, verum etiam præterea Illyricum addente. Tum temporis igitur principes epiſcopi orbis chriſtiani fuerunt præſul Romanus & Conſtantinopolitanus, ita tamen, ut Romanus antiquitate urbis Conſtantinopolitano præferretur. Progreditur hinc A. ad eccleſias Africanas, quæ a quibus, & quando ortæ ſint, incertum eſt. Primas illarum erat epiſcopus Carthaginienſis: extero epiſcopo non erant ſubiectæ: auſibus Romanorum ſe ita oppoſuerunt, ut prævalere non potuerint. Neque ex geſtis cum Donatiſtis, neque ex cauſſa Pelagiana, quidquam in emolumentum ſuum trahere poſſunt. Equidem pro ſuprema epiſcopi ſui auctoritate pontificii provocant ad Auguſtinum, qui illam agnoverit: ſed quam id a verbis & actionibus Hipponenſis abeat, oſtenditur; qua occaſione de relationibus, quas eccleſiæ ſibi invicem ſubmittebant, diſſeritur. Ne vero ex illis, quæ Romam mittebantur, ius aliquod elicerent, a. 418. in publico concilio omnes adpellationes ultramarinæ ſunt prohibitæ. Quibus artibus, alia itemque alia iura Romani pontifices invaſerint, in cauſſa Athanaſiana vel maxime adparuit. Tandem in concilio Sardicenſi a. 347. res eo deducta fuit, ut ſi quis epiſcoporum ſe ab aliis inique habitum iudicaret, ille Romam provocare poſſet, ut tota res de novo cognoſceretur. Sed enim, quoniam concilium hoc non univerſale erat, præterea orientales inde diſceſſerant, hi quidem canonis illius rationem nullam habuerunt; cui ut robur adderetur, Romanenſes effecerunt, ut in codicibus, in quibus conciliorum canones haberentur, canonibus concilii Nicæni illico canones concilii Sardicenſis adiungerentur. Quod quantis motibus inter Africanas & Romanenſem eccleſiam occaſionem dederit, & qua ratione fraudem hanc defendant hodierni doctores pontificii, oſtenditur. Sed illæ libertatem ſuam propugnarunt, ad invaſionem usque Saracenorum. Excutiuntur hic duo loca *Tertulliani* & *Irenaei*, quæ

pro divinitate traditionis eccleſiæ Romanæ proferunt, ſimul, quam parum ſtringant, probatur. Hinc A. agit de officiis patriarcharum, collectione canonum, tum orientalis, tum occidentalis eccleſiæ, qui tandem norma fidei & morum ſunt facti, & fidei dogmatibus immiſti, unde ſcripturæ auctoritas nimium quantum fuit imminuta. Ius eligendi epiſcopos, in oriente potiſſimum, imperatores & reges ſibi vindicarunt. Quare hi tantam epiſcopis poteſtatem in eccleſiaſticis non ſolum, verum etiam civilibus indulſerint, h. l. accurate docetur. Ea ipſa re libertas populi fuit proculcata, ſalva maieſtate imperatoria: tum enim ſtatus in ſtatu nondum coaluerat. Bonorum eccleſiaſticorum primi natales ab indulgentia imperatorum ſunt arceſſendi: ea, quoniam res ſacræ habebantur, alienare integrum non erat, quod ipſum per principum edicta fuit confirmatum, ægre id ferentibus epiſcopis. Per nimiam imperatorum indulgentiam, epiſcoporum auctoritas maxima ſumſit incrementa, unde tot moleſtiæ ſequentibus temporibus ortæ iis ſunt. Opibus & dignitate aucti, de iurisdictione illa amplificanda ſolliciti dein fuerunt: hinc tot clericorum ordines ſunt introducti, integra religioſorum agmina conſcripta, conſecratio iſtorum pro ſacramento haberi coepta. Diaconi in presbyteros commutati, in illorumque locum ſubdiaconi ſuffecti ſunt; ſed vero & hi ad maiores ordines adſpirarunt, de quorum initiatione diverſæ pontificiorum opiniones hic proferuntur & diiudicantur. Diverſos dein ordines ad formam ſacerdotii ſub V. T. adcommodarunt: ad ſacerdotium requirebatur ſacrificium, ſacrificium igitur miſſaticum inſtituendum fuit. Ius ordinandi ſibi vindicarunt epiſcopi, quibus ſolis ſacramentum ordinationis ſacerdotalis diſpenſare fuit datum. Iſtius opinionis falſitas demonſtratur, ſimul, ordinationem miniſtrorum evangelii apud proteſtantes legitimam eſſe, oſtenditur. Ritus ordinationis pontificiæ, ex ritibus conſecrationis ſacerdotum V. T. petiti ſunt. De charactere, qui per ordinationem ordinato imprimatur, A. diſputat. Inter epiſcopum & eccleſiam connubium aliquod ſpirituale commenti ſunt, hinc illorum translationes vetabantur. A quo autem tempore

Digitized by Google

pore paſtores ſacrificii miſſatici miniſtri facti ſunt, ordinatio ab electione ſeparata, nec per illam ordinato certa eccleſia deſtinata eſt. Per titulum ordinationis ſub iurisdictionem eccleſiaſticam conceſſiſſe cenſebantur, quam ipſam agnoſcere neceſſum habuerunt, quotquot primam tonſuram accepiſſent. In pontificia eccleſia ordines obſervari volunt, ſed in illis, qui opibus non valent. Multitudo mox ordinandorum alia atque alia officia poſtulavit: cum ſolus epiſcopus non ſufficeret, ventum ad ſuffraganeos, archidiaconos, archipresbyteros. Per hæc & alia, regiminis forma immane quantum mutata, & doctrina corrupta fuit; cuius corruptionis fontes ex hiſtoria philoſophica cognoſci poſſunt. Hinc ex mente Chaldæorum A. diſſerit de anima mundi, cuius effluvia eſſent dæmones, maioribus corporibus coeleſtibus præpoſiti, itemque animæ hominum præcellentiores, unde heroes. Animæ mundi opponebatur alius ſpiritus malus, cauſſa omnis mali, unde inter utrosque illos ſpiritus perpetua pugna. Cum ſuperioribus ſpiritibus ſacerdotes gentilium conſortium aliquod habere cenſebantur, unde veneratio ipſorum orta, quod futurorum præſignificationem propriam iis putarent. Sequebatur hinc doctrina moralis corrupta de corpore omni modo adfligendo, quod Indorum Brachmanes potiſſimum urgebant. Horum dignitas erat tanta, ut etiam reges & principes, ad plebem ſibi conciliandam, in illorum ſocietatem cooptari cuperent. Pergit A. ad philoſophiam Aegyptiorum & Græcorum, & quæ inde inſtituta religioſa dimanarint docet: ſpeciatim coſmogoniam Orphicam proponit, & de apotheoſi heroum loquitur. Diſſerit de philoſophia Romanorum atque Druidarum. Etiam Iudæi poſt captivitatem Babylonicam philoſophiam Græcanicam adoptare coeperunt: eorum alii, potiſſimum Samaritani, ſyſtema emanativum, alii, cumprimis Aegyptii, philoſophiam Græcanicam in deliciis habuerunt, unde dein cabbala & explicationes allegoricæ prodierunt. Ex his A. recte colligit, viſibilem eccleſiam V. T. in graves errores prolapſam fuiſſe, ut igitur inter criteria eccleſiæ externæ non ſit, errare non poſſe. Chriſtus veram doctrinam reſtituit, errores, Phariſæorum

ſæorum præcipue, profligavit, doctrinamque de propriorum operum merito proſcripſit. Huic doctrinæ, utpote novæ, philoſophi Græci ſe oppoſuerunt. Origenes philoſophiam Aegyptiacam ſibi familiarem & propriam reddidit. Dein Philoſophiam Platonici ita aptaverunt, ut ad ſimilitudinem chriſtianæ doctrinæ propius accedere videretur; quædam præterea dogmata ex doctrina chriſtianorum morali adſumſerunt, ac iisdem fere dicendi modis expoſuerunt, quibus Chriſtiani. A philoſophia alieni fuere primi Chriſtiani: eius tamen celebritas, & ut philoſophos gentiles ſuis armis debellarent, effecit, ut ad philoſophiam, Platonicam maxime, animum tandem adiungerent; quibusdam & Ariſtoteles placuit. Hinc multa aliena dogmata enata ſunt: quorum cum neque vola neque veſtigium in divinioribus litteris haberetur, ad traditiones confugiendum fuit. Qui philoſophia orientali & Alexandrina delectabantur, ſcripta ſpuria ſub nomine Chriſti & apoſtolorum commenti ſunt. Imo huius generis libri divinis pæne pares habiti; quod probat A. exemplo libri Sapientiæ Salomonis, quem abortum philoſophiæ Aegyptiacæ eſſe exiſtimat, quod ex c. I. 7. VII. 22-26. adpareat. Ex hac confuſione philoſophiæ gentilis, opiniones de meritis operum, de adoratione ſanctorum, indulgentiis, igne purgatorio, ordinibus monaſticis, & aliæ, ortum ſuum traxerunt.

Cap. IV. eſt *de ortu ſupremae dignitatis pontificiae.* Gloriantur pontificii, Romano pontifici primatum univerſalem competere, atque illum a Petro hereditate quaſi quadam transmiſſum tenere: hinc quæſtiones has A. diſceptat: (I.) num Petro iura primatus conceſſerit Chriſtus? (II.) Num pontifices ſint ſucceſſores Petri? (III.) An Petrus fundaverit eccleſiam Romanam? (IV.) An illam qua epiſcopus rexerit? Auctor contrarium ſolidis evincit rationibus. Dignitas Romani pontificis ſenſim crevit, usque dum *Theodoſius* Romanum epiſcopum Conſtantinopolitano æquaret; quæ res acerrimas lites inter utrumque excitavit. Cum dein id ipſum in concilio Chalcedonenſi confirmaretur, *Leo* I. eiusque ſucceſſores omni virium contentione in eo allaborarunt, ut canon hic irritus declararetur, ſed ef-

Digitized by Google

ſectu caruere hæ machinationes. A quo tempore Conſtantinopolis Romæ eſt æquata, aliud fundamentum primatus excogitarunt, ſe ſc. ſucceſſores Petri eſſe, qui apoſtolorum primus fuerit. Hoc argumento primus uſus eſt *Gelaſius*, cui *Innocentius* aliud addere non eſt veritus, omnes eccleſias a Petro eiusque ſucceſſoribus eſſe, ſolum epiſcopum Romanum verum & unicum eſſe ſucceſſorem Petri. Mox de motibus Eutychianis quædam inſperguntur, & quales in illis ſe geſſerint pontifices Romani, narratur. *Agapetus* quidem Mennam patriarcham Conſtantinopolitanum ordinavit; ſed id factum favore imperatoris, unde Romanenſes non habent quod glorientur. Graviores non ita multo contentiones ſurgebant *Ioanni* ieiunatori, patriarchæ Conſtantinopolitano, eiusque ſucceſſoribus, cum in concilio univerſali Conſtantinopolitano a. 588. titulus epiſcopi *univerſalis* ei datus eſſet. Quantos inde fluctus concitarint *Pelagius* II. eiusque ſucceſſor *Gregorius* M. dici vix poteſt; quorum hic alios etiam epiſcopos contra illum ſollicitavit, ipſumque anathematis fulmine percuſſit: neque tamen, vel Ioannes, vel ſucceſſores eius, titulo eo abſtinuerunt. Mox ſaventior occaſio, qua potenti adverſario prævalerent, ſe ipſis obtulit. Cum enim *Phocas Mauritium* cum tota familia perfide trucidaſſet, *Gregorius* illi & coniugi gratulatus, ſuam lætitiam, intempeſtive adulatus, teſtatus eſt. Phocas, ut illi gratiam referret, conſtitutionem de patriarcha Conſtantinopolitano epiſcopo univerſali irritam pronuntiavit, eundemque titulum *Bonifacio* III. conceſſit. Hic eum non ſolum cupide arripuit, ſed & poteſtatem cum illo coniunctam ſibi adſeruit, dum in concilio Romano ita ſtatueret: *volumus & iubemus, ne quis epiſcopus eligatur, qui non a papa his verbis: volumus & iubemus: confirmatus eſſet.* Nihilo ſecius, Phoca mortuo, Conſtantinopolitanus titulum, ſibi ab legitimo imperatore & concilio datum, uſurpavit, unde novæ lites ipſi ſunt intentatæ. Eccleſia Græca a Turcis ſubiugata, aliquas tamen immunitates, non obſtantibus continuis Romanorum machinationibus, conſervavit. In Occidente Pontifices facilius primatum ſuum ſtabiliverunt. A. 376. a Valentiniano & Gratiano pontifex iuriſdictionem ci-

 vilem

Digitized by Google

vilem impetravit, cui poteſtati exercendæ ſervierunt vicarii pontificis, qui in variis occidentis partibus denominabantur, a nutu curiæ Romanæ toti pendentes. Ad hunc per pallium obſtringebantur; quod non ex apoſtolorum temporibus repetendum eſt, ſed demum ſæc. V. ab imperatoribus, Conſtantinopolitano & Romano præſulibus, in ſignum ſpecialis venerationis conceſſum fuit, unde etiam *Anthimus*, dignitate patriarchali exutus, pallium Iuſtiniano reddidit. Hi poſtea pallii geſtandi poteſtatem aliis antiſtitibus fecerunt, verum imperatoris venia expetenda erat, quod & ipſum tamen aliquanto poſt neglectum. Donabantur autem pallio vel maxime pontificum vicarii, atque in eo plenitudo poteſtatis pontificiæ contineri putabatur. Hoc ipſo autem in obſequium pontificum ſe mancipabant. Id cum prudentiores animadverterent, lex eſt condita, qua metropolitani omnes pallium petere iubebantur, ita ut omnis ipſorum iurisdictio a pallio pendere videretur; nam neque reges inungere, neque epiſcopum vel ſuffraganeum, niſi pallio exornati, conſecrare poterant, unde & hi poteſtatem ſuam vi pallii accepiſſe iudicabantur. Cum pallio decorarentur, fidem pontifici polliceri iubebantur, ſimul tamen poteſtate civili omni exemti: atque hoc modo ſtatus in ſtatu formatus eſt. Tandem, quæ protulerat A. brevi ἀνακεφαλαιώσει repetuntur. Hæc brevis eſt ſumma præſtantiſſimi operis, in quo ordo, perſpicuitas, doctrina, de palma certant, & quod neminem legiſſe poeniteat. Charta & typi nitidiores ſunt, quam in prima parte. Index ſubiectus non eſt, forte propter operarum feſtinationem.

ALBERTI DIETERICI TREKELL, ICTI, ſelectarum antiquitatum Romanarum Pars prima, in qua potiſſimum agitur de iure civitatis, Quiritium, Latii, Italico, Coloniarum atque Municipiorum. Multa inſuper iuris ac veterum Scriptorum loca illuſtrantur.

Hagæ Comitum, apud Matthæum Gaillard, 20. plag. in 8.

Quan-

Quantam utilitatem in iuriſprudentia præbeat diligens antiquitatum R. inveſtigatio, adeo certum eſt, & a ICtis præſtantiſſimis oſtenſum, ut illud fuſius comprobare ſtudens, Iliada poſt Homerum canere videatur. Inde etiam factum, ut poſt inſtauratas litteras, viri docti veluti certatim ad enarranda civitatis R. inſtituta animum appulerint. Nemini ignota ſunt, quæ *Alciati*, *Mureti*, *Fabrotti*, *Spanhemii*, *Gronovii*, *Salmaſii*, *Sigonii*, *Noodtii*, *Burmanni*, *Ottones*, *Heineccii*, eorumque ſimiles,

— *quorum ſe pectore tota vetuſtas*
Condidit,

ad exornandam hanc eruditionis partem contulerunt. Quamvis vero cedro digniſſima eorum ſcripta nihil non continere videantur, quod his de rebus dici poteſt: adeo tamen amplus eſt huius diſciplinæ campus, totque difficultatibus veluti ſpinis obſeptus, ut vel acutiſſimus, aut nonnulla præterire, aut a veritatis tramite aberrare quam facillime poſſit. Summam idcirco laudem merentur, qui poſt tantorum hominum curas, talia argumenta ad examen revocant, & meliori ordine, maiorique cura lectoribus propinant. Præclarum eiusmodi opus *Celeberrimus Trekellius*, ICtus litteratiſſimus, tentavit, cuius primam partem publici iuris iam factam, more noſtro nunc recenſebimus. Sat cito, ſi ſat bene. Conſilii coepti rationem in epiſtola ad *illuſtrem Widowium*, civitatis Hamburgenſis conſulem, quæ haud exiguam partem verbis ex Cornelii Nepotis præfatione mutuatis confecta eſt, & qua conſulem iſtum *longius ingenii faſcibus, quam conſularibus, alios ſubmovere praedicat*, nec non in præfatione operi præmiſſa, exponit. Deeſſe nimirum adhuc ſtatuit ſyſtema antiquitatum R. omnibus numeris abſolutum, ſpecialia etiam argumenta nondum iuſta diligentia & cura pertractata eſſe. Nullum etiam reperiri hoc in genere opus, quod non innumeris mendis ſcateat. Hunc igitur defectum ſuppleturus, magnum profecto, & periculoſæ plenum opus aleæ, *Celeberrimus Trekellius* in ſe ſuſcepit, cum, poſt tantorum hominum labores, omnem antiquitatum diſciplinam percurrere, prætermiſſa ſupplere, perperam dicta corrigere, omnia in

Digitized by Google

meliorem ordinem redigere, & a confuſione liberare adgrederetur. Et cum magnis ingeniis turpe videatur, ab aliis iam dicta repetere, *Cel. auctor* ſe omnia ad liquidum iamiam perducta præteriiſſe, diſſentientium vero opiniones modeſte confutaſſe, declarat. Et ex his quidem facile iudicari poteſt, cur *ſelectas antiquitates* opus ſuum inſcripſerit. Non autem ut alii fecerunt, hiſtorice tantum ritus enarrat, ſed quod ante eum fortaſſis in mentem venit nemini, ad *ſcientificam* antiquitatum cognitionem pervenire contendit. Eam ob cauſam diverſas ubique verborum ſignificationes evolvit, iuſtas & accuratas tradit definitiones, recta denique principia, vel ex ipſis veterum ſcriptis, vel ex forma & analogia veteris reipublicæ R. eruit, ex quibus cætera deinde per iuſtam conſequentiam deduci facile & diiudicari poſſint. Ne autem nimium ſibi de hac ſcientifica antiquitates tradendi ratione promittat lector, ſtatim ſubiungit, principia quidem ſe ponere, neutiquam vero certa, ſed ſæpius duntaxat veroſimilia; concluſiones etiam ſe deducere non certas, ſed probabiles, profitetur. Initium operis ab expoſitione diverſorum iurium, quibus cives R. & peregrini uſi ſunt, ducitur. Cumque præclare moneat, verborum ſignificationes rite eſſe conſtituendas, quid *civitas, urbs, oppidum, caſtrum, vicus, pagus,* apud veteres ſignificent, & quomodo inter ſe differant, commonſtrat. *Civitas* nimirum, non ſaxa, ſed habitatores vocantur: *urbs* dicta ab orbe, quod antiquæ civitates in orbe fiebant; qua occaſione data de ritu urbium condendarum ὡς ἐν παρόδῳ quædam affert. *Oppidum* unde dicatur, ex loco *Iſidori*, quem totum transſcribere nimis longum foret, oſtendit. Poteſt ergo civitas eſſe ſine urbe, & urbs ſine civitate, quod locus *Livii* adductus comprobat. Hinc civitas haud raro apud veteres ipſam reipublicæ formam, ipſas leges civiles, per quas homines in unum coetum coaluerunt, ipſum denique ius civitatis ſignificat; quamvis etiam civitates nonnunquam veteribus, inprimisque ICtis Romanis, ipſæ urbes vel oppida dicantur, & ea potiſſimum, quæ primum inter oppida regionis obtinent locum. Male autem exinde collegiſſe videtur

tur

Digitized by Google

tur *Cel. Auctori Guido Pancirollus*, *urbes* ſeculis ſequioribus
vocari, quæ forum cauſarum & magiſtratus ius dicentes ha-
berent; *civitates* contra, in quibus inſuper prætorium, gym-
naſium, theatrum, & balneum eſſet. Ita nec *Ipſi* arridet *Ber-
gierii* ſententia, præcipuas tantum cuiusque regionis urbes
civitates dictas eſſe ſtatuentis; cum non in univerſum hoc ve-
rum eſſe ex L. 6. §. 2. D. *de excuſat. tut.* appareat. Ita &
eorum ſententiam, qui exiſtimant, *civitates* non dici, niſi
oppida Epiſcopum habentia, confutat. *Urbis & oppidi* vo-
cabulum promiſcue poni, tradit. Urbis appellationem dig-
niorem quidem eſſe, quam oppidi, contendit; differentiam ta-
men inter utrumque vocabulum non aliam eſſe, quam quæ ex
antiqua Etruſcorum diſciplina deſumta ſit. Veteres nimirum
Etruſci, non omnia loca munita *urbes* vocabant, ſed ea tan-
tum, quæ aratri circumductione eſſent condita, cætera *oppida*
iis dicebantur. Hanc ſententiam loco *Varronis* ſtabilit,
multosque auctores, antiquos pariter ac recentiores, de ritu
urbium condendarum excitat. Variorum etiam de ritus iſtius Pag. 7.
ratione coniecturas affert, propriasque adiungit. De ritu po-
ſtea, aratrum dirutis urbibus inducendi, multa addit. *Ca-
ſtrum, vicus, & pagus*, unde dicantur, ex *Iſidoro* oſtendit, & de 10.
ſingulis accurate diſputat. *Caſtrum*, cuius diminutivum *ca-
ſtellum* eſt, cum urbe & oppido in eo convenit, quod perin-
de munitum eſt. Differt vero ratione magnitudinis, quo-
niam urbes & oppida caſtris maiora ſunt, urbibus etiam &
oppidis maior ineſt dignitas quam caſtris, urbes inſuper &
oppida primario habitationis, caſtra præſidii ergo, ſolent ex-
ſtrui. Ad *vici* etymologiam oſtendendam locum *Feſti* h. v.
adducit, eumque difficiliorem operoſe & erudite explicat.
Vicos & pagos non ſemper a ſcriptoribus diſtingui tradit: 10.
proprie tamen pagum ita ex pluribus vicis ruſticis conſtare,
quemadmodum vicus ruſticus ex pluribus caſis & villis. Re-
giones circa Romam in pagos primus diſtribuit Rex Numa,
id quod variis veterum locis comprobatur. Hic etiam cuique
pago ſuum magiſtratum præpoſuit, quod deinceps & Ser-

vium Tullium feciſſe, ex *Dionyſ. Hal.* oſtenditur. *Pagos* appellari credit ἀπὸ τῶν παγῶν, quod Dorice pro πηγῶν dicitur, quia agricolæ in plano, iuxta fontes, caſas ſuas ædificare ſolebant; qua occaſione de conventibus, quos pagorum incolæ inſtituerent, deque *pagiſcitis* ibi conditis, quædam affert, varioſque auctores, qui fuſius hac de re diſſerunt, adducit. Cum ſupra de ritu in urbibus condendis adhiberi
Pag. 15. ſolito quædam dixiſſet, ob viciniam argumenti de *pomoeriis* profert nonnulla. Sanctitas nimirum, quam veteres muris adſcribebant, requirere videbatur, ut certum aliquod ſpatium circa illos vacuum & purum relinqueretur. Hoc ipſum vero ſpatium *pomoerium* audiebat, quaſi *poſtmoerium*, quia *moeri* veteribus *muri* dicebantur. Hoc vocis pomoerii ἔτυμον, in gratiam tironum, (uti Cel. Auctori dicere placuit,) adductis variis veterum teſtimoniis ſtabilitur. Cum vero *Ipſi* ea res ſatis in aprico poſita videretur, ad difficiliora progrediens, vexatam aliquam quæſtionem proponit: num ſcilicet pomoerium intra vel extra urbis moenia, an vero utrobique fuerit? Omnes eruditi, quorum ſcripta ſe inſpexiſſe teſtatur *Auctor*, pomoerium vel extra urbem tantum, vel intra & extra murum ſimul ponunt, exceptis *Andrea Dacerio* in notis ad *Feſtum v. proſimurium*, & *Iulio Minutulo* diſſert. *antiqq. R. apud Sallengrium in Theſ. T. I. p. 45.* qui duumviri pomoerium intra urbem tantum fuiſſe contendunt. Hinc Dacerii ſententiam, Minutulus enim nihil novi attulit, accurate &
16-20. fuſe examinat; cumque nullum iis pondus ineſſe crederet,
21. propriam hac de re ſententiam exponit. Statuit igitur, pomoerium inprimis quidem denotare ſpatium illud extra murum, per totius urbis circuitum; in quibusdam tamen oppidis pomoerium & intra & extra moenia fuiſſe: immo & antiquis temporibus, ipſam urbem Romam duplex habuiſſe pomoerium, poſtea vero exterius tantum, interiori ædificiis occupato, permanſiſſe. Sententiam ſuam, ex *Liv. I. 44.* & *Aggen. Urbic. comment. ad Frontin. p. 57. edit. Goeſii*, probare inprimis annititur, quibus etiam locis *Sidon. Apoll. I. Epiſt.*

Digitized by Google

Epiſt. 5. & *Lucan. Pharſal. l. v.* 592. verba adiicit. Codicis Theodoſiani quoque textum *L.* 5. *de locat. fund. iur. emphyt.* ſuam ſtabilire credit ſententiam. Dubia tandem, quæ Pag. 24.
moveri contra poterant, ſubtiliter & operoſe removet. Hac tractatione abſoluta, de modis acquirendi civitatem R. cum hoc argumentum ab illis, qui iura civium R. expoſuerunt, non ſatis explicatum ſit, diſputat. Cives R. nimirum, vel *naſcebantur*, vel *fiebant*. *Naſcebantur* vel ex iuſtis nuptiis, quippe quæ inter ſolos cives conſiſtebant, vel extra iuſtas nuptias. Quod ad huius claſſis homines attinet, de illis enim res certa eſt, omnes, matre cive Romana nati, etiam cives erant, etiamſi pater peregrinæ, vel plane ſervilis conditionis eſſet; contra, matre peregrina, aut ſerva natus, licet vel maxime pater iure civitatis gauderet, peregrinus, vel plane ſervus erat. Minus igitur accurate pronuntiaſſe 32.
Cel. Auctori videtur *Sigonius*, liberos extra iuſtum matrimonium procreatos, ne libertatem quidem habuiſſe: propterea quod locus *Livii*, qui vulgo ab iis qui Sigonium ſequuntur in partes vocari ſolet, de caſu prorſus ſingulari capiendus eſt. Poſteaquam & *Kippingii*, *Cuiacii*, nec non *Iani a Coſta*, ſententias hac de re confutaſſet, erudite monet, patre pere- 35.
grino, matre cive R. procreatum, civem tunc fuiſſe, ſi mater ius civitatis retinuerat. Quando autem mater cum peregrino matrimonium iuris gentium contraxerat, ita, ut domicilium mariti ſecuta, in aliena civitate ſe civem recipi paſſa eſſet, tunc utique ius civitatis R. amiſiſſe, quod ex principiis iuris publici Romani, nemo duarum civitatum civis eſſe poſſet. Hoc ergo caſu, liberos peregrinæ ſortis fuiſſe, obſervat. Exceptiones etiam ab hac regula, quas *lex Menſia* indu- 36-40.
xit, profert, illamque ipſam legem operoſe explicat. Ad *cives factos* deinceps delatus, duo eorum genera fuiſſe, confirmat. Vel enim *ſervi*, vel *liberi peregrini*, hoc ipſum ius conſequebantur. Primis poſt Romam conditam temporibus, ſervi manumiſſi non fiebant per manumiſſionem cives, ſed liberi tantum iure gentium. Servius Tullius dein conſtituit,

tuit, ut ſervi a cive R. iuſte manumiſſi, civitatis iura conſequerentur. Ab eo tempore certi quidam legitimique manumiſſionis modi introducti ſunt, puta cenſus, vindicta, teſtamentum, ita, ut quicunque uno ex hiſce tribus modis eſſent manumiſſi, non tantum liberi, ſed & cives R. fierent; nullo horum modo manumiſſis, ne libertate quidem iure civili gaudentibus. Poſtea, Imperatorum tempore, per L. L. *Æliam Sentiam, Iuniam Norbanam, & Fuſiam Caniniam*, invaluit, ut non omnes, ſed nonnulli duntaxat, cives eſſent, aliique Latini, alii dedititiæ conditionis fierent. Ut igitur poſt illas leges introductas, civitatem conſequeretur manumiſſus,
Pag. 44. octo adeſſe debebant requiſita, quæ fuſe a *Cel. Auctore* expoſita atque enucleata lector inveniet. Iuſtinianus tamen Imperator, ut erat ad innovandum pronus, omnia hæc anteceſſorum inſtituta una ſpongia delevit, adeo ut novo iure, omnes manumiſſi, civitatem R. ſimul cum libertate nanciſcerentur. Addidit hiſce, quæ hucdum diſputaverat *Cel. Auctor*, elegantem obſervationem. Liberos nimirum homines, peregrinos, ſe nonnunquam hac conditione civi R. in ſervitutem tradidiſſe, ut ab eo manumiſſi ius civitatis conſequerentur. Hoc tamen poſtea, ſi in fraudem legum fieret, nonnunquam reſtrictum fuiſſe, locus Livii XLI. 9. evincit. Abſoluta tractatione *de ſervis*, ad *liberos* progreditur, eosque cives fieri potuiſſe per allectionem, ſ. cooptationem in civilem numerum, tradit. Ius illud, nonnullos in civium numerum cooptandi, Regibus initio competebat; his expulſis, libera republica, univerſo populo, qui etiam Imperatoribus bellicis, nonnunquam ius civitatem aliis dandi, conceſſit. Poſtea, ubi monarchica reipublicæ forma Romæ iterum obtinuit, Cæſares per L. Regiam, ius cives conſtituendi accepiſſe, a vero non alienum videtur, cum eos hoc ipſum ius conſtanter exercuiſſe certum ſit; quamvis in iſtius legis fragmento, quod ad noſtram ætatem pervenit, nihil ea de re dictum inveniatur. Cum peregrinis, civitas R. variis modis & rationibus communicabatur. Dabatur enim civitas vel ſingulis

gulis

gulis hominibus, vel pluribus ſimul, idque vel ita, ut ſimul
Romam concederent, vel ut in ſedibus ſuis manerent. Sub
Regibus, & primo liberæ civitatis tempore, ſinguli pariter
& plures, non alia conditione cives ſunt facti, quam ut Ro-
mæ ſedem fortunarum figerent. Poſtea vero, circa urbem
ut videtur a Gallis recuperatam, apud Romanos invaluit, ut
etiam cum exteris oppidis atque populis ius civitatis com-
municaretur ita, ut domicilium Romam transferre non te-
nerentur. Hic vero probe diſtinguendum eſſe *Cel. Auctor* in- Pag. 48.
culcat, num data fuerit civitas *hominibus*, ſine reſpectu lo-
ci, an vero *oppidis*. Quando enim hominibus civitas da-
batur, id non ad bona eorum immobilia ſpectabat: unde
prædia eorum poterant eſſe provincialia, cum ipſi tamen eſ-
ſent cives Romani. Sin vero oppidum aliquod civitate eſſet
donatum, tunc prædia etiam, & fundi, qui ad territo-
rium illius pertinerent, iuris civitatis fiebant participes.
Porro, quando hominibus civitas data erat, tunc illi ad
ſuos tantum poſteros hoc ius transmittebant: cum contra,
ſi integro alicui oppido daretur, omnes, qui deinceps in illo
oppido cives fierent, etiam ius civium R. adipiſcerentur.
Homines civitate donati, non poterant amplius cives eſſe in
patria, iure civitatis R. non gaudente; ſiquidem ita diver-
ſarum civitatum fuiſſent cives, id quod ius Romanum
non patiebatur. Eiusmodi tamen oppidorum incolas, ci-
vitate R. fruentes, *cives honorarios* Auctor noſter vocat, 52.
quoniam neque tribum, nec cenſum habere poterant.
Hanc, de qua iam dixerat, diſtinctionem, ad L. *Iuliam*,
nec non ad *Antonini Caracallae conſtitutionem*, transfert,
illasque ad ſolos homines, neutiquam ad eorum prædia,
pertinuiſſe aſſeverat. De Aegyptiis, tanquam ſingulare 54.
hac in re monet, eos civitatem R. adipiſci non potuiſſe,
niſi Alexandrinam prius civitatem impetraſſent. Et quam-
vis eius rei rationem dare conatus ſit *ill. Heineccius*, eam
tamen minime iuſtam eſſe, & veram rationem adhuc
ignorari, contendit. Sufficere quidem poterant, quæ de

Digitized by Google

modis generalioribus civitatem R. acquirendi, *Auctor litteratiſſimus* diſputarat. Varias tamen obſervationes, veluti coronidis loco, addit, quæ partim ob difficultates, quibus hæ res laborant, partim ob eruditorum hallucinationes,
Pag. 55 63. afferendæ videbantur. Affirmat nimirum, per *cenſum* civitatem non potuiſſe acquiri, atque hoc ex Ciceronis Orat. pro Arch. c. 5. clariſſime apparere. Porro, *legitimationem, adoptionem, connubium,* nec non *domicilium,* inter modos acquirendi civitatem R. perperam numerari contendit. Neque *ius-togae ferendae* quaſi ſua natura civitatem contuliſſe, ſtatuit. *Iudicis* tamen *ſententia* pro cive declaratum, talem re vera fuiſſe exiſtimat. *Praeſcriptione* inſuper, tribus caſibus ius civitatis potuiſſe acquiri, comprobat. Has obſervationes omnes, operoſe & egregie ſtabilit: quæ tamen probationes cum longiores ſint, quam ut hic lectori ante oculos poni poſſint, eas uniuscuiusque examini relinquimus, cum præſertim ex earum lectione non poſſit non inſigne in harum rerum ſtudioſos commodum redundare. Excuſſis hoc pacto generalibus civitatem acquirendi modis, de ſpecialibus deinceps loquitur, quibus ſoli *Latini* civitatem ipſo iure acquirebant. Diſtinguendum hic eſſe monet, inter *Latinos veteres, coloniarios, & Iunianos. Veteres Latini,* ante *L. Iuliam,* quæ civitatem cum omnibus Italis communicabat, duplici modo ad hoc ius pervenire poterant. *Primo* enim, ex ſingulari lege, omnes, qui ex Latio domi ſtirpe relicta Romam commigrabant, civitate donabantur. *Secundo,* per *L. Serviliam repetundarum,* Latini cives R. fieri poterant, ſi civem ob tale crimen accuſaſſent, isque etiam eo nomine eſſet condemnatus. *Coloniarii,* per geſtum in patria magiſtratum, cives R. fiebant. Alios modos, quibus & *coloniarii* & *Iuniani* civitatem adipiſcebantur, *Ulpianus Fragm. Tit. 3.* exponit, quo in loco de utroque hoc Latinorum genere verba fieri, *Cel. Auctor*
65. 87. fuſe commonſtrat, ipſumque locum ſtudioſe illuſtrat. Expoſitis vero, huius loci ductu, modis ſpecialioribus, quibus La-

Latini cives fiebant, addit, magnum fuiſſe Romæ diſcrimen inter *cives veteres*, atque *novos*. *Illos*, non modo iuribus civitatis ſtricte dictis, ſed & iuribus familiæ, veluti agnationis, gentilitatis, ac patriæ poteſtatis, eſſe gaviſos: *hos* contra, etiamſi iuribus civitatis fruerentur, omnibus tamen familiæ iuribus caruiſſe. Iam ad ipſa civitatis iura, de quorum acquiſitione hucdum diſſeruerat, delatus, *Paulum Manutium*, differentiam inter cives R. atque eos, qui haberent ius civitatis R. fingentem, reprehendit. Ius vero civita- Pag. 89.
tis *Cel. Auctor* deſcribit per complexum variorum iurium ſingularium, quibus præ aliis hominibus fruebantur cives R. Hæc ipſa iura, breviter, & per modum indicis, enarrat, 92.
cum a *Carolo Sigonio* adeo accurate de illis ſit actum, ut non, niſi ſpicilegium, Vir iſte præſtantiſſimus aliis reliquerit. Ordinis cauſa, duas horum iurium conſtituit claſſes. *Prior, iura privata*, (quibus, ut ſupra indicavit, veteres duntaxat cives fruebantur,) continet, ius nempe libertatis, familiæ, connubii, dominii legitimi, teſtamenti factionis, hereditatum capiendarum, tutelarum. *Altera* complectitur publica iura, nimirum ius ſacrorum publicorum, cenſus, tributorum & vectigalium, militiæ, ſuffragiorum, honorum & dignitatum. Hac igitur huius libri parte, obſervationes generales de iure civitatis ſuppeditat, ſequentibus, quas promittit, partibus, de quibusdam iuribus ſpeciatim diſputaturus. Iura privata, quibus cives R. gaudebant, omnibus hominibus communia videri poterant. At enim vero Romani ſingulares illis attribuerunt effectus, qui, quoniam ex iure civili deſcendunt, ad ſolos tantum cives R. pertinebant. Non autem omnes cives, omnibus hiſce iuribus gaudebant; inde diſtinctio inter *cives plenos*, ſive illos, qui *optimo iure*, & qui *non optimo iure* cives eſſent enaſcitur. Quid potiſſimum ad *civem R. optimo iure* requiratur, *Cel. Auctor*, expenſis prius aliorum hac de re ſententiis, exponit hunc in modum: *Civem R. optimo iure* fuiſſe 96. 110.
eum, qui omnibus civitatis iuribus, nullo excepto, gaude-

ret. Ut vero aliquis civis Romæ dici poſſet, requirebatur, ut iura privata omnia, (iure connubii excepto,) haberet, non perinde publica. Hæc enim, ex ſententia *Cel. Auctoris*, magis effecerunt, ut aliquis pleniori iure, quam ut omnino civis eſſet. Ad *iura Quiritium* vero quod at-
Pag. 112. tinet, ea nonnunquam idem denotare ac *iura civitatis*, contendit. Exinde tamen non ſequi, egregie monet, non poſſe aliquando differentiam inter ius civitatis & Quiritium intercedere. Conſtare tamen inter omnes, neminem veterum Scriptorum vel ICtorum diſertis verbis hæc iura a ſe invicem diſtinxiſſe, quam unicum *Plinium iuniorem*, qui tribus locis, Lib. X. epiſt. 4. 6. & 22, tanta conſtantia hæc duo iura diſtinxit, ut pro iisdem plane haberi nequeant. Cum tamen ex hiſce locis nihil amplius elici poſſit, quam hoc, fuiſſe aliquam inter duo hæc iura differentiam; præterea vero ex nullo veterum teſtimonio conſtet, quando hæc iura diſtingui coeperint, aut quod verum inter ea diſcrimen intercedat: mirum non eſt, in diverſas abire hac
114-130. de re ſententias eruditos. Varias illarum *Cel. Auctor* recenſet, & expendit, tandemque, quid ſibi videatur, cum lectore communicat. Statuit videlicet, ius Quiritium novum aliquod eſſe inventum, ſub Imperatoribus demum
131. uſu receptum, & ad ſolos Latinos pertinens. Per L. ſcilicet *Iuniam Norbanam* ſpeciali aliquo ſenſu complexum iurium civitatis R. comprehendiſſe, eo tamen diſcrimine, ut Latini libertini per ius Quiritium illa tantum iura conſequerentur, quibus gaudebant cives R. libertinæ conditionis; Latini vero ingenui, illa etiam, quibus ingenui cives utebantur. Poſt Plinium tamen, varios ſcriptores, etiam ſatis accuratos, non ſemper diſcrimen inter *civitatis* & *Quiritium iura* obſervaſſe, recte monet, variisque exemplis
134. ſqq. demonſtrat. Cum multa adhuc addidiſſet, de diverſitate iurium, quibus ipſimet cives utebantur, ad diſcrimen, quod inter *cives* & *peregrinos* intercedebat, pedem promovet. *Peregrini* in genere vocabantur omnes homines liberi, qui iure

iure civitatis R. carerent, quamvis interdum ea vox aliò ſumatur ſenſu. Immo rurſus inter hoſce ipſos, qui generali peregrinorum appellatione inſigniuntur, magnum interceſſit diſcrimen. Alio enim iure utebantur *Latini*, alio *Itali*, alio denique *provinciales*, *populi foederati*, & *liberi*.
De ſingulis hiſce in ſequentibus A diſſerit, & exploſis aliorum Pag. 139.
hac de re ſententiis, neminem felicius iſto in argumento 144.
verſatum eſſe profitetur, quam *Spanhemium* V. Cl. in præclaro opere, quod inſcribitur *Orbis R.* itemque *Chriſtianum Gottlieb Schwartzium*, in diſſertatione *de iure Italico.* Cum vero poſt tantorum hominum labores, quædam adhuc difficultates reſtare *Cel. Auctori* viderentur, periculum fecit, num aliis faciliorem hancce viam reddere poſſet. Exiſtimaverat quondam, pro diverſis iuribus, puta *Latii*, *Italico*, *provinciali* &c. diverſa etiam iura prædiorum fuiſſe. Re tamen accuratius perpenſa, reperit, prædia nonniſi in *Italica* & *provincialia* Romanos diſpeſcere conſueſſe. Prædia *Italica* erant, in quibus ius civile locum habebat, quæque adeo pleno iure in dominio iuris civilis, ſive Quiritario privatorum, eſſe poterant; quæ erant mancipi, & hinc civili quoque modo alienari poterant; in quibus ſolis uſucapio locum habebat; quæ ſola denique in cenſum poterant deferri, & hinc *cenſui cenſendo* vocabantur. Omnia hæc in prædiis provincialibus ſecus ſe habuiſſe, in ſequentibus fuſe A. commonſtrat, 145.
erroremque eorum, qui *Ius Italicum* & *Quiritium* unum idemque fuiſſe exinde collegerunt, erudite convellit. De 147.
ipſo autem hoc *iure Italico* data opera agens, illud duplici modo accipi ſolere obſervat, vel pro iure perſonarum, vel pro iure prædiorum. Priori modo duplici iterum ſenſu accipi poſſe. Senſu enim lato ſignificare ius illud, quo homines in tota Italia ſub Imperio R. utebantur, & quod fortaſſis accuratius *ius Italorum* diceretur. Senſu autem ſtrictiori & proprio ius Italicum ſignificare ius illud, quo populi Italici, i. e. extra Latium in Italia habitantes, ab eo tempore, quo in Romanorum ditionem conceſſiſſent, usque

dum cives fierent, utebantur. Poſteriori modo duplici itidem ſenſu ius Italicum accipi demonſtrat. Primo enim generatim ſignificare iura illa ſingularia, quibus Italia præ ceteris Imperii R. regionibus gauderet. Deinde etiam denotare ius illud locorum vel prædiorum, ſive in ipſa Italia, ſive extra eam ſitorum, quod illis præ locis ſ. prædiis provincialibus competeret, & hoc ſenſu *ius Italicum* plerumque in iure R. accipi. His ita præſtructis, *Cel. Schwartzii* diſſerta-
Pag. 149. tionem, de iure Italico conſcriptam, accurate examinat, &
ſqq. iſta occaſione, quid recte dicantur *fundi*, vel *praedia Italica*,
164. conſtituit. Romani nimirum, cum devictis in Italia gentibus multo mitius agebant, quam cum aliis. Quamvis ergo populos Italiæ devictos agris mulctarent, hique agri fierent quoque publici populi R. & vel per magiſtratus venderentur, aut locarentur, vel in illos coloniæ deducerentur: colonis tamen agri ita aſſignabantur, ut plenum in illis conſequerentur dominium, civile quidem, ſi colonia eſſet civium Romanorum; naturale, ſi eſſet Latinorum, vel Italicorum. Hinc, etiamſi colonis iſtis varia ſæpe onera imponerentur, non tamen in recognitionem dominii pro iſtis agris tributum ſolvebant. Porro agri, qui non publicabantur, privatis in plenum concedebantur dominium, naturale quidem, aſt verum tamen. Quodſi ergo prædia quædam in provinciis eodem iure gaudere deberent, neceſſe erat, ut prius ex prædiis provincialibus fierent Italica, atque ita demum iure iſto Italico donarentur. Quæ ex hac prædiorum Italicorum natura fluant conſequentiæ, & quid Auguſtus novi poſtea hac in re conſti-
165. tuerit, A. deinceps exponit; in *Io. Maderni, Vinc. Gravinae,* & *Ez. Spanhemii* hoc de argumento obſervationes, fuſe inqui-
172-183. rit; deque nota illa Antonini Caracallæ conſtitutione, ſingularia quædam, & hucdum non ſatis explicata, adſtruit. Poſteaquam hoc pacto de diverſis in Imperio R. iuribus generatim diſputaſſet, ad diverſam urbium, oppidorum, ac locorum conditionem, pro diverſis, quibus utebantur iuribus, de-
188. ſcendit. Pro iurium diverſitate, loca apud R. vocabantur

muni-

municipia, aut *coloniae*, aut *civitates liberae ac foederatae*, aut *praefecturae*, aut *fora*, aut *conciliabula*. Multum interfuiſſe, qua lege colonia deduceretur, utrum tanquám libera, an vero ſubiecta? *Cel. Auctor* exiſtimat. Liberas colonias propriam Pag. 189. ſibi reipublicæ formam, proprios magiſtratus, proprias denique leges conſtituere potuiſſe; ſubiectas contra nihil ſuo arbitrio egiſſe, ſed totas a civitate, a qua deductæ eſſent, pependiſſe contendit. Notat eo nomine *Ez. Spanhemium*, qui in præclaro opere *de uſu & praeſtant. numiſm.* T. I. *Diſſ. IX.* p. 568. multa, de dependentia coloniarum a metropoli ſua, congeſſit, hanc tamen differentiam neglexit. Huius vero diſtinctionis beneficio, loca quædam *Dionyſ. Hal.* prima ſpecie inter ſe pugnantia, conciliari poſſe credit. Apud *Dionyſium* nempe Lib. III. p. 142. Metius Fuſetius, Albanorum Dictator, ita ait: *Quem honorem parentibus liberi, eundem & coloni debent ſuis conditoribus.* Apud eundem III. 147. Tullus Hoſtilius Dictatori Romanorum reſpondet: *Quod colonias ſuis matricibus lege naturae ſubiici oportere contenditis, nec verum, nec aequum nobis videtur: multae enim gentes ſunt, in quibus metropoles coloniis ſuis non imperant, ſed parent.* Uterque recte, ex ſententia *Cel. Auctoris.* Diſtingui enim debere inculcat, inter *reverentiam* & *ſubiectionem*. *Reverentiam* omnes coloniæ matrici civitati præſtare debebant: ad *ſubiectionem* vero liberæ coloniæ non tenebantur, ſed illæ tantum, quæ metropoleos imperio ſubeſſent. Poſteaquam quoad deſcriptionem coloniæ, nonnulla contra *Wilhelmum Goeſium* monuiſſet, varias coloniæ deſcriptiones affert A. atque illuſtrat. Cumque non omnes unius eiusdem- 192. que conditionis fuerint, diverſa earum genera accurate & fuſe explicat. *Municipia* & *colonias* tribus modis inter ſe differre, 195. *origine*, *ſacris*, *legibus*, docuerat inter alios V. C. *Everardus Otto.* At enim vero, de ultima non ſolum differentia adhuc dubitari, num ſcilicet omnia municipia, & omni tempore, propriis vixerint legibus: ſed etiam has differentias ſufficere quidem ad municipia a coloniis in genere, non vero a coloniis

civium

Pag. 234. civium R. diſcernenda, *Cel. Auctor* contendit. Quapropter in ipſa municipiorum iura accuratius inquirit, ſimulque oſtendere annititur, quomodo non tantum a *coloniis civium R.* & a *praefecturis*, *oppidis liberis* & *foederatis*, differant, ſed & quomodo municipes a civibus R. in ipſa urbe eiusque proprio territorio habitantibus pariter, ac a civibus in provinciis commorantibus, diſtinguantur. Summa diligentia, atque inſigni acumine, omnia hæc pertractat. Maximos hoc in genere viros, *Manutium*, *Spanhemium*, *Sigonium*, ſæpiſſime hic in errores incidiſſe, modeſte tamen, indicat, & nihil intactum relinquit, quod ad municipiorum conſtitutionem cognoſcendam pertinet. De *praefecturis*, *foris*, *conciliabulis*, nec non de *oppidis liberis* & *foederatis*, diſſerere etiam apud animum conſtituerat: ne autem maior evaderet prima hæc antiquitatum ſelectarum pars, omnem hanc tractationem alteri parti, quam ſine mora ſe daturum pollicetur, reſervavit.

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM, quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Amorti (*Euſeb.*) *Ius Canonicum vetus ac modernum. Accedunt vindiciae Iurisdictionis Eccleſiaſticae.* 319

— — — *Reflexiones & principia meliora de Iurisdictione Eccleſiaſtica.* 397

Anſaldi (*Caſt. Innoc.*) *Vindiciae Herodiani Infanticidii.* 424

— — — *De futuro ſeculo ab Hebraeis ante captivitatem cognito, adverſus Ioh. Clerici cogitata, commentarius.* 503

— — — *Religio Ioſephi, Aegypti olim Proregis, a criminationibus Baſnagii vindicata.* 568

Athanaſii, *Archiep. Alexandr. Interpretatio Pſalmorum, ſeu de Titulis Pſalm. Gr. & Lat.* 650

Ayroli (*Iac. Mariae*) *Liber LXX. hebdomadum reſeratus, ſeu in Caput IX. Danielis diſſertatio.* 551

Baurii (*Ioh. Iac.*) *Schediaſma de compoſitione religionum amicabili, ad Textus Inſtrumenti Pacis Oſnabrugenſis.* 375

C. (*M.*) *Diſquiſitio de Capitulorum metropolitanorum & cathedralium Archi- & Epiſcopatuum Germaniae origine, progreſſu & iuribus.* 303

Camentz (*Car. Gottlieb*) *de dono linguarum & eloquentiae, cum primis Eccleſiae Chriſt. doctoribus communicato, commentatio.* 648

Cavalcanti (*Franc. Anton.*) *Vindiciae Romanorum Pontificum.* 38
Erneſti (*Ioh. Aug.*) *Anti-Muratorius, ſeu Confutatio Muratorianae diſputationis de rebus liturgicis.* 145
Friſchii (*Io. Frid.*) *Commentatio biblica de agno paſchali generatim, & ultimo Paſchatis die a Chriſto celebrato, tamquam die eius emortuali ſpeciatim.* 602
Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *Commentariorum in N. Foed. libros divinos,* Pars IX. *utramque D. Pauli ad Timotheum Epiſtolam complexa.* 289
Knittel (*Franc. Anton.*) *Programma de repertis & edendis, Fragmento Verſionis Gothicae N. T. Ulphilanae, & duobus Codd. N. Teſt. Graecis.* 661
Kuen (*Mich.*) *Collectio Scriptorum Rerum Hiſtorico-Monaſtico-Eccleſiaſticarum variorum religioſorum Ordinum.* Tomus III. 362
Mamachii (*Tho. Mariae*) *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* Libri XX. Tomus Quartus. 625
Michaelis (*Ioh. Georg.*) *Exercitationes Theologico-Philologicae.* 236
Moshemii (*Ioh. Laur.*) *Inſtitutionum Hiſtoriae Eccleſiaſticae Antiquae & Recentioris* Libri Quatuor. 158
Muratorii (*Lud. Anton.*) *Diſſertatio de naevis in religionem incurrentibus, ſive Apologia Epiſtolae Benedicti XIV. P. M. ad Epiſcopum Auguſtanum.* 563
Obſervationes miſcellaneae in librum Iob. Praemiſſa eſt critica diſquiſitio in univerſi libri ſcopum. 264
Pinii (*Ioh.*) *Liturgia Mozarabica.* 85
Roſchmanni (*Anton.*) *de Epiſcopatu Sabionenſi S. Caſſiani Martyris, deque S. Ingenuini, eiusdem urbis Epiſcopi, Actis, Diſquiſitio.* 132
Rothfiſcheri (*Franc.*) *Indulgentiae & annus iubilaeus.* Pars II. *primae parti oppoſita.* 694
de Rubeis (*Ioh. Franc. Bern. Mar.*) *Vita Georgii ſeu Gregorii Cyprii, Patriarchae Conſtantinopol. nunc primum Graece cum Latina interpretatione & notis edita.* 178

Sar-

Digitized by Google

Sarpii (*Pauli*) *Hiſtoria Concilii Tridentini*, *cum notis* Petri Franc. Courayerii, *Hetruſce edita.* 480

a S. Xaverio (*Eduardi*) *Adparatus ad novam* L. Coelii Firmiani Lactantii *operum editionem.* 118

II. *Libri Iuridici.*

Averanii (*Ioſephi*) *Opus poſthumum, continens interpretationum Iuris libros tres poſteriores.* 347

Bouqueti *Ius Publicum Francogalliae, monumentis antiquitatis illuſtratum.* Tomus I. 97. 193

Hainii (*Ioh. Gothofr.*) *Fundamenta Iuris Privati Civilis, in tabulas ordine ſyſtematico redacta.* 262

Hauswaldi (*Ioh. Frider.*) *Meditationes de emendando Iure, ſtatuque rei forenſis ac tribunalium in Germania.* 130

Theſaurus Iuris Provincialis & Statutarii Germaniae illuſtrati. Tomi I. Sectio I. 95
Sectio II. 167

Trekell (*Alb. Dieter.*) *Selectarum Antiquitatum Romanarum* Pars I. *in qua agitur de iure Civitatis, Quiritium, Latii, Italico, Coloniarum atque Municipiorum. Multa inſuper Iuris ac Veterum Scriptt. loca illuſtrantur.* 706

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum Nova Acta Phyſico-Medica. Tomus I. 533

— — — *Imperialis Petropolitanae Programma.* 670

Anonymi *Introductio Anatomica, Graece & Latine. Item* Hypatus *de partibus humani corporis, Gr. & Lat. Cum notis* D. W. Trilleri, & Ioh. Steph. Bernard. 32

d'Argenville (*Dezallier*) *Hiſtoriae naturalis pars una ex principibus, Oryctologia, illuſtrata.* 60

Barrére (*Petri*) *Ornithologiae ſpecimen novum.* 413

Boehmeri (*Phil. Adolph*) *Obſervationum Anatomicarum rariorum* Faſciculus alter. 15
— — — (*Georg. Rudolph.*) *de Polyphago & Allotriophago Wittebergenſi obſervatio.* 416
Diſſertatio hiſtorica de angina carcinomatica puerorum. 404
Felicis (*Antonii*) *Diſſertationes epiſtolares theoretico-practicae de Medicina.* Decas Prima. 476
Gaubii (*H. D.*) *Inſtitutiones Pathologiae medicinalis.* 495
Hygiene Dogmatico-practica, rationem conſervandae ſanitatis corporis humani exponens. 116
Ioriſſen (*Ioh.*) *nova methodus, ſurdos reddendi audientes.* 245
Kleinii (*Ioh. Theod.*) *ſtemmata avium, quadraginta tabulis illuſtrata.* 190
Planci (*Iani*) *Tractatus de Balneis Piſanis ad radices montis S. Iuliani.* 79
Puiati (*Ioſephi Antonii*) *de victu febricitantium Diſſertatio.* 357
Quesnay (*Franc.*) *Tractatus de Suppuratione.* 372
Ruttii *Tractatus de partibus per quas urina fluit.* 514
Scanagati (*Nicolai*) *Commentariolum de* Alexandro Knips Macoppe, *ac de duobus remediis ab eo maxime illuſtratis, Mercurio, & Aponenſibus thermis.* 314
Scarellæ (*Ioh. Baptiſtae*) *Phyſicae generalis, methodo mathematica tractatae,* Tomus Secundus. 52
Seguierii (*Ioh. Franciſci*) *Plantarum Veronenſium methodica ſynopſis.* 326
Tractatus Inſectologiae duo, quorum alter Obſervationes de pediculis plantarum deſtructoribus proponit, alter de quibusdam vermium aquae dulcis ſpeciebus tradit, qui in partes diſſecti perfecta ex ſegmentis animalia fiunt. 545
Vandellii (*Dominici*) *de ſenſibilitate Pericranii, Perioſtii, Medullae, Durae Meningis, Corneae & Tendinum, & de ſenſitivitate Halleriana,* Epiſtolæ Tres. 441
— — — *Diſſertationes de Aponi Thermis, de nonnullis inſectis terreſtribus & Zoophytis marinis, & de vermium terrae reproductione, atque taenia canis.* 588

Wal-

Digitized by Google

Wallerii (*Ioh. Gottſchalck*) *Mineralogia, ſeu Regnum Minerale diviſum & deſcriptum. Germanice reddidit* Ioh. Dan. Denſo. 645

IV. *Libri Mathematici.*

Academiae Imperialis Petropolitanae Programma, quo praemia proponuntur. 670
Bermanni (*G. F.*) *Defenſio ſolutionis ſuae problematis Algebraici, in his Actis A. 1743. propoſiti, adverſus monita Ill. Comitis de Fagnano.* 538
Boſcovich (*Roger. Ioſephi*) *Diſſertatio de lentibus & teleſcopiis dioptricis.* 240
Colloquia mathematica, ſeu praelectiones de methodo & utilitate addiſcendae doctrinae mathematicae. 283

V. *Libri Hiſtorici, Geographici, Numiſmatici recentiores.*

Boehmii (*Ioh. Gottlob*) *Anecdoton litterarium de Viti Beringii Hiſtoria Obſidionis Hafnienſis.* 171
Demonſtratio hiſtorico-diplomatica, Ducatum & Iudicium Provinciale Franconiae a multis iam ſeculis pertinere ad Epiſcopatum Würzburgenſem. 220
Ducatus Sileſiae, viginti Mappis geographicis exhibitus ab Homannianis heredibus. 383
Facciolati (*Iacobi*) *Faſti Gymnaſii Patavini.* 272
Hanſſelmanni (*Chriſtiani Ern.*) *ulterius illuſtrata & defenſa ſuperioritas territorialis domus Hohenloicae, ante tempora ſic dicti magni Interregni.* 643
Hirſchii (*Ioh. Chriſtoph.*) *Archivum Rei Monetariae Imperii Romano Germanici.* Volumen III. 76
Volumen IV. 307
Koeleri (*Ioh. Tobiae*) *Entius, ſive Henricus Friderici II. Imp. nothus, Rex Sardiniae, S. R. I. per Italiam Vicarius & Admiralius.* 523
Lenzii (*Samuelis*) Becmanni *Hiſtoria Anhaltina enucleata, ſuppleta, continuata.* 634

Digitized by Google

Marchand (*Proſperi*) *Commentarii Critici de vita & operibus virorum illuſtrium, maxima pars doctrina & litteris claruere.* Pars I. 673
Pelluterii (*Simon.*) *Expoſitio hiſtorica de Celtis, ac ſpeciatim de Gallis & Germanis, inde a temporibus fabuloſis usque ad Romam a Gallis occupatam.* Tomus Secundus. 606
Pocockii (*Rich.*) *Deſcriptio Orientis & aliarum Regionum,* Volumen I. *Obſervationes de Aegypto continens.* 407
Rudawskii (*Laur. Ioh.*) *Annales Poloniae,* ab A. 1648. ad *A. 1660. Notas adiecit, hiſtoriam ad A. 1668. continuavit, & praefatus eſt* Laurentius Mizlerus. 81
de Steinwehr (*Wolf Balth. Adolph.*) *Origines Regiae in Polonia dignitatis, commentatione hiſtorico-critica requiſitae.* 692
Ward (*Ioh.*) *Vitae Profeſſorum Greshamenſis Collegii, & ipſius Tho. Greshamenſis.* 379
Wegelini (*Ioh. Reinhardi*) *Theſauri Rerum Suevicarum* Volumen III. 92
Winckelmanni (*Ioh. Iuſti*) *exacta deſcriptio Principatuum Haſſiae & Hersfeldae.* Partes VI. 366

VI. *Libri Philoſophici, Antiquarii, Claſſici, Philologici, Miſcellanei.*

Axiochus, Graece, recenſuit, notis illuſtravit, indicemque verborum locupletiſſimum cum Hier. Wolfii *verſione latina, & notis uberioribus, adiecit* Ioh. Frid. Fiſcherus. 591
Bartoli (*Ioſephi*) *Diſſertationes duae, de Muſeo Veronenſi, de uſu veterum monumentorum hiſtoria, & vetuſto quodam marmore.* 654
de Bruyn (*Ger. Guil. ab Ooſten*) *Diſſertatio de progreſſibus, quos per ſolum rationis lumen in ethices doctrina fecerunt mortales, qui revelationem divinam prorſus ignorarunt. Accedunt Anonymorum de eodem argumento Diſſertationes tres.* 481
Chriſtii (*Ioh. Friderici*) *Dactyliothecae univerſalis ſignorum exemplis nitidis redditae, ſtudio* Philippi Dan. Lipperti, Chilias *ſeu* Scrinium Milliarium Primum & Secundum. 337

Cor-

Digitized by Google

Corſini (*Eduardi*) *ad* P. M. Paciaudum *Epiſtola*, *in qua Gotarzis*, *Parthiae Regis*, *numus hactenus ineditus explicatur.* 433

— — — *de Minniſari*, *aliorumque Armeniae Regum numis*, *&* *Arſacidarum Epocha*, *Diſſertatio.* 577

Daguesſovii, *Cancellarii Galliae*, *Orationes & alia Opera.* Tomi Duo. 687

Demoſthenis, Aeſchinis, Dinarchi, *&* Demadis, *quae ſuperſunt*, *Graece & Latine.* *Edidit* Ioh. Taylor. Tomus III.. 1

— — — *Oratio contra legem Leptinis*, *Gallice verſa & illuſtrata a* Ged. le Cointe. 308

Erici (*Iohannis*) *Tentamen philologico antiquarium de nominibus propriis & cognominibus veterum ſeptentrionalium populorum.* 126

Euripidis *Phoeniſſae.* *Interpretationem addidit* Hugonis Grotii, *Graeca caſtigavit e Mſctis*, *atque adnotationibus inſtruxit* Ludov. Caſpar Valckenaer. 297

Froelich (*Eraſmi*) *dubia de Minniſari aliorumque Armeniae Regum numis*, *&* *Arſacidarum epocha*, *nuper vulgatis.* 577

— — — *vera imago & expoſitio Caſulae S. Stephani*, *Regis Hungariae.* 691

Hentſchii (*Io. Iac.*) *demonſtratio exiſtentiae Dei ex genuinis principiis*, *more geometrarum.* 42

Iuſtini *Hiſtoriae Philippicae*, *ex recenſione* I. G. Græviī, *cum eiusdem &* Ioh. Frid. Gronovii *animadverſionibus.* *Additus eſt praeter prologos hiſtoriarum Philippicarum* Trogi, *& excerptiones chronologicas* Iac. Bongarſii, *libellus variarum lectionum*, *cum epiſtola* Segim. Fr. Dreſigii, *ſuper locis quibusdam Iuſtini*, *curante* Io. Fr. Fiſchero. 597

Loci aliquot ex Ephemeridibus Florentinis A. 1757. decerpti. 169

Lockii (*Iohannis*) *de mente humana Commentarius.* *Germanice vertit & animadverſiones adiecit* Henr. Engelh. Poley. 275

Meninski (*Franc. a Meſgnien*) *Inſtitutiones Linguae Turcicae*, *cum rudimentis parallelis Linguarum Arabicae & Perſicae.* Editio altera *auctior*, curante Ad. Franc. Kollár. 529

Miſcellanea Lipſienſia Nova, *ad incrementum ſcientiarum ab his*, *qui*

qui ſunt in colligendis Novis Actis Eruditorum occupati, per Partes publicata. Voluminis X. Pars III. 419
Moeridis Atticiſtæ Λεξεις Αττικων και Ελληνων, *e recenſione & cum notis* Ioh. Hudſoni; *accedit* Timæi *Lexicon vocum Platonicarum, edente* Dav. Rhunquenio. *Curavit, notasque ſuas adiecit* I. F. Fiſcher. 255
Paciaudi (*Paul. Mar.*) *ad numos Conſulares IIIViri M. Antonii animadverſiones philologicae. Accedit explicatio tabulae Peloponnenſis.* 385
Reinhardi (*Adolph. Frider.*) *Diſquiſitio de Mundo Optimo; quae quidem praemium A. 1755. ab Acad. Reg. Berolinenſi reportavit.*
Reiskii (*Ioh. Iacobi*) *Animadverſionum ad Graecos Auctores* Volumen I. *quo* Diodorus Siculus *&* ambo Diones, Chryſoſtomus *&* Caſſius, *pertractantur.* 225
Requierii *Collectio Hiſtorico-Critica eorum omnium, quae adhuc memorabilia publicata ſunt de civitate Herculano.* 683
Saxii (*Chriſtoph.*) *Diptychon Magni, Conſulis, nunc primum editum & illuſtratum.* 49
— — — *Obſervationes Antiquario-Philologicae ad vetus chirographum Theſauri Muratoriani, mancipationis formulam continens.* 253
Schultzii (*Erneſti Aug.*) *Exercitationes Philologicae,* Faſciculus I. 21
Stukeley (*Wilhelmi*) *Abury, Templum veterum Druidarum Britannorum, cum aliis aliquot eorundem templis.* 444
Trekell (*Alb. Dict.*) *Selectarum Antiquitatum Romanarum* Pars I. *in qua agitur de iure Civitatis, Quiritium, Latii, Italico, coloniarum atque municipiorum. Multa inſuper iuris ac veterum ſcriptorum loca illuſtrantur.* 706
de Vattel *Ius Gentium, ſeu principia legis naturae applicata moribus & negotiis gentium & principum.* Tomus I. & II. 241
Sexti Aurelii Victoris *Hiſtoria Romana, ex recenſione & cum animadverſionibus criticis atque hiſtoricis* Io. Fr. Gruneri. 511
Zaluskii (*Comitis*) *Programma de edendis* Sarbievii, Acerni & Ineſii *poematibus.* 46

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abgari *ad Chriſtum, & huius ad illum epiſtola, reiecta.* 238

Abury, *templum veterum Druidarum Britannorum illuſtratum.* 444

ab Academia *Imp. Petropol. propoſitae quaeſtiones phyſicae & mathematicae.* 670

Acerni, *Virgilii Sarmatici, poemata denuo edenda.* 46

de Adamantibus *quaedam.* 71

Adoratio *Euchariſtiae Liturgiis & Patrum ſcriptis non firmatur.* 154. 157

Advocatorum *independentia.* 688

Aegypti *hodiernae memoranda.* 407. ſqq.

Aegyptiorum *religio & antiquitates.* 569

odium adverſus Iudaeos. 572

de Agno *paſchali diſquiſitio.* 602. ſqq.

de Alaſio. 676

de Eraſmo Albero. 675

de Albigenſium *nomine obſervata.* 163

de Albig. *& Waldenſium genuina diſtinctione.* 422. 423

de Barthol. Albitio. 676

Alciphronis *locus tentatus.* 36

Algebra *abſque calculo litterali docenda, novoque ordine digeſta.* 283

Algebraici *problematis ſolutio defenſa.* 538. ſqq.

Alius *pro* omnis, *apud Graecos, Arabes, Gallos.* 232

de Allegorico *Script. S. ſenſu.* 652. ſq.

de Allotriophago *Wittebergenſi obſervatio.* 416. ſqq.

Almi *epitheton quam vim habeat?* 143

Ambroſii *locus illuſtratus.* 138. 139

de Amicabili *religionum compoſitione, ſecundum pacem Oſnabr.* 375. ſqq.

Amortus *notatus.* 403

Anaglyptica *tabula Peloponnenſis explicata.* 396

Anatomica *introductio Anonymi veteris, ſecundum edita, correcta, illuſtrata.* 32. ſqq.

Anatomicae *tabulae omnium antiquiſſimae.* 34

Digitized by Google

Anatomicæ *obſervationes rariores.* 15. ſqq.
tabulae ex Anglico Latine verſae 527
Anatomicum *ſtudium antiquis temporibus diligenter excultum.* 38
de Ioh. Andrea *Mediolanenſi.* 676
Anginæ *carcinomaticae puerorum hiſtoria & medendae ratio.* 404. ſqq.
Anglorum *quorundam celebrium vitae.* 380. ſq.
Anhaltinæ *Domus Principalis hiſtoria univerſa.* 634. ſqq.
de Animalculis *ſpermaticis.* 280
Animalium *cultus apud Aegyptios quo tempore coeperit?* 568. ſqq.
de Animi *magnitudine.* 680. ſq.
de Animorum *poſt mortem ſtatu ſententiae veterum populorum.* 619. ſqq.
immortalitate Philoſophorum veterum opiniones. 489
de Anthrace *ſeu Carbunculo.* 480
Antiqua *monumenta ab obtrectationibus vindicata.* 657
Antiquitas *docta exemplum noſtrae aetati propoſitum.* 337 338. 433
Antiquitatum *Eccleſiaſticarum corpus.* 625
ad M. Antonii *IIIViri numos conſulares obſervationes.* 385 ſqq.
Aphronitrum *alcalicum.* 646
de Api, *eiusque nomine & cultu.* 569. 570
de Aponi *loco & thermis.* 588
Aponenſium *thermarum natura & utilitas.* 317. ſqq.
Apoſtoli *non duodecimo demum a Chriſti in coelos adſcenſu, anno, Hieroſolymis egreſſi.* 240
linguarum & eloquentiae dono inſigniti. 648
Arabiæ *memorabilia quaedam.* 410
Arborum *varia genera.* 335. ſq.
de Archelao, *Apollonii filio.* 677
Argentei *codicis novum fragmentum repertum.* 661
in Ariſtidis *Oratoris honorem marmor.* 660
de Ariſtophanis *loco & ſcholiaſta.* 11
de Ariſtotele *obſervatio.* 495
de Armeniæ *Regum numis, & Arſacidarum epocha.* 577 ſqq.
Athanaſii *Interpretatio Pſalmorum edita.* 650
de Attractione *corporum, eiusque legibus.* 58. ſq.

Digitized by Google

Averanii (*Ioſephi*) *vita, ſcripta & laudes.* 349. ſq.
Auguratus *Antonii IIIViri.* 392
Avium *collectio nova methodo inſtituenda*, a Kleinio *propoſita.* 190. ſqq.
— *ſeries nova methodo digeſta* a Barrerio. 413. ſqq.
Axiochi *nova editio, illuſtratio, & pluribus locis emendatio.* 591. ſqq.

B.

de Conr. & Iodoco Badiis. 677
Baileti *commentarii emendati & aucti.* ibid.
de Balneis *Piſanis, eorum antiquitate, reſtauratione, ſalubritate.* 79
de Serafin. Banco. 678
de Iac. Baſſoto. ibid.
de Belli *inferendi cauſſis & gerendi rationibus.* 244
Benedicti XIV. *P. M. Epiſtola ad Epiſcopum Auguſtanum, defenſa a Muratorio.* 563 ſq.
de Beneficiorum *apud Francos oneribus.* 209. ſqq.
de Bennone, *Epiſcopo Miſenienſi.* 422
Bernardi (*Ioh. Steph.*) *veterum ſcriptorum emendationes quaedam reprehenſae.* 35 ſqq.
de Nic. Bernaudo. 678
Bernburgenſis *Anhaltinae domus Principes.* 639
de Vito Beringio, *inprimisque de Hiſtoria Obſidionis Hafnienſis, quae eius nomine inſcribitur, ἀνέκδοτον.* 171 ſqq.
Bibliotheca *Ioecheria commendata.* 574
de Bipenni *Tenedia.* 421
de Almarico Bocardo. 679
Boecleri (*Iof. Henr.*) *epiſtola, & quaenam eius in ſcribenda Hiſt. Obſid. Hafn. partes fuerint?* 175. ſq.
Boleslaus *Chrobri, Dux Poloniae, an ab Ottone III. Imper. honore Regis auctus fuerit?* 693
de Guid. Bonato. 679
de Nicol. Boneto. ibid.
de Borboniis *Principibus quibusdam claris.* 679
de Ioh. Botellerio. 680
Ger. Guil. ab Ooſten de Bruyn *praemio mactatus.* 482

C.

de Calculo *renum & veſicae, eiusque cauſſis.* 519. 520
Calculus *inſueta via extractus.* 536
Calvariæ *ſingularis, an petrefactae? deſcriptio.* 73

Camara *quid?* 28
Canis *taenia.* 590
Canonicum *Ius vetus & novum.* 319. ſqq.
Capitulorum *Metropolitanorum & Cathedralium Archi- & Epiſcopatuum Germaniae origo, progreſſus & iura.* 303. ſqq.
eorum abuſus poteſtatis ſuae, ſede vacante. 305 306
Caroli *Guſtavi, Sueciae Regis, bellum in Polonia.* 83
Caroli *Regis utriusque Siciliae laudes.* 686
If. Caſauboni *epiſtolae editae.* 424
S. Caſſianus *an primus Sabionenſium Epiſcopus?* 133
de Caſula *S. Stephani, Regis Hung.* 691
de Catharina *Medicea Reg. Gall.* 680
de Catone *ſuppoſititio.* 681
Catulli *locus tentatus.* 656
de Mino Celſo *Senenſ.* 681
Celtarum *univerſa religio & mores plurimi explicati.* 607 ſqq.
in Childerici *monumento repertum caput taurinum explicatum.* 31
Chirographum *vetus Theſauri Muratoriani illuſtratum.* 253. ſqq.
de Chriſti *Servatoris ultimo die paſchali, & die emortuali.* 605. ſqq.
de Chriſtianæ *civitatis ratione & forma primaeva.* 625
Chriſtiani *omni Seculo II. ab Imperatoribus Rom. non vexati.* 291
de Chriſtianorum *variis claſſibus & ordinibus.* 626
Chriſtii (*Ioh. Frid.*) *laudes.* 338
Chriſtus *Servator num aliquid ſcripſerit, & quod ea res momentum, quam cauſſam habeat?* 237. ſqq.
de Alfonſo Ciaconio. 681
de Cimbrorum *appellatione.* 27 ſq.
de Circumciſione *Iudaeorum medica.* 26. ſq.
Ioh. Clericus *confutatus.* 503 ſqq.
de Coactiva *vi quae eccleſiae competat.* 400. ſq.
Codices *duo Graeci N. Teſt. antiquiſſimi reperti.* 661
Cognomina *veterum ſeptentrionalium populorum illuſtrata.* 129
de Coloniarum *& municipiorum iure.* 706. ſqq.
de Franciſco Columna. 681
de Comite *Permiſſionis.* 682
de Comitibus *& Praeſidibus veterum Imperatorum Romanorum.* 351. ſqq.

Con-

Concilii *Nicaeni ſubſcriptiones novae editae.* 324
Concilium *Nicaenum XX. Epiſcoporum ſuſpectum.* 325
Condottieri *medio aevo quinam?* 230
de Confeſſione *peccatorum angelis & ceteris coelitibus facienda.* 155
de Conſecratione *Euchariſtica Obſervationes.* 147
de Conſtantini M. *donatione celeberrima, obſervatio nova.* 162
Controverſiæ *Graecorum Latinorumque de Proceſſione Spiritus S. a Patre & Filio, hiſtoria compendioſa.* 182. ſqq.
Corbeienſe *necrologium.* 421
de Corpore, *ubi ad centrum virium pervenit.* 53. ſqq.
Ed. Corſinus *laudatus.* 582
de Coryza, *cephalalgia, & apoplexia.* 478
Cotheniæ *Anhaltinae lineae Principes.* 641
Cretam *inſulam ad Turcas transmittentis pacis edita ſanctio.* 532
Criticæ *artis in libris divinis & Patribus explicandis utilitas.* 145
Cruris *dextri contuſio ſanata.* 538
Cryſtalli *an ſalia?* 646
Cyrilli *locus in Catecheſ. illuſtratus.* 148

D.

Dagueſſovii *Cancellarii Opuſcula & vita.* 687
Nic. Damaſcenum, *Herodis amicum, an Ioſephus in ſcribenda hiſtoria ſemper ſecutus ſit?* 428
de Danielis *LXX. hebdomadibus commentarius.* 551. ſqq.
Dei *nomina apud Celtas, Germanos & Gallos veteres.* 614. ſq.
Delirantis *hominis ad ſanitatem reſtitutio.* 538
Demoſthenis, *aliorumque Oratorum Atticorum editio nova & perfecta.* 1
edd. antiquae, loca illuſtrata & correcta. 2. ſqq. 8.
Oratio contra Leptinis legem Gallice verſa & explanata. 308. ſqq.
Deorum *Dearumque in gemmis exempla.* 34. 35
Deſſavienſis *Anhaltinae domus Principes.* 638
Dialogorum *veterum elegantia.* 491
Dido *an in tabula quadam conſpicua?* 390
Diodori Siculi *loca explicata.* 228. 229

Diodori Siculi *loca correcta.* 233
Dionis *excerpta illuſtrata.* 579 ſq.
de Dionis Chryſoſtomi *editionibus.* 227
in eundem obſervationes & emendationes. 229 234
ad Dionem Caſſium *adnotationes.* 231
de Dioptricis *lentibus & teleſcopiis.* 249
Diptychon *Magni Conſulis, primum editum & explicatum.* 49
Diptychorum *natura, origo, genera.* 49. 50
theſaurus a Gorio inchoatus, a Bandinio & Paſſerio perficiendus. 288
de Ant. Franc. Donio. 682
de Druidarum *veterum Britannorum tempiis & inſtitutis, myſtica & nugatoria diſputatio.* 444

E.

pro Eccleſia *Romana defenſio Muratorii.* 567
de Eccleſiæ *gubernandae forma diſquiſitio.* 629. ſqq.
Eccleſiaſticæ *iurisdictionis principia arrogantiſſima.* 397 ſqq.
origo & principia ſaniora. 695. ſqq.
poteſtatis plenitudo, quae putatur in Pontif. Rom. reſidere, a Gallis oppugnata. 628
de M. Ludio Elota *pictore, Paciaudi narratio correcta.* 389
Entii, *Friderici II. Imperat. nothi, hiſtoria.* 523. ſqq.
de Epiſcoporum *in Eccleſia regimine.* 292. 293
titulis, dignitate & origine. 630. ſqq. 697. ſqq.
Io. Aug. Erneſti *laudes.* 145 ſqq.
de Ethica *veterum Philoſophorum diſputatio.* 484. ſqq.
in Ethices *doctrina quos progreſſus fecerint mortales, ſolo rationis lumine adiuti?* 481. ſqq.
Evangelicæ *Eccleſiae ſententia de Euchariſtia, liturgiis antiquis firmata.* 149. ſqq.
de Euchariſtiæ *ritibus antiquis.* 146. ſqq.
Eugenius IV. *P. R. ſuaſor violandi foederis.* 243
Euripidis *Tragoedia, Phoeniſſae, edita denuo & illuſtrata.* 297. ſqq.
Exiſtentia *Dei ex genuinis principiis more Geometrarum demonſtrata.* 42
Expiationis *ſolennis anniverſariae*

Digitized by Google

riae dies omnino ſub templo ſecundo celebratus. 240

F.

adverſus Com. de Fagnano *defenſio problematis algebraici.* 538

de Febricitantium *victu praecepta.* 357. ſqq.

Feudalis *lex palmarias poteſtatum praerogativas nihil imminuens.* 216. ſqq.

Finium *primariorum ac ſecundariorum theoria.* 559

Fiſſipedes *aves.* 414

Forenſis *eloquentiae caſus quas cauſſas habent?* 688

Foſſilium *nova ordinatio deſcripta & diiudicata.* 81 ſqq.

Francogalliæ *Ius publicum egregie illuſtratum a Bouqueto.* 97. ſqq. 193. ſqq.

Franconiæ *Ducatus & iudicium provinciale an ad epiſcopatum Herbipolitanum pertineat?* 220. ſqq.

de agro Francis *victoribus diviſo.* 100

Francorum *Cimbrica origo.* 29. ſq.

antiquiſſimum inſigne, caput taurinum. 31

de Fratribus *liberi ſpiritus.* 164. ſq.

Froelichii *cum Corſino diſputatio.* 582. ſqq.

Ioh. Conr. Fueslini *opus promiſſum.* 423

G.

de Galatis *in Aſiam minorem olim evagantibus, ibique conſidentibus.* 623

Gallorum *veterum religio.* 609. ſqq.

de Pontif. Rom. poteſtate ſententia. 628. ſq.

Gangrænoſa *in pueris angina deſcripta.* 404. ſqq.

Gemmariæ *rei veterum dignitas & gratia multiplex.* 339. ſqq.

Gemmarum *antiquo opere ſcalptarum congeries inſignis & exempla plura.* 337. ſqq.

inter Gentes *exercenda iura humanitatis, & alia.* 243

Geographicarum *tabularum ingens adparatus vendendus.* 576

de Georgio III. *Principe Anhaltino.* 637

Georgii *ſeu* Gregorii Cyprii, *Patriarchae Conſtantinopol. vita primum edita.* 178. ſqq.

Germani *quo iure compilatores audiant Gallis?* 69

Germaniæ *Ius Provinciale & Statutarium illuſtratum.* 95 167

Res Monetaria Collectione

Digitized by Google

ction amplisſima comprehenſa. 77. ſqq. 307. ſqq.
Germanorum *veterum religio.* 614
Gothicæ *Verſionis Novi Teſt. Ulphilanae fragmentum in Guelpherbytana bibliotheca repertum, & edendum.* 661
Gotarzis, *Parthiae Regis, numus adhuc ineditus.* 433. ſqq.
de Ioh. de Gradibus. 682
Græca & Gallica *lingua comparatae.* 310
Græcæ *voces & phraſes explicatae, illuſtratae.* 4. ſqq. 11 ſqq. 24. 28. 36. ſqq. 146 ſqq. 228. ſqq. 259. ſqq. 290. ſqq. 298. ſqq. 311 ſqq. 431. 571. 594. ſqq. 650. 659
Grammatica *obſervatio.* 254
Tho. Greshami *vita.* 379. ſq.
Greshamenſis *Collegii Profeſſorum vitae.* ibid.
Iac. Gretſerus *confutatus.* 422
in Güntheri *poetae locum diſputatio.* 222. ſqq.

H.

Hafnienſis *obſidionis hiſtoria a Beringio ſcripta, epiſtola Boecleri illuſtrata.* 174
de Halleriana *ſenſitivitate.* 441 ſqq.
Hamburgenſe *Ius ſtatutarium illuſtratum.* 95. 167
Haſſiæ *Landgraviatus* & Hersfeldæ *Principatus, exacta deſcriptio.* 366
nominis etymologia. ibid.
de illius Principibus memoranda quaedam. 369. ſqq.
Hebdomadum *LXX. Danielis explicatio.* 551. ſqq.
Hebræa *vocabula illuſtrata.* 23 269. ſqq. 453. 507. ſq. 555. 603. ſq.
Henrici II. *Imper. numus rarior.* 167. ſq.
Herbarum & *ſuffruticum variae claſſes in agro Veronenſi.* 328. ſqq.
Herculanæ *civitatis antiquae memorabilia varia.* 683
Hercules *Servator cur in numo expreſſus?* 578
de Herculis *cultu quaedam.* 617. ſq.
de Hertha *Dea.* 31. 32
Herodiani *infanticidii vindiciae.* 424
de Hierarchia *eccleſiaſtica, & an ea vox uſurpanda?* 630
de S. Hiltigardis & *eius filii Ludovici inventione rhytmi.* 364
Hippocratis *manuductio non ſemper infallibilis in praxi medica.* 170
locus explicatus. 358. ſq.

Hiſpa-

Hiſpanicæ *Eccleſiae liturgia.* 86. ſqq.
Hiſtoria *ex antiquis monumentis cognoſcenda.* 434. 655 ſqq.
Hiſtoriæ *Eccleſiaſticae inſtitutiones egregiae.* 158
litterarum artiumque commendatio. 272. 273
Hohenloicæ *Domus Principalis ſuperioritas territorialis illuſtrata & defenſa.* 643
Hombergenſis *Synodus provincialis A. 1526. habita.* 368
Honorius *Pont. Rom. a Monotheletiſmo abſolvendus.* 41
Humorum *corporis humani morbi.* 500
an Hypotheca *gaudeant principum familiares pro ſalario quod iis debetur?* 351. ſqq.

I.

de Ideis *innatis.* 278
claris & diſtinctis. 281
Ignis *in Script. S. quid deſignet?* 649
de Igni *ſpiciis.* 301
de Immaterialitate *animae.* 507
pro Immortalitate *animorum argumenta ex ratione num firma peti poſſint?* 492
an Imperantibus *ius in ſacra a Chriſtianis veteribus tributum ſit?* 627. ſq.
Ineſii, *Martialis Sarmatici, Poemata recudenda.* 46
de Indulgentiis *& anno Iubilaeo diſputatio.* 694. ſqq.
Infanticidii *Herodiani vindiciae.* 424
de S. Ingenuini, *Epiſcopi Sabionenſis, actis.* 140
Inſcriptiones *Graecae vulgatae.* 659. ſqq.
de Inſectis *nonnullis terreſtribus.* 589
in Iobi *librum obſervationes miſcellaneae laudatae.* 264. ſqq.
Iohannis *Caſimiri, Poloniae Regis, hiſtoria.* 82. ſqq.
Chriſtia. Gottl. Ioecheri *bibliotheca hiſtorica commendata.* 574
pro Ioſepho, *Aegypti olim Pro-Rege, vindiciae adverſus Baſnagium.* 568. ſqq.
Ioſephus *ſcriptor an infanticidium Herodianum omnino tacuerit?* 426
Italiæ *eruditae laudes.* 385
Iudæorum *in Samaritanos odium, & in Chriſtianos calumnia.* 25
circumciſio medica. 26. ſq.
Iudæis *antiquiſſimis an nota fuerit vita poſt hanc aeterna?* 503. ſq.
de Iudicibus *veterum Francorum.* 204. ſqq.
Iuliani *locus explicatus.* 29

Digitized by Google

Iuris *gentium principia explicata.* 241. ſqq.
civilis fundamenta in tabulas, ordine ſyſtematico, redacta. 262
interpretationes Averanii. 347. ſqq.
nonnulla loca illuſtrata. 419. ſq.
naturalis principium quodnam? 510
Romani varia capita enucleata diligentius. 706 ſqq.
Ius, *ſtatusque rei forenſis Germaniae, emendanda.* 130. ſqq.
Provinciale & ſtatutarium Germaniae illuſtratum. 95. 167
Publicum Francogalliae, monumentis antiquitatis declaratum. 97. ſqq. 193. ſqq.
Canonicum vetus & hodiernum explicatum. 319 ſqq.
Iuſtini *Martyris locus tractatus.* 146
Hiſtoriae Philippicae editae, & variis modis illuſtratae. 597. ſqq.

K.

Iac. Kahlius, *polyphagus & allotriophagus ſtupendus.* 416. ſqq.
de Alex. Knips Macoppe, *Medico Patavino, eiusque remediis narratio.* 314. ſqq.
Franc. Anton. Knittel *fragmentum novum verſionis Ulphilanae N. T. aliosque Codices adhuc ignotos reperit.* 661

L.

Lactantii *nova editio, multis onerata commentariis, promiſſa.* 118. ſqq.
nomina & patria. 121 122
Ioh. Lamius *refutatus.* 648 ſqq.
de Lapidibus *varia, in primisque peccata novi ſcriptoris in iis ordinandis.* 64. ſqq.
vivis, ſtructis in domum ſpiritualem. 240
a Druidibus coacervatis. 449. ſqq.
de Laicæ *poteſtatis natura, origine & limitibus.* 398. 627 ſqq. 695. ſqq.
de Latii *iure.* 706. ſqq.
de Legionibus *Romanis in univerſum, & de triceſima ſigillatim.* 386. ſqq.
Leibnitii *Syſtema de mundo optimo cum Popiano conſentiens oppugnatur.* 558. ſqq.
de Lentibus *& teleſcopiis dioptricis.* 249. ſqq.

Digitized by Google

Sam. Lenzius *Hiſtoriae Anhaltinae ſcriptor.* 634. ſqq.
de Leudibus, *Fidelibus, Senioribus & Vaſallis apud Francos veteres.* 109. ſq.
Leopoldi *Imper. cum Turcis A. 1664. initae pacis ſanctio eruta.* 532
de Leopoldo, *Principe Deſſavienſi.* 638
pro Liberio, *Pontif. Rom. vindiciae.* 40
Linguarum *donum quomodo Apoſtolis communicatum?* 648
Phil. Dan. Lipperti *in reddendis gemmarum antiquis exemplis, in maſſa terrea candidiſſima, ingenioſa & felix induſtria.* 341
Litterarum *humaniorum noſtra aetate contemtus.* 592
Liturgicarum *rerum ſolers tractatio & vindicatio pro Eccleſia Evangel.* 146. ſqq.
de Liturgia *Hiſpanica, Gothica, Mozarabica, cet. diſquiſitio.* 86. ſqq.
Liturgiarum *Euchariſticarum origo.* 146
Lockii, *eiusque libri de mente humana, laudes.* 275. ſq.
in eundem librum animadverſiones Poleii. 278 ſqq.
de Lollhardorum *ſecta & nomine.* 165. ſq.
Lucilii *locus illuſtratus.* 344
in Lycophronem *quaedam.* 432

M.

M *pro* N. *in Graecarum vocum exitu.* 395
Macrobii *locus illuſtratus.* 426
Magni *Conſulis Diptychon, nunc primum editum & explicatum.* 51. ſqq.
de Magiſtratus *officiis & virtutibus orationes.* 687. ſqq.
de Marcellini *Epiſc. Rom. lapſu.* 39
Proſp. Marchand *vita & ſtudia.* 673. ſqq.
Mariæ *virgini* θεοτοκῳ *conſecratus liber.* 552
Mathematica *colloquia ſeu praelectiones.* 283. ſqq.
Matthæi *Evangeliſtae locus vindicatus.* 425
Medicæ *artis origo, progreſſus, vera principia.* 477
de Medicis *veterum.* 396
Medii *aevi Hiſtoria Chriſtiana maxime imperfecta, quonam libro egregie illuſtrata?* 160
de Memoriæ *facultate obſervata.* 280
Meninskii *Inſtitutiones Linguae Turcicae iterum & auctiores editae.* 529
Mercurii *uſus medicus.* 315 ſqq.

de Metempſychoſeos *dogmate.* 619. ſqq.
Minerva *utrum* πρόνοια *an* προνοια *rectius adpelletur?* 13
de Minniſari, *aliorumque Armeniae Regum, numis.* 577 ſqq.
Minerale *regum diviſum & deſcriptum.* 645
Minutarum *antiquitatis rerum cognitio non inutilis.* 433. ſq.
Moeridis *Atticiſtae nova editio a Fiſchero procurata.* 255
Monaſticorum *ſcriptorum collectio.* 362
de Monetaria *Re Imp. Rom. Germ. monita, eiusdemque hiſtorica enarratio.* 77. ſqq. 307. ſqq.
Monumenta *nondum functa, ſeu virgines, quae?* 254
Monumentorum *antiquitatis eruditae diviſio in duas partes.* 339
veterum in hiſtoria cognoſcenda utilitas, & cum experimentorum in Phyſica uſu comparatio. 655. ſq.
Ioh. Laur. Moshemii *liber ad cognoſcendam Hiſt. Eccl. Chriſtianae utiliſſimus.* 161
de Motuum *legibus generalibus.* 52. ſqq.
de Morborum *cauſſis & generibus.* 497. ſqq.
Mozarabica *liturgia.* 89. ſqq.
de Mundo *optimo ſyſtema impugnatum.* 558. ſqq.
contra Muratorium *de rebus Liturgicis diſputatio.* 145 ſqq.
eiusdem pro Benedicto XIV. P. M. aſpera defenſio. 563. ſqq.
Mutationes *in homine, ex quo natus eſt.* 477
Mythologiæ *Graecae illuſtratio.* 464. ſqq.

N.

de Naturæ *viribus medicatricibus.* 502
de Nemeſeos *imagine nova obſervatio.* 345
de *addita* Nicæno *Symbolo voce, Filioque.* 185
Nicæni *Concilii ſubſcriptio per XX. Epiſcopos facta, recenter eruta.* 324
Nomina *propria ſeptentrionalium veterum illuſtrata.* 127 ſqq.
Numorum *cognitio adcurata utrum doctrina magis an uſu comparetur?* 393
ad Numos *conſulares IIIViri M. Antonii animadverſiones.* 385. ſqq.
Numus *Gotarzis, Parthiae Regis, adhuc ineditus, illuſtratus.* 433

Numus

Numus *Miniſari*, *Armeniae Regis, declaratus.* 577. ſqq.
de Nüſsleria *puella.* 640

O.

Obſervationes *phyſico-medicae.* 533. ſqq.
de inſtrumentorum ad artem Obſtetriciam *ſpectantium hiſtoria, utilitate & applicatione.* 534. ſq.
de Ononychoto *Deo, Chriſtianis quondam adfiicto.* 24
de Optimiſmo *Leibnitii & Popii.* 558. ſqq.
de Ordinibus *ſacris, & ordinatione.* 702
Orientis *deſcriptio ex Pocockii itineribus.* 407. ſqq.
Ornithologiæ *ſpecimen novum.* 413. ſqq.
Oryctologia *illuſtrata.* 60. ſqq.
Oſnabrugenſis *pacis textus illuſtratus.* 375. ſqq.
perpetuitas. 378
Otto III. *Imperator an auctor Regiae dignitatis in Polonia?* 694

P.

P. M. Paciaudi *laudes.* 385
Palmipedes *aves.* 414
Panis *in Herculano reſtituto repertus.* 686
de Parnaſſi *nomine lepida coniectura.* 467
Parthamaſpatis, *Parthici Regis, numus.* 440
Parthica *hiſtoria illuſtrata.* 435 ſqq.
de Partu *ſeptimeſtri.* 536
de Paſchatis *die ultimo, a Chriſto celebrato.* 602. ſqq.
Patavini *Gymnaſii faſti a Facciolato ſcripti.* 272. ſq.
Pathologiæ *Medicinalis inſtitutiones.* 495
de Patriarchali *religione.* 445 ſqq.
de Patriarcharum *& Metropolitanorum inter Chriſtianos origine.* 699. ſqq.
de SS. Patrum *morali doctrina promiſſus liber a Mamachio.* 626
Pauſaniæ *locus illuſtratus.* 24
de Pediculis *plantarum deſtructoribus.* 545
Sim. Pelluterii *mors & laudes.* 624
Pericranii *ſenſibilitas.* 442
de D. Petri *lapſu.* 39
Philoſophiæ *ſtudium cum eloquentiae ſtudio coniungendum.* 687
Philoſophorum *veterum placita difficulter cognoſcenda, & cautiones in eo ſtudio neceſſariae.* 482. ſq.

Digitized by Google

Philoſtratus *explicatus.* 438 439
Picturæ *in Herculano repertae varii generis.* 685
Plantarum *Veronenſium methodica ſynopſis.* 326. ſqq.
de Platone *quaedam.* 486. ſqq.
de Platonica *oratione & vocibus.* 257. 258
Plinii *locus illuſtratus.* 389
Plutarchi *locus emendatus.* 36
Polonici *Regni origines indagatae.* 692
de Polyphago *Wittebergenſi obſervatio.* 416. ſqq.
de Polypis. 549. ſqq.
Pontificum *Romanorum vindiciae.* 38. ſqq.
poteſtas legiſlatoria & iudiciaria 320. ſqq.
ſuprematus. 695. ſqq.
de Popiano *Syſtemate: omnia bene eſſe.* 558. ſqq.
Poteſtatis *hereditariae, ſeu iuriſdictionis allodialis apud Francos praerogativae.* 211 ſqq.
laicae & eccleſiaſticae origo diſquiſita. 695. ſqq.
ſpiritualis & temporalis natura & limites. 398
eccleſiaſticae plenitudo in Pont. Rom. & ius eius in temporalia Regum. 628
de Præſagio *medico.* 479
de Principum *officio & cura.* 241. ſqq.
iure naturali ſervo ad Eccleſiam. 402
Proteſtantes *a caſula S. Stephani, Reg. Hung. admoniti.* 691
Pſalmorum *interpretatio, ſeu de eorum titulis liber.* 650
Pſephiſmatis *ſeu rogationis formula, Athenis obtinens, explicata.* 4. ſqq.
Puris *natura & genera.* 372 ſqq.
de Pythagoræ & *Pythagoreorum ſententiis moralibus.* 485. ſq.

Q.

Quinqueremis *Venetiis fabricata Seculo decimo ſexto.* 391
de Quiritium *iure.* 706. ſqq.

R.

Regiæ *in Polonia dignitatis origines perquiſitae.* 692
in Regum *temporalia an ius Rom. Epiſcopis competat?* 628
Adolph. Frider. Reinhardus *contra Optimiſmum diſputans praemio ornatus.* 558 ſqq.
de Religionum *compoſitione amicabili conſilia.* 375. ſqq.

Remi

Remi *triplici ordine conſurgentes in trireme antiqua.* 389
de Renibus, *earumque fabrica & calculo.* 515. ſq.
Reſcriptorum *Mſctorum omnium Biblioth. Guelferbyt. catalogus edendus.* 666
de Rhætia *nonnulla.* 139
pro Romana *Eccleſia defenſio Muratorii.* 567
pro Romanis *Pontificibus vindiciae.* 38. ſqq.
de Romanorum *Pontif. poteſtate, huius ortu & progreſſu, limitibus, cet.* 320. ſqq. 628. 695. ſqq. 699. ſqq.
Franciſci Rothfiſcheri *defenſio tranſitus ſui a Romana ad Evangelicam Eccleſiam.* 694 ſqq.

S.

de Sabionenſi *urbe & Eccleſia varia, inprimis eius Epiſcopis.* 132. ſqq.
Sacrificium *verum in Euchariſtia eſſe, nec Liturgiis, nec Patrum ſcriptis doceri poteſt.* 151
Sanitatis *corporis ſui conſervandae praecepta propoſita.* 116
Sarbievii, *Horatii Sarmatici, poemata iterum edenda.* 46
Sardiniæ *medio aevo ſtatus.* 525
Sarpii *Hiſt. Concil. Tridentini denuo edita Hetruſce.* 480
de *voce* Sarſen. 448
Saxoniæ *Duces & Electores ex ſtirpe Aſcania.* 636
de Scabinis *varia.* 199. ſqq.
Ioſephi Scaligeri *epiſtolae editae.* 424
Scamera *quid?* 29
de Schultenſii *in librum Iob commentario iudicium.* 264 ſq.
Scriptorum *veterum Graecorum Latinorumque utilitas.* 597. ſq.
Scripturæ S. *loca explicata aut illuſtrata:*
Gen. XI. 508
XXXV, 26. 431
Exod. XII, 6. 14. 603
XVI, 3-12. 573
XXXIII, 20. 509
Levit. XVIII, 16. 424
XXIII, 4-8. 604
XXVI, 1. 452
Deuter. XXVIII. 509
XXX, 20. ibid.
1 Reg. XV, 13. 617
XXV, 25. 300
2 Reg. XVII, 30. 23
2 Chronic. XXXV, 6. 604
Iob I, 8. 269
II, 9. ibid.
IV, 6. 21. 270
V, 21. 270
IX, 30. X, 8. 19. ibid.

Iobi XII, 4. 5. 271
XVI, 21. ibid.
XIX, 25-27. 268
XXI, 3. 271
XXIII, 17. ibid.
Pſalm. XIX. 653
XX. 654
LXXIII, 20. 509
CXXXIII, 3. 472
CXXXIX, 16. 280
Ieſai. XIII, 22. 453
XIV. 508
Ierem. XXXI, 15. 425
Daniel. IX. 551. ſqq.
Ezech. XLV, 21-24. 604
Zephan. III, 9. 553
Eccleſiaſtic. L, 25. 26. 25
Matth. II, 16. 430
18. 301
XIII, 30. 376
XVIII, 15. 697
Luc. I, 9. 240
XIII, 14. 27
XXII, 7. 605
Ioh. I, 13. 430
VII, 21-23. 26
39. 239
VIII, 48. 25
X, 16. 376
XIII, 1. 605
Act. II, 3. ſqq. 648
XV. 697
XX, 17. 632
Rom. XI, 16. 259
Phil. I, 1. 631
1 Theſſal. I, 10. 232
1 Tim. I, 2. 4. 15. 290
18. 20. 291
II, 2. 7. ibid.
13. 14. 15. 292
III, 1. 2. ibid.
3. 13. 293
15. ib. ſq.
16. 294
IV, 1-5. 13. 295
V, 11. 12. ibid.
2 Tim. I, 14. 259
II, 6. 7. 15. 296
IV, 13. ibid.
1 Petr. II, 5. 240
Ebr. XI, 13-16. 507
Apoc. VIII, 7. 259
XIV, 4. 5. 430
XX, 7. 8. 376
de Senſibilitate *variarum corporis partium.* 441. ſqq.
de Septentrionalium *veterum nominibus propriis & cognominibus.* 126
de Serpentibus *varia.* 460. 463. ſq.
Serveſtanæ *domus Anhaltinae principes.* 641
Sichem *urbis numi duo.* 21
Sinelolatria *Samaritanis olim impacta.* 21. ſqq.
Sileſiæ *ducatus tabulae geographicae diligenter curatae.* 383
Silii *Italici locus explicatus.* 391

Guil.

Guil. Smellie *Tabulae Anatomicae latine verſae.* 527
de Sororibus *liberi ſpiritus.* 164. ſq.
Socrates *defenſus.* 494
de Spagirica *arte.* 315
Statuæ *in Herculano noſtra aetate repertae.* 684. ſq.
Stellaſtura *quid?* 356
de Stephani, *Regis Hungariae, Caſula, Diſquiſitio.* 691
de Stimulis *naturalibus.* 279
Stoicorum *praecepta nonnulla.* 488
Stolpiani *legati praemium.* 482
Strattidis *locus in Euripidem.* 299. ſq.
Suevicarum *rerum Scriptores complures indicati.* 93. ſq.
de Supplicationibus, *in Eccleſia Romana coelitibus, & pro mortuis, fieri ſolitis.* 156
de Suppuratione. 372. ſqq.
Surdos *reddendi audientes nova methodus.* 245. ſqq.
de Symptomatibus *morborum.* 498
Syracuſanorum, *vel totius etiam Siciliae, antiquiſſima moneta.* 394. ſq.
de Syrii *diametro apparente.* 251

T.

Taciti *loca enucleata & emendata.* 28. 611. ſq.
Tænia *in cane.* 590
Ioh. Taylori *in Demoſthene explicando merita.* 2. ſqq. 312
in eodem labore lapſus quidam reprehenſi. 10. 14
de Teleſcopiis *dioptricis.* 249 ſqq.
Tendinum *ſenſibilitas.* 442
de Tenedia *bipenni.* 421
Terra *Germanorum dea.* 31
culta a veteribus populis. 615. ſq.
Tertulliani *locus explanatus.* 430. 431
de Tetragonis *incuſis.* 394
de Theophraſti *characteribus morum Obſervatio.* 229
Theodoreti *locus explicatus.* 150
de Theodoſii M. *lege quadam.* 431
Thuringi *unde dicti?* 367
Timæi *Sophiſtae Lexicon vocum Platonicarum, editum iterum a Fiſchero.* 255. ſqq.
Timotheæ *Martyris ſcriptio.* 626
in Epiſtolam d. Pauli ad Timotheum *utramque commentarius.* 289
Traditio, *num ſit principium Iuris Naturalis?* 510. ſq.
Transfiguratio & transformatio *quid?* 149
Transſubſtantiationis *dogma, quod Eccleſia Romana de-*

fendit, nec Liturgiis antiquis, nec Patrum ſcriptis firmari. 147. 149
origo eruta ex veterum Scriptorum monſtroſis verſionibus. 148
Tridentini *Concilii Hiſtoria Sarpiana recuſa.* 480
Triremis *praetoria in numo M. Antonii IIIviri.* 387
Tubæ *ſtentoreae in ſurdis hominibus utilitas.* 247
Turcicæ *linguae inſtitutiones, & diſcendae illius proprio Marte ratio, prodita a Kollario.* 52. ei.

V.

de Vermibus *in aquis dulcibus degentibus, & e ſegmentis ſuis reviviſcentibus.* 549. ſqq.
Vermium *ſeu lumbricorum terrae reproductio.* 590
Veronenſium *plantarum methodica ſynopſis.* 326. ſqq.
de Viariis *apud Francos.* 196 ſq.
de Vi centrali. 56. 57
Petri Victorii *Commercium Epiſtolicum, edendum a Bandinio.* 287
Sexti Aur. Victoris *nova editio & illuſtratio.* 511. ſqq.
de Victu *febricitantium praecepta.* 357. ſqq.
Vigilius, *Epiſc. Rom. defenſus.* 40. 41
de Viſu, *eiusque vitiis, directione, & magnitudine apparente.* 250. ſq.
Vita *aeterna nota Iudaeis iam ante captivitatem Babylonicam.* 503
de Vita *virorum illuſtrium, praecipue doctrina clarorum, commentarii.* 673
Vitæ *genus ſuum cuique commendatum.* 689
Ulphilanæ *verſionis N. Teſtam. fragmentum repertum & edendum.* 661
in Urbe *una plures olim Epiſcopi.* 699
Urbis, *Oppidi, vocabula explicata.* 708. ſq.
de Ureteribus. 516
partium, per quas Urina *fluit, deſcriptio, actio, uſus, morbi.* 514. ſqq.
circa Uterum *obſervationes rariores.* 17. ſqq.
Uxoris *defunctae ſororem an liceat ducere in matrimonium?* 423. ſq.

W.

Wagria, *antiquiſſima Francorum ſedes.* 30
de Waldenſium & *Albigenſium genuina diſtinctione.* 422. ſq.

War-

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

Warburtoni *de libro Iobi ſententia confutata.* 266. ſq.
Würzburgenſi *Epiſcopatui Ducatus & Iudicium provinciale Franconiae vindicantur.* 220. ſqq.

X.

Xerxis *numiſma quoddam.* 582

Z.

Comitis Zaluskii, *in edendis praeſtantioribus Poetis Polonis, ſtudium laudatiſſimum.* 46. ſqq.
Zoophyta *quaedam marina deſcripta.* 589

Tabulae figurarum radio inſcriptarum.

Tabula	I. ad Menſem *Februarium.*	pag. 51
	II. ad Menſis *Iunii* Partem II.	346
	III. ad Menſem *Iulium.*	386
	IV. ad Menſem *Auguſtum.*	435
	V. ad Menſem *Octobrem.*	577

Errores operarum.

Pag. 18. lin. 8. pro *dextrorſam* lege *dextrorſum;* pag. 258. lin. 26. pro *ad* lege *ac;* pag. 275. lin. 27. pro *latine* lege *germanice;* pag. 337. lin. 2. pro NVA lege NOVA; pag. 350. lin. 13. pro *ſanitatis* lege *facultatis;* pag. 381. lin. 14. pro *ignatus* lege *ignotus.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z171846605
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google